

# ANNALES

FRATRIS CUJUSDAM ANONYMI

**CONVENTUS FRATRUM MINORUM**

**GANDAVENTSIUM.**

---

## PROLOGUS.

---

Quum quodam tempore occupationibus non urgerer, venit mihi in animo, qui historias factaque authentica antiquorum libenter lego et audio velociterque scribo, habenti etiam ad usum quasdam membranas parvi valoris colligatas, in eis describere secundum decursum annorum et temporum, expedito, levi claroque sermone, proelia et pericula multimoda, angustias et pressuras varias, expeditiones, obsidiones, impugnationes tam passivas quam activas, quae terrae nostrae Flandriae evenerunt; accidentiaque diversa, quae temporibus meis contigerunt, quibus omnibus vel praesens vel intuens interfui, vel ab iis, qui praesentes eis interfuerunt, referentibus certitudinaliter agnovi, eaque posteris relinquere, quibus talia legere et audire placuerit subtilius et emendatius exscribenda. Hoc autem incepti in conventu fratrum minorum Gandensium, cujus tunc conventus eram, motus desiderio quorumdam fratrum recreativoque solatio, quoscumque talia audire vel legere delectabat, circa principium anni Domini MCCCVIII. Movit etiam me communis utilitas ad hoc, quia, ut mihi

videtur, quemque, aliquibus eventibus emergentibus, valde expediens est talia non ignorare. Et notandum, quod anni Domini subsequentes semper incipiendi sunt in festo Annuntiationis beatae Virginis, quod est VIII kal. April., qualitercunque Paschale festum transmutetur.

*Explicit prologus.*

---

# ANNALES

FRATRIS CUJUSDAM ANONYMI

## CONVENTUS FRATRUM MINORUM

### GANDA VENSIIUM.

---

Anno ab incarnatione Domini MCCXCVI, comes Flandriae, Guido XIX<sup>mus</sup>, alligatus Eduardo regi Angliae, regem Francorum Philippum defidavit, ut ita dicam, eique homagium propter multa gravamina, quae ipse et sui sibi intulerant, contradixit, circa finem mensis Januarii. Pater hujus Philippi fuit Philippus, decimus rex post Hugonem *Capet*, qui moriebatur in Arragonia anno Domini MCCLXXXV. Avus ejus fuit sanctus Ludovicus, qui moriebatur in Tunitio<sup>1</sup>. Mater Guidonis fuit Margareta, comitissa Flandriae et Hannoniae, filia Balduini, imperatoris Constantinopolitani, fundatoris<sup>2</sup> abbatae sanctae Mariae de *Boudelo*, ordinis Cisterciensis, Tornacensis dioecesis, sitae in terra Wasiae, in parochia de *Synai*, cujus anima in pace requiescat! amen. Qui ante imperium assecutum comes fuerat in utroque comitatu praedicto. Filii Guidonis ex prima uxore, scilicet filia domini de Tenremunda et de Bethunia: Robertus primogenitus, quondam comes Nivernensis, Wilhelmus, qui habuit primogenitam filiam domini de Nigella, Philippus, qui habuit quamdam comitissam in Italia. Filiae fuerant: quondam ducissa Brabantiae,

<sup>1</sup> *Cod. Gandav.* in Tunetis.

<sup>2</sup> Non fuit Balduinus fundator quidem abbatae, sed patronus beneficis. Haec enim habet

*Meyer* ad annum MCC: Obit Balduinus de Boela, author Bodelonis monasterii, Balduini principis beneficentia bene aucti.

mater ducis Johannis, tunc viventis, et comitissa quondam Juliacensis, mater duorum Wilhelmorum Juliacensium, probissimorum juvenum, et comitissa Hollandiae. Pater Guidonis comitis, dominus de Dampetra, valens baro in terra Burgundiae. Filii Guidonis comitis ex secunda uxore Isabella, filia comitis Lucemburgensis, marchionissa Namurcensi: Johannes Namurcensis, Guido, Henricus, tunc pueri; filiae, comitissa Ghelrensis, quae quondam habuit heredem Scotiae, et comitissa Blesensis, et domicella Philippa, sponsa primogeniti et unigeniti filii Eduardi, regis Angliae, et Isabella juvenula.

Anno Domini MCCXCVII, incepit gravis guerra inter regem Philippum praedictum et comitem Hannoniae Johannem, filium fratris Guidonis, comitis Flandriae, ex parte matris, non patris, ex una parte, et Guidonem, praedictum comitem, et regem Angliae; cum eó confoederatum, et ducem Brabantiae Johannem, filium filiae praedicti Guidonis, qui Johannes duxit in uxorem tunc filiam regis Angliae, et multos comites et nobiles Alemanniae, per pecuniam conductos, ex altera. Nam circa finem Junii venit rex Philippus cum maximo apparatu et exercitu, et obsedit villam Insulensem, in qua erat Robertus, primogenitus comitis Guidonis, cum multis Alemannis nobilibus, specialiter domino de Falconis monte, probissimo milite et plurimis militibus, etiam Flandriae. Wilhelmus autem secundogenitus tenuit Duacum. Quam villam, scilicet Insulensem, rex obtinuit cum multo labore et expensis et amissione multorum et detrimento, circa principium mensis Septembris, et hoc per infidelitatem et malum fervorem erga comitem et filios suos, domini de *Hondescote* et domini de Sancto Venantio sive de *Wavery* et domini de Ghistella. Infra illud tempus, in mense Julio, Franci obtinuerunt fluvium Lisam inter Insulam et Ypram, et hoc per timorositatem et miseriam Yprensiarum, quamvis haberent secum multos Alemannos audaces, qui Alemanni suburbium Yprense incenderunt. Circa principium autem mensis Augusti sequentis, fuit bellum maxime Furnis, inter comitem Attrebatensem et Francos ex una parte, et Wilhelmum Juliacensem, seniore fratrem praedictum, et Alemannos et Flamingos ex altera. In quo bello praedictus Wilhelmus fuit captus, et non multo post de vulneribus in sancto Audomaro mortuus. Etiam bello dominus Johannes de *Gaverè*, valentissimus miles, occubuit, et multi Alemanni nobiles in eo capti sunt, et Flandrensiarum aliqui occisi non multi, quia, per traditionem aliquorum nobilium de occidentali Flandria, bellum deinde ex parte Flandrensiarum amissum est, et etiam per eorum traditionem ante dictum bellum,

praedictus comes obtinuit Brugburgenses et Bergenses. Villa Furnensis post dictum bellum incensa est. Circa finem mensis Augusti, venit Eduardus, rex Angliæ, in adiutorium comitis Guidonis et applicuit Flandriae in portu Bruggensi non cum multo exercitu, veniensque primo Brugas invenit majores villae non concordēs comiti, suisque cum illis de villa discordantibus, et videns, quod villa esset sine munitionibus, recessit inde et venit Gandam, in qua etiam villa majores cum comite discordabant:

Novi de quodam sacerdote goliardo, qui quum totam suberiam suam in comessationibus et potationibus expendisset, nihil habens, furatus est argentæas laminas de quadam imagine crucifixi, quas vendens fecit magnum convivium sociis suis. Accusatus de hoc coram episcopo suo, et vocatus ab eodem et dure reprehensus, per hos duos versus respondit :

Guido <sup>1</sup> carens aere, dum se vidisset egere,  
Excoriando Jesum largum sibi praebuit esum.

Circa principium mensis Septembris, rex obtinuit villam Insulensem, ut supra dictum est, tali conditione, quod omnes amici comitis cum omnibus ad eos pertinentibus libere possent exire. Circa finem ejusdem mensis, intravit rex profundius Flandriam, et venit cum exercitu suo usque parochiam, quae vocatur in Flamingo *Inghelmonstre*, hoc est ecclesia vel templum Anglorum. Ad quem venerunt aliqui ex majoribus Brugensium, et reddiderunt sibi villam Brugensem: Misitque rex dominum de Nigella cum aliis nobilibus multis et magno exercitu, et obtinuit eam, quod non placuit omnibus de communitate praedictae villae; feceruntque barones regis incipere fieri fossatum circa eam. Reddita est etiam eis villa de *Dam*. Circa principium mensis Octobris, incepit haberi tractatus de treuga inter duos reges praedictos et eis alligatos, quae confirmata est, quod duraret usque ad festum sequens sancti Andreae. Sed penultima die, circiter decima die mensis praedicti, ante introitum praedictae treugae, Robertus, senior filius comitis, assumptis secum multis Flandrensibus et Anglicis et Galensibus, invasit villam de *Dam*, quae fuit incepta circumfossari et murari, et occidit in ea multos nobiles et vulgares de Francis, usque ad quadringentos, et aliquos cepit, et obtinuit dictam villam; et per consequens portum Brugensem et villam Brugensem etiam obtinisset, si Anglici et Flamingi victores inter se non discordassent et pro

<sup>1</sup> In marg. *Cod. Gandav.* legitur : Sic vocabatur sacerdos.

divisione praedae compugnassent. Incepta treuga, rex Franciae reversus est ad terram suam, et rex Angliae, cum Anglicis et Galensibus et Scotis et Hibernensibus, remansit in Gandavo. Infra autem treugam, incepit haberi tractatus inter consiliarios duorum dictorum regum de treuga longiore, quae postea confirmata est et data, a festo sancti Andreae praedicto usque ad Epiphaniam Domini MCCXCIX. In qua treuga concordavit comes Flandriae praedictus hac conditione, quod rex Angliae juravit supra sacrosanctam, quod nunquam faceret pacem cum rege Franciae, nisi sub hac conditione, quod totam terram suam amissam rehaberet, quando male fecit, sed dicitur fuisse a papa de hoc juramento absolutus. Circa principium mensis Martii, facta est discordia et pugna in villa Gandensi, inter Anglicos et Galenses et alios de concomitantibus regem Angliae, qui erant circiter quatuor millia equitum et viginti millia peditum ex una parte, et Gandenses ex altera; et duravit haec pugna duobus diebus. Anglici enim, sicut ingrattissimi homines, de fidelitate et beneficiis et cordialitatibus Flamingorum et potissimum Gandensium, qui eos humanissime apud se per totum hyemem et tutissime permanere permiserunt, consuetam trahentes caudam et villam dictam spoliare cupientes et sibi resistentes trucidare, eam in quatuor locis, quasi in quatuor angulis incenderunt, ut sic Gandenses nitentes ignem extinguere, circa custodiam bonorum suorum essent minus cauti. Sed Deus pessimam Anglicorum intentionem nolens perduci ad effectum, nec tam nobilem villam volens tam perniciose machinatione perire, aliter disposuit. Nam Gandenses, de incendio quasi non curantes, et custodiam bonorum suorum quasi oblivioni tradentes, videntes, quod pro animabus et rebus tempus erat se defendendi, animo virili se conglobantes, fortiter et audacter Anglicis restiterunt, eosque in unam se coadunare compulerunt, quia prius in diversis plateis et viculis dispersi erant, atque infra duos dies circiter triginta equites nobiles ex eis occiderunt. Ipsum etiam regem interfecissent, nisi ei praesidio fuisset quidam nobilis baro Flandrensis, qui eos blandis verbis compescuit. De peditibus vero dicti regis circiter LXX occisi sunt, de Gandensibus autem circiter usque ad duodecim concremati sunt ab Anglicis, de quibus erant aliquae mulieres et aliqui pueri, et alii viri circiter XXV in praedicta villa et pugna ceciderunt. Sicque Anglici vilissime confusi cum maxima humilitate postularunt, sed nisi comes et filii sui cum maximis precibus et blandissimis monitionibus communitatem Gandensem a furore retraxissent, omnes Anglicos et homines regis vel occidissent,

vel cum ipso rege captivassent. Circa medium autem Martii, rex ad Angliam reversus est. Johannes et Guido, filii comitis, ab eodem rege, quando fuit in Gandavo, milites facti sunt. In mense Januario, generalis magister praedicatorum et generalis minister fratrum minorum a papa, pro confirmatione dictarum treugarum, Gandam missi sunt. Tempore dictarum treugarum, rex Franciae fecit muniri villam Brugensem magnis fossatis et terrae aggeribus et portis firmis. Et comes fecit etiam fieri aliqua fossata et munitiones et portas in *Dam* et *Ardeburg*, Ganda, Aldenardo, Donza et Casleto. Majus motivum guerrae praedictae et magnorum malorum subsequentium hoc erat: comes Guido, circa principium anni, in quo a rege Francorum recessit, filiam suam Philippam desponsaverat unigenito Eduardi, regis Angliae, cum rege Francorum discordantis; quod rex Francorum intelligens, pessimo consilio camerariorum suorum, mandavit comiti Guidoni et uxori suae, quod ad se Parisius venirent. Ad quem quum venissent, interrogavit rex comitem, quare sine licentia sua filiam suam filio hostis sui desponsasset, et utrum Angliae regi magis quam sibi faveret, et si sibi cum ipso resistere vellet. Cui comes respondit, se in tantum servum non esse, quin libere filiam suam posset, quo melius et nobilius valeret, sine sua licentia desponsare, et quod regi Angliae non tam faveret, quin sibi, tanquam domino suo, famulatum, quem debuit, exhiberet, et fidelitatem in omnibus conservaret. Qua responsione rex non contentus nec pacatus, praecepit comiti et uxori ejus, ne Parisius exirent, antequam filiam ipsorum penes se haberet, filio regis Angliae desponsatam. Quod praeceptum audientes, videntesque se malignitate praeventos, coacti premiserunt, filiam suam a militibus regis de Flandria tolli et ad ipsum regem Parisius deduci, quae fuit ab ipso capta et detenta usque ad diem mortis suae. O vere vilissimum genus guerrandi et proeliandi, tam nobilem regem et potentem sponsam hostis sui sic dolo tollere et incurialiter captivare! Comes igitur et comitissa Namurcensis, uxor sua, Flandriam reversi sunt, et de hoc facto plurimum offensi, ad regem nunquam venire, qui sic eos deceperat, proponentes, alligantiam sivi colligationem cum rege Angliae adversum regem Francorum componebant.

Anno Domini MCCXCVIII, circa finem mensis Septembris, obiit comitissa Isabella, uxor comitis secunda. Circa finem dicti anni, Robertus, primogenitus comitis, pro patre debili et antiquo, Romam pro pace cum rege, de consilio papae, si fieri posset, habenda proficiscens, multas ibi expensas faciens nihil



profecit, quia reges Franciae et Angliae aliquo modo concordantes, papa Bonifacius VIII juravit, ut dicitur, domino Roberto, quod, si in praedictam concordiam concordaret, passum pedis de terra patris sui non amitteret, unde in eam concordavit praedictus dominus Robertus. Tunc etiam rex Angliae ab eodem papa dicitur fuisse absolutus a juramento, quod fecerat comiti in Gandavo.

Anno Domini MCCXCIX, instante hyeme et exitu treugarum, comes Guido, propter senium et debilitatem ulterius laborare non valens, gubernationem terrae Flandriae primogenito suo Roberto tradidit, ipse vero ad castrum et praesidium de Ruppellamunda se contulit. Robertus autem derelictus a papa et rege Angliae, qui tunc sibi non nocuerunt, paravit se, quantum potuit, ad resistendum Francorum regi, sed non valuit. Nam circa Epiphaniam venit dominus Karolus, frater regis, Brugas cum magno exercitu, circiter cum mille quingentis equitibus et balistariis multis. Brugenses autem majores omnes et de communitate aliqui valde erant contrarii comiti et filiis suis, valde etiam indignabantur, quod non poterant uti portu suo marino propter villam de *Dam*, quam comes fecerat muniri tam fortiter, quod inexpugnabilis erat. Unde dominus Karolus cum suis et Brugensibus multa gravamina intulit terrae Flandriae. Nam primo aggressus est dominum Philippum de *Maldeghem*, scilicet XVI kal. Februarii, qui Philippus miles contraxerat sibi exercitum modicum circiter mille virorum peditum, de sua terra et aliis partibus Flandriae, praecipue Wasiae, quos minus prudenter in loco non tuto circa mansionem suam collocavit. Qui cum ipso Philippo, adversus Francos et Brugenses modicam resistantiam facientes, in brevi confusi sunt. Ceciderunt autem ex eis circiter quadringenti, et reliqui fugerunt, Philippus vero captus est, et villa sua campestris, scilicet *Maldeghem*, concremata. Tempore vernali, praedictus dominus Karolus cum sibi adhaerentibus multa damna fecit ruralibus hominibus circa Ypram et Donsam et Gandavum et *Dam*, sed dictis villis, eo quod erant bene munitae, nocere non potuit. Robertus enim, comitis primogenitus, tenuit Gandavum; Wilhelmus, frater ejus, *Dam*, et Guido, etiam frater ejus ex parte patris, Ypram. Villa Duacensis se Karolo reddiderat, antequam Brugis adveniret vel Flandriam intraret.

Anno Domini MCCC, circa finem Aprilis, comes Guido, deficientibus expensis et ab amicis omnibus quasi derelictus, imo et ab aliquibus, ut videbatur, seductus, tradidit se Karolo, fratri regis Francorum, et terram suam,

cum Roberto, primogenito suo, et Wilhelmo, et circiter XXV militibus. Karolus autem duxit eos Parisius ad fratrem suum regem, qui rex posuit Guidonem comitem in Compendio sub tuta custodia, Robertum autem et Wilhelmum et alios milites posuit in diversis castris regni sui in prisione. Johannes autem et Guido, juvenes milites, et Henricus puer, filii comitis de secunda uxore, profecti sunt in Namurco ad comitatum, in terram matris suae. Wilhelmus Juliacensis factus est praepositus in Trajecto superiori.

Per totum istum annum fuerunt indulgentiae plenissimae Romae visitantibus limina apostolorum, a papa Bonifacio VIII concessae; unde maxima multitudo peregrinorum ad curiam properavit.

Postquam comes se tradiderat regi, rex in tota terra Flandria, quasi proconsulem et praesidem, vel superiorem ballivum, posuit Jacobum de Sancto Paulo, avunculum reginae Franciae et fratrem comitis Attrebatensis, et comitis Blesensis, et comitis Sancti Pauli. Qui omnes amicos comitis et etiam militum captivorum, et filios occisorum in diversis proeliis et obsidionibus, et potissime manentes extra villas principales graviter afflixit, nitebaturque totam terram redigere in maximam servitutem, et omnes annihilare libertates; unde factus est populo terrae invisus et odiosus.

Anno Domini MCCCXI, circa finem Maii, venit rex Philippus cum regina Navarrae, uxore sua, tanquam novus princeps et immediatus dominus, in Flandriam, et cum eo venit etiam Johannes, comes Hannoniae, qui patrum suum in multis laeserat et de terra sua juvaverat expelli. Venit autem rex cum magna pompa et gloria, ludendi causa et videndi terram et optimas villas Flandriae, sed ludus iste sibi et suis postea fuit causa et occasio tristissimi et gravissimi eventus. Venit enim primo Duacum, deinde Insulam, postea Gandavum. Gandenses autem honorifice sibi obviam processerunt, omnes novis vestimentis induti, majores duobus modis, quia dissidebant inter se, et communitas omni modo; feceruntque sibi ludos diversos, et scabini miserunt sibi exenia magna et copiosa. Scabini igitur et majores Gandenses in exeniis missis regi et reginae, et hastiludiis pro ipsis celebratis, bene expenderunt usque ad XXVII millia librarum. Quum autem rex ingrederetur Gandavum, communitas quae sibi occurrit, fortiter acclamavit et instanter ab ipso petiit, quod liberaretur de quadam gravi exactione, quae erat in Ganda et in Brugis, super omnia venalia et specialiter super cervisiam et medonem, quam Gandenses vocant malam pecuniam, Brugenses assisiam. Rex autem, quia jucundus et

novus erat adventus ejus, annuit precibus acclamantium, quod majoribus villae multum displicuit, quia multa solebant de dicta exactione habere emolumenta, sicut et in Brugis. De Ganda profectus est rex in *Ardemborch*, et deinde in *Dam*, postea in Brugis. Brugenses autem sibi occurrerunt cum paramentis vestimentorum excessivis, et diversis ludis, miseruntque ei exenia magni valoris. Inhibuerant autem scabini et majores Brugenses communitati, sub poena capitis, ne quis ipsorum pro deletione assisiae regi acclamaret, vel apud ipsum preces funderet, sicut fuit factum in Gandavo. Ex hoc igitur communitas offensa in occurso regis stetit quasi muta, ita quod rex de hoc, ut dicitur, mirabatur. Postquam autem rex profectus est in *Winendale*, mansione quondam comitis valde pulchra, scabini et majores Brugenses volentes, quod exenia facta regi et ornamenta vestium, quae sibi pro occurrendo regi paraverant, de assisia solverentur, et quod collobia vel indumenta communitatis solverentur ab ipsorum de communitate propriis bonis, adhuc gravius communitatem irritarunt; unde facta est commotio magna et dissensio in villa, cujus commotionis magnae origo dicitur fuisse quidam textor, nomine Petrus, cognomine Rex, cum aliquibus sibi adhaerentibus. Unde ballivus, de consilio majorum Brugensium et scabinorum, ipsum cum XXV circiter capitaneis communitatis cepit, et in prisione regis, quondam autem comitis, quae vocatur Lapis reclusit. Quod factum ut innotuit communitati, sicut commota et provocata concurrens, prisionem aperiri sibi a tenentibus eam coegit, ipsosque scilicet Petrum et suos omnes eduxit illaesos, et sic turbatio ipsorum aliquo tempore quievit, tamen cum timore de malivolentia majorum. De *Winendale* rex profectus est Ypram, et de Ypra in terram suam reversus est. Circa finem Junii, in vigilia apostolorum Petri et Pauli, Gandenses sanctum Livinum in *Houtem* ferentes, cum hominibus ruralibus et aliis, festivitatem et dedicationem quamdam ibidem frequentantibus, discordare incipientes, ab eis vulnerati et male tractati sunt; erant enim de ista discordia improvisi. Quod factum ut communitas Gandensis cognovit, armata manu et cum signis bellicis exiens, villam campestram de *Houtem* concremavit, multos ibidem vel occidit vel vulneravit, et gravia damna intulit monasterio sancti Bavonis. Post recessum regis et reginae de Flandria, Jacobus praedictus de Sancto Paulo, adhuc a rege praeses et praefectus Flandriae relictus graviter, sicut homo animosus ut erat et superbus, accepit contumaciam civitatis Brugensis, quod prisionem regis confregisset; hoc est, per coactionem fecisset aperiri; unde con-

gregato exercitu circiter quingentorum equitum, ipsum juxta Brugas collocavit, et mediante consilio Joannis de Ghistella militis, qui semper civitati fuerat infavorabilis, et majorum Brugensium, nitebatur quibusdam subtilitatibus et deceptionibus, factum communitatis vindicare et ipsam subpeditare. Inito igitur consilio, ad signum cujusdam campanellae<sup>1</sup>, ad hoc ab ipsis ordinatum, omnes majores se armaverunt, communitate nihil mali cogitante, proponentes cum adjutorio Jacobi praedicti, extra villam cum exercitu suo se tenentis; et quem, quum bellare incepissent, per quamdam portam intrmittere intendebant, prope destruere totaliter et enervare communitatis potestatem. Quod ut communitas comperit, currens ad arma, majoribus ipsam ad signum praedictum incedere incipientibus virilissime restitit, ipsosque majores ad locum tutum, qui vocatur Burgus, juxta sanctum Donatianum, fugere compulit, deindeque locum furiose aggressa, ipsum violenter obtinuit; et aliquos de majoribus occidit, multos vulneravit, reliquos ducens captivos. Quum autem communitas coepit praevalere, Johannes de Ghistella de villa fugit, et Jacobus de Sancto Paulo villam ingredi non est ausus. Ista pugna facta est circa medium Julii, quadam feria quinta. De dicta pugna praedictus Jacobus graviter indignatus, convocato in consilium et in auxilium sui fratre suo comite Sancti Pauli, et magno exercitu nobilium Flandriae et majorum aliarum villarum Flandrensium, juxta Brugas resedit<sup>2</sup>; et agentibus quibusdam mediatoribus, talis pax inter dictum comitem et fratrem suum ex una parte, et villam Brugensem ex altera inita est, quod illi de communitate, qui se reos de dicta commotione et pugna cognoscerent, infra statutum tempus, villam Brugensem et terram Flandriam exirent, nunquam reversuri, ut banniti, quod et fecerunt Petrus, dictus Rex, et sequaces sui; reliqui autem de villa comitis et fratris sui dicto et judicio de omnibus starent. Ingressi igitur comes et frater suus villam, vindictam acerbam exercere non sunt ausi, sed primo prudenter, ut eis videbatur, turres lapideas et portas quasdam fecerunt destrui, turres ligneas, munitiones omnes in fossatum dejici ipsumque impleri alicubi, et aggerem, qui villam cingebat, in aliquibus locis confodi et dirui, dicentes et judicantes, omnes libertates et nobiles consuetudines cunctaque privilegia, a regibus Franciae vel comitibus Flandriae villae concessa, fore per dictam pugnam amissa; quod dictum et judicium tam majores quam minores graviter

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* habet: pulsum cujusdam campanulae.      <sup>2</sup> *Idem*: recessit.

acceperunt. Unde de ipso hyeme sequenti inter comitem dictum et fratrem suum et villam in curia regis lis orta est. Circa finem aestatis, dictus comes in Franciam reversus est; fratre suo, sicut prius, praefecto Flandriae relicto, qui isto anno et praecedenti duobus fortissima castella et praesidia cum pecunia regis Franciae fecit fieri, unum in Insula et alterum in Curtraco. Incepit etiam unum in Brugis, quod non perfecit. Hyeme sequenti, Johannes comes Namurcensis et Guido, frater ejus, filii comitis, cum Wilhelmo Juliacensi, praeposito Trajectensi, filio sororis suae, tacti dolore cordis de crudeli captivitate et injusta patris et fratrum suorum, sicut homines animosi machinari coeperunt et abdita habere consilia, cum aliquibus amicis suis de Flandria, et nuntios et litteras mittere ad aliquos de communitatibus Flandriae commotis et disturbatis, pro ditissima terra majorum suorum recuperanda. Unde circa medium hyemis Petrus, dictus Rex, cum sequacibus suis de consilio ipsorum, Brugas est reversus, et in tantum; apud textores suos et fullones et aliquos alios de communitate, potens effectus est. Attraxit enim eos, ut erat facundus, mitibus et dulcibus verbis, quare ballivus regis et scabini et majores Brugenses ipsum et socios suos tangere non audebant. Circa finem autem hyemis et incipiente vere, nuntii villae Brugensis, in curia regis finem placiti sui erga comitem Sancti Pauli et fratrem suum obtinere, et libertates suas et privilegia sua recuperare non valentes, indignati et irati reversi sunt in Flandriam, et Petrus, dictus Rex, apud communitatem Brugensem in tantum convaluit, quod publice inhibuit illis, qui aggerem munitiois Brugensis diruerunt et fossatum ex parte Jacobi de Sancto Paulo repleverunt, ne mandatum ipsius ulterius exsequerentur, minavitque eos de aggere. Quod intelligentes ballivus regis et judex suus, et scabini Brugenses, et multi de majoribus timentes suis capitibus de villa fugerunt, et Petrus cum suis quasi domini manserunt in ea. Tali existente statu villae Brugensis, circa medium Martii dura accidit commotio in villa Gandensi, Brugensibus multum grata et consolatoria. Nam scabini et majores volentes quod debita, contracta pro exeniis regi factis, de praedicta exactione solverentur, dominica quarta Paschali, publice ex parte Jacobi de Sancto Paulo, ballivo praesente, fecerunt proclamari, quod dicta exactio, quam rex indulserat communitati, eamque deleverat, ut ita loquar, curreret et staret in pristino vigore. Quod communitas audiens, ferociter coepit fremere et acute conqueri et murmurare, specialiter quia fuit proclamatum, quod quicumque contrarius esset edicto majorum, de villa et patria banniretur vel

decapitaretur. Concurrentes igitur et colloquentes circa crepusculum, illi de communitate mutuo sibi condixerunt, quod in crastino nullum opus mechanicum exercerent, sed otiant et conferrent inter se, quomodo dictam exactiorem possent amovere. Hoc intelligentes ballivus regis et scabini et majores, coadunato consilio, in aurora armaverunt se circiter octingenti, circa ortum solis incedentes per vicos et plateas, cum cuneis suis XXX vel XL vel L viri, proponentes illos de communitate, qui nolent operari, capere vel trucidare. Videns igitur communitas majores armatos, et audiens aliquorum verba contumeliosa, ad tempus siluit, multis ex ea ad opus accedentibus. Sed circa horam tertiam illius feriae secundae, quae erat crastina dominicae quartae, quidam de communitate occulte se armaverunt, acceptisque vexillis et signis suis bellicis, processerunt in publicum percutientesque pelves suas, quia ad campanam villae accedere non audebant, totam communitatem commoverunt, quae tota surgens de opere suo armavit se, et concurrans cum majoribus coepit proeliari, ipsisque praevalens ballivum et scabinos et plures ipsorum, circiter DC, ad castrum quondam comitis, juxta sanctam Pharahildem, fugere compulit. Reliqui unusquisque in domum suam reversus est. Communitas igitur furibunde commota et conglobata, dictum castrum cum balistariis circumquaque oppugnans, ante nonam ipsum obtinuit, reddentibus se majoribus, de quibus duos scabinos occidit et XI alios circiter C graviter vulneravit. Reliquos cum ballivo sibi fidelitatem jurare coegit, alioquin omnes occidisset. Hoc factum Jacobus de Sancto Paulo, vir arrogans et elatus, indignantissime accepit; et quibusdam mediatoribus, qui libenter inter ipsum et communitatem Gandensem pacem procurassent, acute respondit, mandans per eos ipsi communitati verba comminatoria, altitona et excessiva.

Anno Domini MCCCII, incepit dura et mortifera, longo tempore concepta et implacabilis guerra, quae tandem ad partem devenit cum horribilibus et copiosis profluentibus sanguinibus hominum innumerorum<sup>1</sup>, inter Philippum regem et omnes vassallos et subditos utriusque regni sui, scilicet Franciae et Navarrae, et comitem Hannoniae praenominatum, et omnes viros industrios et bellicosos, quos dictus rex conducere vel attrahere sibi potuit, de diversis comitatibus, ducatus et regnis, extra duo regna sua pretio vel prece, ex parte una; et prolem comitis capti Guidonis et communitates Flandrenses, tam

<sup>1</sup> *Cod. Gand. universorum.*

habitantes in villis quam habitantes in agris vel in campis, et aliquos nobiles Zelandenses, paucos respective, qui de terra sua expulsi fuerant, ut postea patebat, ex altera. Nam circa principium Maii, communitate Brugensi et Gandensi sic commotis, et Jacobo de Sancto Paulo utrique interitum et totale excidium comminante, valentissimus et maximi cordis juvenis Wilhelmus Juliensis, clericus praepositus Trajectensis, de consilio avunculorum suorum Johannis et Guidonis, venit Brugas, et receptus est a villa Brugensi et Damensi et Ardemburgensi, loco avi sui, acceptaque de communitate Brugensi in societate, incendit mansionem domini de *Ziessle* militis, qui infavorabilis fuerat avo suo, et fecit oppugnari mansionem pulchram quondam avi sui, quae vocatur *Male*, et quae fuit aliquatenus munita, in qua erant homines regis. Quam mansionem communitas Brugensis cum multo labore et vulneribus obtinuit, interfectis omnibus, quos in ea invenit. Istud intelligentes aliqui de communitate Gandensi, favorabiles comiti et proli suae, venerunt Brugas pro facienda colligatione inter communitatem Brugensem et Gandensem ad resistendum regiae potestati. Ad quam colligationem Brugeses multos voluntarios invenerunt. Sed reversi Gandavum dicti amici comitis aliter dispositam communitatem reppererunt, quam crediderant, quia consilio et persuasione aliquorum majorum de villa, qui vocabantur Liliardi, (quia rex in scuto fert multa lilia); et etiam aliquorum ditiorum de civitate, qui formidabant potentiam regis et amissionem suarum opum, major pars communitatis in dictam colligationem consentire noluit, sed se tenere ex parte regis. Liliardi etiam procuraverunt a Jacobo Sancti Pauli mittenti<sup>1</sup> communitati Gandensi per mediatores verba mitiora. Dicti autem amici comitis hoc videntes, villa sua relicta, cum Brugesibus periculo se dederunt. Jacobus igitur, iis temporibus convocatis episcopo Antissiodorensi et Petro de Flota, milite et domino legum, viris industriis et expertis et malitiosis, summisque consiliariis regis ad consilium suum, congregavit apud Curtracum, de Francia, et Picardia, et Hannonia, et Flandria, nobilium equitum exercitum copiosum, et balistarios et pedites valde multos, quorum numerus in pugna sequenti et aliis proeliis sequentibus a me non ponitur, quia Flandrenses, homines fortes et bene nutriti ac optime armati, de peditibus Francorum quasi non curant; proposuitque vel arte, vel virtute armorum, facta utriusque communitatis ferociter vindicare. Hoc autem intelli-

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* intrante.

gens Wilhelmus Juliacensis, vidensque communiter omnes divites civitatis Brugensis; sicut in Gandavo; potentiam Francorum et industriam valde timere, aliquorum etiam majorum Liliardorum, adhuc in villa existentium, licet multi de ea fugerant, et amicorum ipsorum utrorumque corda cum ipso non esse, sed magis cum rege, caute de villa Brugensi recessit, conferens se ad partem quamdam Flandriae, quae vocatur terra Quatuor Officiorum, ibique avunculus Guido ad eum venit. Petrus autem Rex, assumptis secum circiter mille quingentis peditibus bene armatis de communitate Brugensi, et balistariis centum, venit juxta Gandavum, sperans blandis verbis communitatem Gandensem a rege avertere, denunciavitque multis ex eis, filium comitis et nepotem, si confraternitatem cum communitate Brugensi facere vellent, in auxilium utriusque communitatis prope esse. Sed Liliardi et ditiores de communitate in tantum vulgares, ut praedictum est, sibi attraxerant, quod a rege discedere noluerunt. Imo ipsi Liliardi cum ballivo regis armati villam egressi, acies suas ordinantes, ad bellandum se paraverunt. Petrus autem tunc pugnare nolens de Gandavo recessit. Guido autem et Wilhelmus ad terras suas reversi sunt. Quum autem Petrus de Gandavo Brugas reverteretur, intellexit, quod Liliardi qui in Ardemburgo, audientes, quod Gandenses sibi consentire noluerunt, communitatem subpeditassent, et signa regia, abjectis signis Wilhelmi, elevassent. Iratus itaque valde cum sociis suis villam de Ardemburgo aggressus, licet firmiter munitam, tamen eam obtinuit, et communitatem elevans et signa regis dejiciens, Liliardos oppressit, aliquos occidens. Quum autem de Ardemburgo venisset Burgas, videns communitas Brugensis, quod multa erga regem consilio suo perpetrasset mala, et quod villam Gandensem, sicut speraverat, non obtinisset, et quod Wilhelmus sic ab eis recessisset, ipsum Petrum fere occidisset. Petrus autem, manus communitatis per cautelas evadens, de villa Brugensi et de Flandria fugit ad tempus. Timor igitur maximus et tremor villam totam invasit. Quum ergo tam majores quam minores vidissent, se in arcto et maximo periculo positos, utpote Jacobo de Curtraco versus Brugas exercitum movente, inito consilio, de communi consensu, aliquos de se mediatores, qui ad Jacobum tendant, eligunt, offerentes se velle stare de alto et basso dicto suo et consiliariorum regis praedictorum, diligenti et justa prius facta inquisitione, isto etiam supposito, quod omnes, qui erant in villa, se in aliquo contra ipsum et regem culpabiles cognoscentes, infra tempus statutum de villa et patria recederent, et sic ipse Jacobus, postquam



recessissent, villam intraret. Habito igitur per dies aliquot super oblatione praemissa diligenti tractatu, in eam ab utraque parte concordatum est, hoc etiam addito, quod Petrus de Flota mediatoribus promisit, quod ipse et Jacobus, nonnisi cum CCC equitibus quasi, amicabiliter villam intrarent et sine armis. Tunc quadam feria IV, scilicet XVII kal. Junii, in villa Brugensi publice proclamatum est, quod omnes, qui sibi de inquisitione facienda timerent, ante nonam diei crastinae villam exirent. Quod fecerunt circiter V millia virorum, paulatim feria IV, illa et nocte sequenti et crastina villam relinquentes; collocaverunt se in *Dam* et *Ardemburgh* et *Oostburgh* et super littus portus marini, qui vocatur *Zwin*. Venientes autem quidam ex iis in *Dam*, invenerunt ibi coquos et multos de familia Jacobi et magnam copiam vini et cibariorum, quem praemiserat ad provisionem exercitus sui Brugas, et ibi quasi in proximo venturi et permansuri, de quibus scilicet coquis et famulis Jacobi aliquos occiderunt, multos vulneraverunt, vina et cibaria rapientes et consumentes. Feria igitur V, scilicet XVI kal. Junii, Jacobus et Petrus de Flota praedicti circa horam vesperarum de promisso et conducto, scilicet quod cum trecentis equitibus venirent sine armis, non curantes, cum mille septingentis equitibus optime armatis, et balistariis, peditibus quoque multis valde, villam Brugensem intraverunt, episcopo Antissiodorensi in Curtraco relicto. Jacobus etiam, ut videtur, elatus et indignatus se continere non potuit, quin aliquibus de communitate sibi occurrentibus aspera inferret verba, vultumque eistorvum ostenderet et crudelem, ex quibus omnibus illi, qui de communitate in villa remanserant, pelli suae timentes, aliqui ex iis, ut dicitur et ut videtur per effectum consequentem, sociis suis, qui villam exierant, circa crepusculum mandaverunt, quod, si vellent salvare vitam suam, uxorum, filiorum, filiarumque suarum et etiam amicorum et villam Brugensem, circa auroram omnes redirent, cum Francis pugnaturi, ad quod voluntarii inventi sunt et parati. Quumque feria quarta praedicta Gallici vel Franci coenassent, et Jacobus ordinasset milites et equites multos et pedites, qui villam per noctem sequentem usque ad auroram vigilantes custodirent, illicque, expleta custodia sua, ad quietem inissent, aliis pro eis ordinatis, dispositis et armatis, ecce circa ortum solis feriae sextae sequentis illi, qui villam exierant, adductis secum multis Flandrensibus, vel precibus vel minis, de *Dam* et aliis villis campestribus et terris, in quibus brevi tempore latuerant, ad villam Brugensem armati revertuntur, ipsam per fossatum in aliquibus locis repletum et per

aggerem dirutum et per aliquas portas intrantes, furioso animo Francos vigilantes ad pugnam provocant, committentesque cum eis ipsos superant, et fugere et terga vertere compellunt, conclamantes, sicut inter se ante dictam pugnam condixerant, duo vocabula, scilicet *scutum* vel *clypeus et amicus*, eo quod *clypeus* in Flamingo cum aspiratione, Franci et Gallici sonare non possunt, et scribitur sic *schilt*. Statim autem ut illi, qui in villa remanserant, hoc intellexerunt, qui prius, aliqui ipsorum veraci, aliqui ficto favore et amore, Francis adhaeserunt, omnes uno corde ad suos contribules victores conversi, Francos tam vigilantes quam dormientes cum ipsis caedere coeperunt ac trucidare, conclamantes cum intrantibus: « *clypeus et amicus.* » Unde Jacobus et Petrus de Flota summo cum timore de villa fugerunt, omnibus paramentis et provisionibus bellicis et etiam rebus suis, exceptis equis, in quibus insidebant, amissis, et de suis circiter mille quingentis occisis et centum captis derelictis. In tanto etiam fuerunt periculo, quod sub Jacobo unus dextrarius fuit confossus, et nisi armigeri sui velociter sibi de alio providissent, ibidem fuisset occisus. Dicunt Franci, suos in hac pugna proditiose fuisse victos et occisos, sed certe, sicut ego diligentius potui investigare, si aliqua ibi proditio fuit, tunc pauci ipsius erant conscii, nec tamen hoc certitudinaliter inveni. Imo potius debent hoc suis imputare, qui minus caute et prudenter villam non bene munitam intraverunt, tot existentibus circa et juxta eam inimicis suis capitalibus, fortibus et bene armatis et quasi desperatis. Jacobus igitur fugiens venit Curtracum, fecitque castro Curtracensi de cibariis et viris bellicosus et machinis bellicis, ad ipsum contra Flandrenses defendendum, provideri. Petrus vero de Flota Insulam profectus est, jurans per Deum, se nunquam Franciam intraturum, antequam de confusione et damno sibi factis esset vindicatus. Post dictam pugnam mitior et blandior coepit haberi tractatus inter Jacobum et Gandenses: misit enim Gandavum de suis viros industrios, qui communitati in omnibus, quae petebant, amicabiliter acquieverunt, et hoc ne Gandenses, sicut Brugenses, contra regem et ipsum rebellarent. Tunc politia sive civitas Gandensis mutata est. A longis enim temporibus fuerant in ea XXXIX scabini, de majoribus et nobilioribus, qui communitatem valde deprimebant, et de tertio in tertium annum villam regebant, semelque per totam vitam scabini remanebant. Sed modo ad petitionem communitatis, ab ipsa et de ipsa, ex parte regis XIII scabini electi sunt, qui uno anno villam regerent et postea nunquam, nisi denuo eligerentur. In

Brugis etiam scabini et rectores de communitate positi sunt. Post pugnam praedictam, tertio vel quarto die, Wilhelmus Juliacensis et Petrus Rex Brugas reversi sunt et a Brugensibus amicabiliter recepti. Assumpto igitur Wilhelmus exercitu de Brugis et territorio Brugensi, statim quod, expulsis et effugatis Liliardis, sibi toto corde adhaerebat, mansionem quondam avi sui *Winendale* obsidebat, relictisque circa eam de territorio sufficientibus viris ad obsidendum, qui eam postea infra tres hebdomadas obtinuerunt, omnibus, qui ex parte regis in ea erant, cum rebus ad eos pertinentibus, libere exire permissis. Non enim potuerunt eam obtinere violenter, quia fuit satis munita muro latericio et fossato magno. Ipse cum exercitu suo versus terram Slipensem, Furnensem, Bergensem, Brugburgensem circa finem Maii profectus, omnes istas terras obtinuit, reddentibus se sibi et adhaerentibus libentissime et toto corde omnibus vulgaribus, qui a Francis et Liliardis suis fuerant oppressi et quasi ad servilitatem redacti. Quumque venisset juxta Bergas cum exercitu suo valde magno, Franci et Liliardi circiter equites septingenti in ea existentes<sup>1</sup>; licet villa esset bene munita, tamen non confidebant de habitantibus in ea: non sunt ausi usque ad obsidionem ipsam expectare, sed de ea fugientes ad villam Sancti Audomari se contulerunt, unde Wilhelmus sine labore obtinuit. De Bergis profectus versus Casletum, tota terra et villa Casletensi voluntarie se reddente, solum castrum Casletum, quod erat in cacumine montis, sicut et fortissimum et a Jacobo cibariis et machinis bellicis et viris strenuis bene provisum, sibi restitit; quod obsedit longo tempore et oppugnavit. Circa principium mensis Junii, Guido Namurcensis, filius comitis, venit Brugas, qui jucundissime a villa et patria et territorio receptus, assumens secum exercitum competentem profectus est Curtracum, reddentibusque se sibi voluntarie villa et territorio Curtracensi et Aldenardensi, Liliardis omnibus effugatis, castrum Curtracense obsedit et oppugnavit. Erat enim miles probissimus et generosus<sup>2</sup>, unde omnes Flandrenses, amici patris sui, de praesentia ipsius et Wilhelmi, animosi ut leones effecti sunt. Villa etiam Yprensis se sibi tradidit; tamen Liliardi in ea dominantes remanserunt; qui invite villam sibi tradidissent, nisi ipsum et propriam communitatem sibi faventem timuissent. Unde, ut involuntarii, non miserunt sibi sub suis expensis et de propria communitate nisi quingentos pedites, cum aliquibus balistariis, ad castrum Curtra-

<sup>1</sup> *Cod. Gand.*, exeuntes.

<sup>2</sup> *Idem*: gratiosus.

censis oppugnationem. Villa Gandensis regi adhaesit instinctu et consilio Liliardorum, quamvis fere tota communitas comiti faveret. Jacobus igitur videns Guidonem et Wilhelmum sic prosperari, et se iis resistere non posse, Petro de Flota cum exercitu, quem congregare poterat, in castro et villa Insulensi relicto, ad regem et reginam, filiam sororis suae, se contulit, maximam deponens querimoniam de injuria, anxietate et damno sibi illatis a Flamingis, simulque ostendens<sup>1</sup>, in omnibus praedictis gravissime laesam esse regiam majestatem. Unde rex, de consilio baronum et camerariorum suorum, sic enim vocantur intimi consiliarii sui, convocata omni militia Franciae, Campania, Normanniae, Picardiae, Pictaviae, quam contrahere poterat, conducta etiam magna multitudine militum peritorum in bellis, et nobilium extra regnum suum, scilicet de ducatu et comitatu Lotharingiae, Brabantiae et Hannoniae, congregavit exercitum fortissimum et copiosum, posuitque super eum pro se ducem Robertum, comitem Attrebatensem, cognatum suum, et avunculum reginae, virum fortem et nobilem et animosum et a juventute in proeliis exercitatum et expertum in torneamentis: fuerat enim in quinque vel sex mortiferis bellis triumphator. Circa finem mensis Junii, Robertus comes profectus<sup>2</sup> cum omnibus comitibus fere et baronibus Franciae ad bellum aptis et exercitu, quem rex congregare poterat, circiter X millium equitum, et balistariorum et peditum numerum tam maximum, quod exprimere non audivi, venit Insulam. Quod Guido et Wilhelmus per exploratores cognoscentes, et etiam quod versus Curtracum exercitum suum ducere proposuit, ut Flandrenses de obsidione castri abjiceret et abigeret, si posset, eo quod in castro existentes ex parte regis nonnisi ad spatium duorum mensium erant provisi, Wilhelmus, relictis satis multis ad obsidendum castrum Casletum, assumpto secum exercitu magno de Flandria occidentali, ad avunculum suum Guidonem Curtracum profectus est.

Circa istud tempus tanta fuit caristia et fames in Gandavo, quod vulgares communiter pane facto de avena vescebantur; villa enim Gandensis se tenuit cum rege, toto territorio circumjacente cum Guidone et Wilhelmo existente, et ideo frumentum et alia victualia nonnisi furtive in ea poterant introduci. Magna fuit in Gandavo dissensio, quod vulgares favebant comiti, et Liliardi et ditiores regi, et ideo saepe timebatur de bello intes-

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* dicens.

<sup>2</sup> *Idem.* : praefectus.

tino inter eos. Circa principium mensis Julii, Robertus exercitum suum movit de Insula, profectus versus Curtracum, castraque metatus est juxta dictam villam per distantiam quatuor vel quinque stadiorum. Franci autem Flandriam intrantes Flamingantem, ut ostenderent ferocitatem animi sui, et Flandrenses terrere volentes, non parcebant mulieribus, nec infantibus, nec decrepitis, quin eos occiderent, quos invenire poterant; imo et imagines sanctorum in ecclesiis, ac si homines fuissent vivi, decapitaverunt, alia eis et membra amputantes. Hoc autem factum Flandrenses non terruit, sed magis ad iram et furorem et ad crudeliter pugnandum animavit et provocavit. Guido igitur et Wilhelmus, cognito adventu inimicorum, quos summe oderunt, alacres et laeti congregaverunt exercitum, circiter sexaginta millia peditum fortium et optime armatorum, conveneruntque ad eos omnes fideles corde, qui eos diligebant, non solum de partibus Flandriae, qui cum eis erant et a rege discesserant, sed etiam de Gandavo circiter septingenti viri bene armati, qui villam occulte exierunt, unde et a Liliardis statim propter hoc banniti sunt; omnesque, quos congregaverant, summe cum Francis bellum habere affectabant. Habebant autem Guido et Wilhelmus nonnisi circiter decem milites in toto exercitu suo, inter quos praecipui erant, et in rebus bellicis experti, Henricus de *Lonchy*, de ducatu Lemburgensi, Johannes de *Renisse* de comitatu Zelandensi, Gossuinus de *Gossenhove* de ducatu Brabantiae, Theodoricus de *Hondescote*, Robertus de *Leebberghem*<sup>1</sup>, Balduinus de *Popperode* de comitatu Flandrensi. Isti cum Guidone et Wilhelmo exercitum Flandrensem ordinaverunt et disposuerunt et animaverunt. Et quum, tribus vel quatuor diebus, inter duos exercitus quidam particulares fierent insultus et congressus, circiter quadam feria quarta, scilicet quinto idus Junii<sup>2</sup>, Guido et Wilhelmus per exploratores cognoscentes, quod omnes Franci ad bellum se in mane praepararent, et ipsi hoc idem fecerunt, ponentes Yprenses ad resistendum illis de castro, si exire vellent tempore belli, et aciem longam valde et spissam circa horam tertiam educentes et inimicos in campo praestolantes. Circa horam sextam, Franci armati in campo comparuerunt, qui totum exercitum suum tam equitum quam peditum in novem acies diviserant; sed videntes Flamingos in una acie longissima et spissa stare, audacter paratos ad bellum, de novem aciebus suis tres acies fecerunt, unam ponentes pro custodia retro et

<sup>1</sup> *Leebberghem*, hodie *Leeuwerghem* in Flandria Orientali.    <sup>2</sup> Sic in duobus Codicibus.

cum duabus aliis congressuri. Parum ante nonam commissum est proelium cum horribili fragore et tumultu bellico et mortibus multorum; hostiliterque et crudeliter ibidem pugnatum est, tamen non tempore longo, quia Deus miseratus est Flamingorum, eisque in brevi victoriam contulit, Francosque, qui, sicut clare postea compertum est, si vixissent, crudelia facta in Flandria exercere proposuerant, confudit. Quum autem proelium iniretur, illi, qui in castro erant, sui non obliti, ignem de castro, sicut prius saepe fecerant et multos domos in Curtraco incenderant, ejecerunt, et quamdam domum pulchram, ut Flandrenses terrerent, cremaverunt. Ipsi etiam et equites et pedites de castro, ut Flandrenses a tergo invaderent, egressi, ab Yprensibus eis viriliter et probe resistentibus in castrum reverti turpiter sunt coacti. Comes vero Sancti Pauli, qui tertiam regebat aciem pro custodia de retro deputatam, videns duos fratres suos uterinos cum duabus aciebus succumbere, et esse in periculo mortis, eis auxilium et succursum non praebuit, sed turpissime fugiens campum reliquit. Sicque, Deo disponente omnia et ordinante, coram textoribus, fullonibus, et vulgaribus Flamingis et peditibus, licet fortibus et virilibus, bene armatis et cordatis, et expertos gubernatores habentibus, corruit ars pugnae, flos militiae cum electissimorum equorum et dextrariorum fortitudine; et pulchritudo ac potentia validissimi exercitus conversa est in sterquilinum, factaque est ibi Francorum stercus et vermis. Flandrenses enim propter crudelitatem, quam Franci inter Insulam et Curtracum exerceuerant, exacerbati, succumbentibus Francis, nec eorum equis, quin omnes occiderent crudeliter, donec totaliter de victoria securi essent, non parcebant; quia in exercitu ipsorum, ante inchoationem belli, fuit ex parte principum suorum praeceptum et proclamatum, quod quicumque in bello aliquid pretiosum raperet vel aliquem quantumcumque nobilem captivaret, statim a suis occideretur. Corruit ergo in dicto proelio nobilis et victoriosus princeps Robertus, comes Attrebatensis, cum Jacobo saepe praenominato, fratre suo uterino, qui omnia haec et sequentia pro magna parte brassaverat mala; Godefridus, patruus Johannis, ducis Brabantiae; cum filio suo unigenito, domino de Versona, qui si tum Franci vicissent, ut creditur, nepotem suum, quia ex parte matris fuit de sanguine Flandrensi, de terra sua expulisset vel occidisset, ipsamque obtinens a rege tenuisset; Joannes, dictus sine pietate propter crudelitatem, primogenitus comitis Hannoniae; Petrus de Flota, vir astutus et potens in consilio regis; comes de Albamarla; comes de *Gwi*; dominus de Nigella,

marescallus, id est princeps militiae Franciae, cum Guidone fratre suo, strenuissimo milite; et alii barones et terrarum principes, ita nobiles et magni et potentes, sicut multi Alemanniae comites, usque ad septuaginta quinque. Simples milites plus quam mille, nobiles armigeri multi valde, et peditum quam plurimi ibidem corruerunt; dextrariorum etiam fortissimorum et equorum magni pretii plus quam tria millia confossi sunt in dicto bello. Numerus occisorum in proelio, vel de vulneribus in eo acceptis breviter postea mortuorum, usque ad viginti millia hominum pervenit, multo tamen plures effugerunt. Sed tota militia, quae regi remansit, militiae, quae ibi corruit, dum viveret, non erat aequiparanda. Post victoriam Flandrenses aliquos nobiles ceperunt, qui in campo remanserant, vulnerati fugere non valentes; valde etiam de praeda et spoliis inimicorum suorum ditati sunt, et armis et tentoriis et paramentis bellicis muniti et decorati. Die crastina post bellum praedictum; audientes mane aliqui de communitate Gandensi, favorabiles Guidoni et Wilhelmo, de ipso bello rumores, elevantes vexilla eorum per villam discurrebant, statimque tota villa attonita de rumore crescente signa bellica Guidonis et Wilhelmi sequebatur, signis regis in terram dejectis. Aliqui de Liliardis occisi sunt, et aliqui capti, multi de villa effugati. Elegerunt autem omnes, qui in villa erant, tam communitas quam Liliardi, qui timore ad heredem comitis sunt conversi, quosdam de suis, mediantibus quibus Guidoni villam offerebant, quam ille gratanter suscepit. Die autem tertia post bellum, castrum Curtracense, deficientibus victualibus iis, qui in eo erant, et auxilium a rege sibi adfuturum, ipsis non sperantibus, Guidoni hac conditione redditum est, quod castellanus Lendiensis, qui in eo capitaneus erat, et alii nobiles cum eo remanerent capti, vulgaribus, qui etiam in eo fuerant, cum vestimentis et armis libere incedere permissis. De Flandrensibus, in oppugnatione castri Casletensis et Curtracensis, multi vulnerati sunt et aliqui mortui, quia, qui in eis erant, virilissime se defenderunt. In bello autem Curtracensi, quod auditu mirabile est, vix centum occisi, multi tamen in eo sunt laesi et vulnerati. Instante etiam dicto bello, Petrus Rex textor et multi alii, de quibus prius parum sperabatur, quod ita eis eveniret, milites facti sunt pro militibus, qui de castro se tradiderunt, et qui post bellum in campo capti sunt. Multi qui cum comite tenebantur milites in captivitate, commutati, in Flandriam infra duos vel tres menses sunt reversi. Post bellum Curtracense infra quindenam, Johannes, comes Namurcensis, primogenitus

Guidonis comitis ex secunda uxore, de cuius consilio et instinctu omnia praedicta perpetrata sunt, erat enim astutus valde, de terra sua venit in Flandriam, et a Flamingis, loco patris sui, pro principe tanquam senior filius receptus est. Johannes igitur, Guido et Wilhelmus, assumpto secum magno exercitu de villis et de territoriis Gandensi et Yprensi, Brugensibus relictis, eo quod in obsidione castri Curtracensis et bello multum laboraverant, magnasque fecerant expensas, et aliae dictae villae adhuc quasi nihil pro comite fecerant, circa finem Julii castrum et villam Insulensem obsederunt, fortiter utraque oppugnantes. In qua oppugnatione strenue se habebant Liliardi, qui in Flandria remanserant; ita enim eos oportebat, si gratiam principum habere vellent. Franci autem, qui erant in castro, et majores Insulenses, qui pro majori parte Liliardi erant, timore concussi, feroci et audaci insultu hostium, quibus, ut certi erant, communitas Insulensis favebat, ad Johannem mittunt mediatores, offerentes, castrum et villam se velle ei reddere circa medium Augusti, si ante dictum tempus a rege non possent succursum et auxilium obtinere; ea etiam conditione, quod omnes, qui de castro et villa tunc vellent<sup>1</sup> exire et se cum rege tenere, libere cum omnibus ad eos pertinentibus recedere permittantur. Quam oblationem Johannes libenter suscepit: unde exercitum de Insula movens versus Duacum cum Guidone et Wilhelmo profectus est. Villa autem Duacensis favebat ei magis, quam regi, exceptis paucis Liliardis, unde Duacenses, intelligentes conventionem factam inter ipsum et Insulenses, etiam eandem sibi obtulerunt. De qua oblatione alacer effectus est; sciebat enim, infra breve tempus regem eis succurrere non posse. Collocavit ergo exercitum suum in optimo loco juxta Duacum, ad distantiam duorum milliariorum, qui vocatur Novus Agger, super fossatum quoddam, quod comitatum Flandrensem inter duas paludes muniens ipsum dividit a comitatu Attrebatensi. De quo loco Flandrenses, terram Attrebatensem incursantes, plura Attrebatensibus intulerunt damna, contra tamen voluntatem principum suorum, villam bonam bene munitam, quae vocabatur *Henines*, et alias multas villas campestris concremantis, et bona in eis inventa rapientes. Et ideo Johannes, videns in exercitu suo multos esse de communitate discolos et taediosos, et quos rapere tam ab amicis, quam ab inimicis inopia coegit, ante tempus conventionem praefixum communitates ad propria remisit, retinens secum milites et armigeros, et aliquos de majoribus villarum sibi fideles. Fuit enim

<sup>1</sup> *Cod. Hamb.* habet: nollent; *Cod. Gand.* non vellent.



certificatus per exploratores, quod rex exercitum competentem ante dictum tempus non poterat congregare.

Circa medium Augusti, castrum Insulense et Casletense, et villa Insulensis et Duacensis cum territoriis suis Johanni reddita sunt, omnibus exire Flandrensibus volentibus libere cum pertinentibus ad eos recedere permissis. Solum castrum de Tenremonda, cui Godefridus de Brabantia, hostis Flandrensium praedictus, ante bellum Curtracense de victualibus et viris bellicis providerat ad longum tempus, Flandrensibus resistebat. Quod castrum Flamingi Wasesenses diu obsidentes et oppugnantes cum multis laboribus et expensis, tandem hyeme sequenti ipsum obtinuerunt; fuisset enim eis nocivum nimis.

Circa finem Augusti, rex Philippus, coadunato maximo exercitu circiter viginti millium equitum, non tamen in probitate similium illis, qui in Curtraco mortui sunt, et quasi innumerabilium peditum; convocaverat enim fere omnes communitates regni sui, quae prope Flandriam erant per distantiam centum milliarium, venturus versus Flandriam; ut, si posset, se de Flamingis vindicaret. Castraque metatus est extra terminos Flandriae juxta et circa villam campestem, quae vocatur Vitriacum, distantem a Duaco duobus milliariis parvis. Cui Johannes Guido et Wilhelmus, cum exercitu copioso de tota Flandria contracto, audacter et alacriter occurrentes castra posuerunt in loco praefato, qui vocatur Novus Agger, distante a Vitriaco per duo milliaria parva, jacueruntque<sup>1</sup> longo tempore duo exercitus maximi in magnis expensis<sup>2</sup>... multis majoribus, propter multitudinem equorum bellicorum ad currus<sup>3</sup> et carrucas pertinentium. Rex igitur Flandrensium invadere non audebat, videns suos corde pavidos, et propter gravem eventum belli Curtracensis, Flamingorum occursum horribiliter pertimescentes. Johannes etiam, Guido et Wilhelmus regem noluerunt invadere, nisi intrasset terram ipsorum, quia videbatur eis, quod satis gravia sibi intulerant damna; timebant etiam, quod, si eum invasissent et superassent vel effugassent, Franci in impetu irae patrem suum et fratres occidissent. Miserunt igitur ad regem mediatores, pacem cum ipso, vel treugam, vel aliquam viam ad pacem humiliter supplicantes. Itaque pro reformanda inter eos pace, vel eunda treuga, habita sunt parlamenta et statuti dies quamplurimi, sed nullo modo poterant concordari. Erat enim intentio consiliariorum regis negotium protrahere et protelare, quia credebant, quod

<sup>1</sup> Hoc verbum deest in *Cod. Hamb.* <sup>2</sup> Est haec in utroque *Cod.* Lacuna. <sup>3</sup> Abest h. v. in *Cod. Gand.*

Flandrenses pro magna parte vulgares et pauperes, sicut rex dives et locuples, in jacendo cum magno exercitu, et expensis et lucri impedimento, non valerent perdurare, sed in brevi recederent, et sic rex sine resistentia Flandriam intraret. Non tamen ita, imo e contrario eis evenit. Nam Johannes, Guido et Wilhelmus suos precibus et blandis sermonibus ad jacendum stabiliter induxerunt, eosque, quum equis suis necessaria deficerent victualia, quae vulgariter foragia vocantur, ad alium locum tutum juxta *Felines*, et ita propinquum regi sicut priorem, adduxerunt. Juxta quem satis multa victualia poterant invenire et etiam minori numero residere. In quo loco facta est aliqualis dissensio in exercitu Flandrensi. Wilhelmus enim Juliacensis et multi de exercitu omnibus modis Francos et regem voluerunt invadere et finem facere de negotio, unde et ego vidi pontem quemdam factum supra naves quinque, stratum<sup>1</sup> ad latitudinem circiter triginta pedum, ut per eum exercitus fluvium quemdam, qui venit de Duaco versus *Felines*, pertransiret; sed Johannes et Guido et plures alii prudentes et experti, hoc nolentes, praevaluerunt. Itaque circa finem mensis Septembris, rex et exercitus suus, quum inter quinque et sex septimanas in Vitriaco et circa jacuisset, deficientibus eis victualibus pro equis, consumpserant enim omnia foragia, quae per decem milliaria versus Franciam et Hannoniam poterant inveniri, cum maxima confusione de dicto loco recesserunt et aufugerunt, aliquibus indomitis Flamingis contra voluntatem principum suorum eos insequentibus, qui vina et cibaria, quae Franci prae festinatione fugae secum deferre nequibant, voraverunt et rapuerunt. Flandrenses autem redeundo ad propria Tornacum tribus diebus obsederunt, damna plurima dictae civitati circumquaque inferentes. Ipsam tamen, nisi longiori tempore sedissent circa eam, non poterant obtinere, unde bellico tumultu lassati ac expensis maximis per totam aestatem praegravati eam reliquerunt, in tabernacula sua revertentes.

Hyeme sequenti, rex multos solidarios equites et pedites posuit in Sancto Audomaro et Tornaco, ut terram Flandrensem infestarent, qui hominibus ruralibus plurimum nocuerunt, sed et ipsi de nocumentis non evaserunt immunes; quia juxta Casletum super montem quemdam, qui vocatur *Ballemons*, multos occiderunt Flandrenses cautelose, Watinense etiam monasterium, quod Flandrenses munierant, oppugnantes, multos in eo vulneraverunt; sed

<sup>1</sup> *Cod. Gand. factitatum.*

superveniente eis auxilio, cum amissione multorum et maximis damnis, in Sanctum Audomarum fugerunt confusi. Inter Tornacum etiam et Curtracum, juxta quoddam passagium, hoc est strictum transitum cujusdam paludis (est enim Flandria in multis locis protensis paludibus difficillime transibilibus cincta et munita), plurimos amiserunt. Circa principium Martii, Johannes et Guido, congregato magno exercitu de villa et territorio Brugensi et Gandensi, obsederunt villam parvam, sed munitissimam, Lessinum, pro quo longo tempore comes Hannoniae cum patruo suo concertavit, a quo scilicet teneretur. Erat enim domini de Aldenardo, et fecerat dictus comes Hannoniae in eodem anno dominum de Aldenardo per insidias in ea capi, ipsamque obtinens, de ea territorium Geraldimontense et Aldenardense graviter molestabat. Johannes igitur et Guido dictam villam obsidentes cum magno exercitu et ferociter oppugnantes etiam maxima damna terrae Hannoniensi intulerunt. Comes autem Hannoniae cum omnibus servis, tum habebat duos comitatus, scilicet Hannoniensem et Hollandensem, et etiam cum auxilio et consilio Francorum, Flamingos a Lessino abigere vel cum eis bellum committere non est ausus. Circa medium Martii, Wilhelmus Juliacensis congregavit maximum exercitum de villa et territorio Yprensi, Furnensi, Bergensi, Casletensi, ut solidariis, qui se in Sancto Audomaro tenebant, et ipsi villae Sancti Audomari de damnis et nocumentis, terrae Flandrensium versus Casletum ab ipsis illatis, si valerent, redderet vicēs. Insulenses et Duacenses tota hyeme satis habuerunt de onere in defendendo se et territoria sua contra solidarios regis in Lendio et Attrebatō. Sic disposita terra Flandria, annus iste sanguinolentus et multae crudelitatis terminatur.

Anno Domini MCCCIII, circa principium Aprilis, Johannes et Guido cum multis vulneribus suorum et aliquorum mortibus, atrociter enim Flamingi cum machinis bellicis et tornalibus insultibus villam Lessinensem impugnaverant, ipsamque contra opinionem omnium hostium suorum obtinuerunt, abire permissis cum armis suis Allemannis, bellicosis hominibus, quos comes in ea posuerat; et quam virilissime defenderant, multis ex eis vulneratis et aliquibus mortuis. Non enim eam diutius poterant tenere, nullo eis auxilium praebente; domus autem omnes fere dictae villae cum tectis turrium et portarum concrematae sunt, et omnia bona praedata, portae etiam et turrets et muri ita confracti, quod nunquam Flamingis nocere poterit, nisi denuo reparetur. Dicitur dominus de Aldenardo, qui eam munivit, avus domini, tunc

capti, dixisse, quod nunquam Lessinum violenter caperetur, donec auca pro nummo emeretur; et evenit. Nam Flandrenses fere per totam Quadragesimam eam obsidentes, in ultima hebdomade ipsam obtinentes destruxerunt. Raptores autem eorum Hannoniam incursantes plurimas rapuerunt aucas, quas ad exercitum suum reportantes, quia tempus non erat edendi carnes, saepe et libenter quamlibet pro uno pislense<sup>1</sup> vendiderunt. Circa istud tempus, Wilhelmus Juliacensis, qui exercitum magnum in occidentali Flandria congregaverat, in Casleto resedit, statuitque procaciter<sup>2</sup> et indiscrete ac incongruo tempore solidarios regis et villam Sancti Audomari totam, et optime munitam oppugnare *Arke*, scilicet feria quinta, in coena Domini. Promisit ergo in mane Yprenses, qui venientes juxta Sanctum Audomarum, villam de *Arke* campestram, tamen aequaliter contra eos munitam, sibi resistentem cum solidariis regis peditibus, invenerunt: quam viriliter invadentes solidarios fugere compulerunt, villam incendentes. Post Yprenses, ad distantiam unius bonae leucae venerunt Brugenses<sup>3</sup> versus Sanctum Audomarum. Quos vagando et incaute incedentes, ac improvisos de bello et inordinatos, semotos etiam ab Yprensibus, et Wilhelmus<sup>4</sup>, qui adhuc cum Furnensibus et Casletensibus juxta Casletum existens dicitur dormisse vel sudasse, solidarii equites regis circiter octingenti, ex quibus multi erant Liliardi, nobiles scilicet de terra Flandriae, qui de ea erant effugati ut faventes regi, occulta terrae cognoscentes, de nemore quodam, in quo latuerant, invadentes, occiderunt de eis fere mille viros, de quibus tamen multi erant et major pars garsones et aurigae. Hoc audiens Wilhelmus velocius quo potuit suis in adjutorium venit, vidensque, se paucos habere equites et hostes multos, appropinquans eis equos suos reliquit, et omnem exercitum suum pedes pugnare volens, aciem magnam rotundam ad modum cupae vel coronae ordinans, ipseque in medio ejus existens, hostes ad pugnam provocavit, qui insimul<sup>5</sup> cum ipso congredi non audentes, astute aciem suam circumequitabant, explorantes qua parte ei melius nocere possent. Quotquot autem ex eis in tantum aciei Flandrensi appropinquabant, quod eos attingere poterant, moriebantur, et qui ex Flamingis etiam exivit, cito ab incursione equitum ad terram prosternebatur. Sicque stabant fere per duas horas stipendiarii regis Flandrensibus in modico nocentes et e contrario. Post

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* Pariense. Denario parisiensi?

<sup>2</sup> *Idem*: pueriliter.

<sup>3</sup> *Cod. Gand.* Bergenses.

<sup>4</sup> *Idem*: Wilhelmo.

<sup>5</sup> *Idem*: insimiliter.

bellum enim Curtracense nunquam Franci ausi sunt, nec eques nec pedes, Flamingos semper pedes pugnantes insimul<sup>1</sup> cum tota acie impugnare, sed semper eos circumequitantes, quando poterant, per tres vel quatuor eorum aliquantulum<sup>2</sup> invadebant, cito cum equis ab eis resilientes, nec ipsos de acie sua extraherent, et tunc alii ipsos cum impetu ad terram prosternerent. Audientes igitur Yprenses et Brugenses<sup>3</sup> damnum, et Wilhelmum impugnari, velociter in auxilium ejus reversi sunt: quos solidarii vel stipendiarii regis videntes campum reliquerunt, versus Sanctum Audomarum fugientes. Quos Flandrenses quamdiu potuerunt insequentes, aliquos occiderunt, multis eis in strictis passagiis, per quae eos cum festinatione transire oportebat, oppressis vel submersis vel suffocatis. Wilhelmus autem cum toto exercitu suo juxta Sanctum Audomarum venit, ac tota nocte juxta villam cum armis et signis bellicis persistens, feria sexta in *Paschene*<sup>4</sup>, nullò apparente de hostibus, qui secum affligere vellent, inde recessit. Ipse enim de gratiis suis sibi a Deo copiose datis (erat enim pulcherrimus juvenis et maximi cordis et facundus et in plurimis astutus), ingratus et honoris sibi a Deo in victoria hostium suorum collati oblitus, daemones adjutavit et consuluit, libidini vacavit, magorum, incantatorum et flagitiosissimorum hominum servitio et consilio et amicitia utebatur, innumeras pecunias et divitias prodige et incaute expendens, non curans, a quibus eas raperet et extorqueret; unde ut videtur, justo Dei judicio, nunquam post bellum Curtracense in aliquo bello vel negotio bene prosperabatur.

Statim post destructionem villae Lessinensis, de qua supra dictum est, Johannes et Guido naves bellicas et exercitum magnum hominum<sup>5</sup> industrium in bello navali de littore maris in Flandria congregantes, terram Zelandiae invadere, et cognatum suum Johannem, comitem Hannoniae et Hollandiae, impugnare festinabant. Cujus expeditionis haec causa justa eos movebat: ante tempora multa Florentius, comes Hollandiae, sororem ipsorum ex parte patris, non matris, duxerat in uxorem, de qua genuit unicum filium, nomine Johannem, qui in uxorem duxit filiam scilicet regis Angliae. Quum autem guerra inciperet inter Philippum, regem Franciae, et Johannem, comitem Hannoniae ex parte una, et Eduardum, regem Angliae, et Guidonem, comitem Flandriae, et Johannem, ducem Brabantiae, ex altera, de qua supra dictum est,

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* insimiliter.

<sup>2</sup> Deest vox in *Cod. Gand.*

<sup>3</sup> *Cod. Gand.* Bergenses.

<sup>4</sup> *Cod. Ins.* Parascheve.

<sup>5</sup> *Cod. Gand.* LX<sup>m</sup>.

Florentius relinquens socerum filii sui et propinquum et cognatum suum, ducem Brabantiae, adhaesit et alligatus est regi Franciae, pecunia conductus a comite Hannoniae, filio amitae suae. Verum postquam treuga fuit inter reges et eis alligatos, ut supra patet, aliqui nobiles de Hollandia, quos Florentius offenderat, sperantes refugium habere in terram comitis Flandriae et ducis Brabantiae, hostium Florentii, ut aliqui dicunt, de ipsorum consilio, dominum suum per insidias occiderunt. Quo occiso Johannes filius suus, juvenis circiter quatuordecim annorum, cum uxore sua, filia regis Angliae, de Anglia venit in terram patris sui, datusque est sibi de consilio soceri sui et avi quasi tutor et paedagogus, strenuus miles et prudens valde ac formosus, Wulfardus de Bursalia, qui comiti Flandrensi favebat. Hoc intelligens Johannes, comes Hannoniae, qui heres post juvenem Johannem erat Hollandiae, per aliquos amicos suos insidiosè Wulfardum fecit occidi, et Johannem juvenem cum uxore sua quasi capi; veniensque in comitatu Hollandiae factus est ipsius Johannis juvenis quasi tutor et totalis gubernator, et, ut dicitur et multis videtur, postmodum ipsum intoxicavit (mortuus est enim non multo post tempore fluxu ventris). posseditque comitatum, quia mater sua soror fuerat Wilhelmi, quondam regis Alemanniae, a Frisonibus occisi, patrisque Florentii. Quia igitur ab antiquis temporibus comites Hollandiae terram Zelandensem a comitibus Flandrensibus, tanquam bona feodalia, tenere consueverant, et lex sit ac communis consuetudo in comitatu Hollandiae, quod quaecumque aliquis nobilis et ingenuus sine herede de carne propria moritur, etiam si habeat fratres, bona sua feodalia ad dominum superiorem, scilicet comitem, revolvuntur, reliquit tamen in ea secundum communem consuetudinem propinquieribus sibi pro minori quam valeant pretio; et Johannes juvenis, comes Hollandiae, sine herede sic obierat, ut dictum est. Guido comes, antequam a Karolo, fratre regis Franciae, in captivitate fuerat ductus, terram Zelandensem ad se juste devolutam reputans, tanquam dominum superiorem, quidquid in ea juris habuit, Guidoni Namurcensi, filio suo, elegantissimo juveni, tradidit, si eam posset viribus et, favente sibi Deo, obtinere. Itaque Johannes et Guido odiosum cognatum suum, comitem Hannoniae et Zelandiae, qui patrem ipsorum pluries irritaverat, terramque Flandrensem, eo tempore, quo cum rege et Francis guerrabant, hostiliter infestaverat, impugnare et terram patris sui possidere festinantes, relicto Wilhelmo in Flandria contra insultum stipendiariorum regis, congregata classe magna et exercitu valente Flandrensium et nobilium

multorum de Zelandia, filiorum, fratrum, cognatorum et amicorum Wulfardi praefati, portum Brugensem enavigantes versus Zelandiam sunt profecti decimo vel nono kal. Maii. Quibus Hollandenses et Zelandenses domino suo, comiti Hannoniae, faventes, homines fortes et quasi continue bellantes vel mutuo vel contra extraneos, de portu Middelburgensi cum classe magna et exercitu copioso egressi occurrerunt, bellum navale cum Flandrensibus committere cupientes, comparueruntque duae classes et duo exercitus in mari divisi, unus exercitus ab altero, per spatium unius leucae. Videntes ergo nautae Flandrenses, gnari maris, hostes suos habentes beneficium venti, quod est magnum juvamen in mari volentibus proeliari, arte nautica obliquoque navium suarum decursu circumvelantes, et hostibus paulatim appropinquantes, beneficium venti contra eos obtinuerunt. Quod ipsorum nautae cernentes timore concussi fugientes in portum suum sunt reversi. Igitur Guido Namurcensis, probissimus miles, diu in mari manere nolens, septimo kal. Maii, in die scilicet beati Marci, assumptis secum circiter tribus millibus Flandrensibus, octingentis Zelandensibus sibi faventibus et balistariis sibi necessariis, naves suas egressus, terram Zelandensem in insula Walkaria ascendit juxta villam campestram, quae vocatur *Veere* vel *Camphere* et fuerat quondam Wulfardi occisi et postea filiorum suorum, tunc de terra sua expulsorum et cum Guidone existentium. Videntes autem illi de *Veere* domicellos suos, alacriter eos receperunt, ballivum, qui erat ibi ex parte comitis, occidentes. Quumque Guido et socii sui aliquantulum ibidem cibi sumpsissent, nuntiatum est ei, hostes appropinquare proelium cupientes. Qui alacriter surgens de mensa eis cum exercitu suo obviam processit. Commissum est itaque bellum super aggerem quemdam superius et ex utroque latere ipsius aggeris inferius cum ferocissimo et crudelissimo occurso, diuque ex utraque parte crudeliter et viriliter pugnatum est. Sed Hollandenses et Zelandenses acies in principio et in aggressu bellorum ferocis occurso, non diu persistere solent, dum fortes inveniunt resistentes, unde et ibi a Guidone et suis confracti terga praebuerunt. Antequam autem illud bellum inciperetur, audientes Flamingi, qui in mari erant, Guidonem ad terram ascendisse, ascendunt quidam de villa et territorio Brugensi, sine aliquo duce vel capitaneo, circiter viginti quinque viri cum uno vexillo proelium affectantes. Qui videntes a longe aciem magnam circiter duorum millium hostium versus eos venientem, annuerunt sociis suis, qui erant in mari, ut se velociter sequerentur, quod prompto animo perfecerunt, unus

post alium ascendentes : quumque erant circiter centum quinquaginta , versus hostes incedebant , crescente continue ipsorum societate , conveneruntque duo hostiles exercitus super strictum aggerem , ut non nisi quatuor vel quinque viri armati in fronte lateraliter pugnare poterant , et habebat agger ille ex utroque latere aquam profundam satis. Pugnatum itaque est ibi acriter valde , tam Flandrensibus quam hostibus suis ex utroque latere aggeris cadentibus in aquam. Sed tandem Flandrenses praevalentes suos de aqua extraxerunt , hostesque suos , qui in aquam ceciderant , submergi coegerunt , et fugientes cecidendo insecuti sunt. Occisi sunt ibi vel submersi ducenti ; reliqui , relictis armis , plurimis ex eis vulneratis , aufugerunt. Erat autem locus , in quo istud bellum fuit , distans a loco , in quo Guido et sui proeliabantur , circiter per dimidium milliare. Audientes autem a quodam nuntio illi , qui hic vicerant , quod Guido et sui cum hostibus pugnarent , omittentes diu insequi hostes suos , versus ipsum , qui suos hostes jam victos insequabatur , profecti sunt ; videntesque eos illi , qui cum Guidone erant , a longe , cum magna acie versus eos venientes , putabant ipsos esse inimicos , unde hostes suos insequi omittentes aciem ad pugnandum componebant. Sed quum appropinquassent et per signa bellica eos amicos cognoscerent , et quod hostes suos etiam sicut ipsi vicerant , postea intelligerent , gavisus sunt valde. In utroque igitur bello multo plures Hollandenses et Zelandenses fuissent occisi et capti , nisi talis casus accidisset. Johannes Namurcensis in neutro fuit bello , de quo valde doluit. Jacebant enim naves suae remotae a terra magis quam illorum , qui cum hostibus pugnant , sed audiens suos cum inimicis proeliari , velocius quo potuit , terram ascendit.

Post praedictas duas victorias , Guido villam Middelburgensem munitam valde , sitam in praefata insula , et Wilhelmum cognatum suum , seniore filium Johannis , comitis Hannoniae et Hollandiae , existentem in eadem villa cum multis Hollandensibus , obsedit. Erant enim praedicti Wilhelmus et Guido filii duorum fratrum , et Guido et Wilhelmus filii duarum sororum , et tamen odia et proelia sic crudelia erant inter eos. Quam villam cum tota terra et insula Zelandensi , quae ab antiquis temporibus a comitibus Flandriae solebant teneri , Guido infra octo vel decem dies obtinuit , ea conditione , quod Wilhelmus libere exiret cum omnibus volentibus eum concomitari , unde et ipsum et suos juxta villam de *Ziericze* Guido cum navibus deduxit. Initaque est itaque post longas concertationes treuga inter Johannem , comitem Hollan-



diae, et Guidonem, dominum Zelandiae, hoc pacto, quod unusquisque ipsorum terram, quam tenebat, libere et quiete possideret; et quod dicta treuga inter eos duraret per duos menses, postquam alteri eorum ipsam placeret revocare. Filii igitur et cognati et amici Wulfardi, dolo a Johanne, comite Hannoniae, postea etiam Hollandiae, occisi, post ipsius et domicelli sui, scilicet Johannis juvenis, comitis Hollandiae, mortem, de quibus supra dictum est, graviter offensi et cordis tacti dolore aliquo tempore cum Johanne, comite Hannoniae, concertabant, unde et Guidonem clericum, fratrem Johannis, in quodam bello, in quo erant victores, captivarunt. Postea tamen cautelis ipsius Johannis praeventi, fratrem suum ab eis captum sibi reddiderunt, et dolo ipsius decepti (de quo nimis longum esset scribere), de terra sua sunt expulsi et bonis quasi omnibus spoliati. Qui in terram Flandrensem fugientes, eo tempore, quo rex in ea immediate dominabatur, in quadam parte ipsius Flandriae, quae tenetur a rege Alemanniae, quamvis essent nobiles viri, inopem et tristem ducebant vitam.

Quum autem Flandrenses erga regem et Francos coepissent rebellare, et Guido Namurcensis in ea veniens versus Curtracum exercitum duceret, alacres et bonae spei effecti multi ipsorum, non omnes, inter quos praecipuus erat Johannes de *Renisse*, valentissimus et fortissimus miles, cum fratribus suis ipsi Guidoni adhaerentes, in bello Curtracensi periculum cum eo subierunt, strenuissime in eo proeliantes. Sed modo unanimiter omnes cum ipso existentes victores ad terras et mansiones suas ab ipso et Flandrensibus sunt restituti. Et sciendum, quod per totum tempus praeteritum, quo Flamingi cum rege guerrabant, cum maximo onere, quod sustinebant, semper oportuit littus marinum, versus Zelandiam et Hollandiam, multis viris armatis esse praemunitum: alioquin Zelandenses et Hollandenses, qui subditi erant comiti Johanni, gravissime infestassent.

In mense Maio, venit Philippus, junior filius Guidonis comitis ex prima uxore, de Italia cum uxore sua, comitissa duorum comitatum, miles fortis corpore et imperterritus corde, receptusque est a Flandrensibus pro principe, quia senior erat Johanne et Guidone. Circa principium Julii, Philippus, Johannes, Guido et Wilhelmus, contracto copioso exercitu de tota Flandria, versus villam Sancti Audomari profecti sunt. Quumque venissent prope eam juxta villam campestram, quae dicitur *Arke*, quidam Flamingi magis intendentes praedae quam pugnae, incaute et inordinate et contra praeceptum suo-

rum principum rivulum quemdam transcurrentes, a solidariis regis de villa egressis usque ad sexcentos, vel occisi vel in aquam fugiendo submersi sunt; sed propter hoc damnum Flandrenses non omiserunt villae Sancti Audomari viriliter et ordinate appropinquare. Quod cernens dominus de Castellione, capitaneus omnium solidariorum vel stipendiariorum regis, tam equitum quam peditum, non bene confidens de communitate villae nolensque in ea obsideri, cum omnibus paramentis bellicis villam egressus est, non relinquens in ea currum nec carrucam, dans intelligere illis de villa, quibus ipse et sui in multis debitis erant obligati, quod vellet cum Flandrensibus proeliari. Quumque ordinasset aciem magnam, primo equitum, secundo peditum, quia convocaverat omnes solidarios regis, qui solebant esse in Tornaco, Flandrensibus e contrario aciem maximam ad bellum, quod sperabant, disposuerunt. Sed ipse non audens cum eis bellum committere, primo vehicula omnia, quibus necessaria exercitui suo apportabantur, versus Franciam praemisit, praecipiensque peditibus suis, ut ea sequerentur, ipse cum equitibus, quum diu exercitum Flandrensem respexisset, campum reliquit et aufugit. Quem Flandrenses, relicta villa Sancti Audomari, cujus incendissent suburbium, si ab illis, qui in ea erant, non fuisset prius concrematum, insequentes et attingere non valentes, civitatem Morinensem et circiter LXXX villas campestras, cum pulcherrimis hospitibus et mansionibus multorum nobilium, per quinque dies in terra Attrebatensi hostili more incendentes, arbores fructiferas praecedentes, blada et omnia terrae nascentia, ut se de damnis terrae Casletensi illatis vindicarent, conculcantes et destruentes, cum maxima praeda ad propria remeant.

Circa principium Augusti, Philippus, Johannes, Guido et Wilhelmus, instigantibus eos potissime Insulensibus, quibus Tornacenses erant odiosi, quia tempore praedictarum guerrarum rex et solidarii sui de Tornaco saepius Insulenses infestarent, coadunato maximo exercitu, civitatem Tornacensem, in qua erant solidarii regis, Franci pauci, sed Lombardi equites et Hispani pedites, qui vocantur Bedauri, quamplurimi obsederunt per sex septimanas, eam die noctuque machinis et instrumentis bellicis, quia fortissima erat, acriter oppugnantes, et terrae circumjacenti, quae regi et comiti Hannoniae subdita erat (quia licet inter ipsos et comitem Hannoniae, cognatum suum, esset treuga versus Hollandiam, non tamen erat treuga versus Hannoniam) damna innumera inferentes per incendia et rapinas, suis plurimos hostium in multis occidentibus et quandocumque occisis insultibus.

Rex igitur et comes Hannoniae, civitati Tornacensi succurrere et Flandrenses de obsidione et oppugnatione ejus remove non valentes vel non audentes, comite Sabaudiae mediatore, treugas usque ad initium mensis Maii a filiis comitis et Wilhelmo procurarunt, tali conditione, quod Guido senior, pater ipsorum et avus Wilhelmi, usque ad exitum treugarum ad terram suam, scilicet Flandriam, reverteretur, filiis suis scilicet Roberto et Wilhelmo, et aliquibus militibus paucis secum, remanentibus in prisione. Quum Flandrenses de obsidione recedere vellent, quodam mane antequam tentoria deponerent, quidam ipsorum, igne in tabernaculis vel umbraculis factis de ramis arborum et straminibus, in quibus vulgus solebat quiescere, immisso, fumum maximum procurarunt, qui ignis et fumus, postquam castra Flandrensiū erant cum festinatione deposita, mediante vento, in tantum convaluerunt, quod omnem locum, in quo exercitus jacuerat, occuparunt. Stipendiarii igitur regis, qui erant in Tornaco, prae nimietate fumi dispositionem hostium recedentium, qui fortem custodiam et aciem equitum retro se reliquerant, discernere non valentes, ipsos egressi de civitate credentes a tergo invadere et trucidare, in aciem relictam inciderunt, a qua de eis circiter ducenti sunt occisi, plurimi vulnerati, reliqui in civitatem fugere coacti. Post recessum Flandrensiū de Tornaco, circa finem Octobris, venit Guido senior de Francia in Flandriam, terram suam et patrum suorum. Qui a filiis suis et nepote, per villas Flandriae circumvectus, ab omni populo, plurimis prae gaudio lacrymantibus, cum magna laetitia est receptus. Sed quia debilis erat et decrepitae aetatis, et gubernationi terrae non poterat intendere, ea relicta filiis et nepoti, in *Winen-dale* mansionem quietam et jucundam elegit.

Philippus autem, filius suus senior, inter eos, qui erant in Flandria, superiorem gerens gubernationem, communiter se tenuit in Insula et Duaco et alibi, ubi volebat. Johannes Namurcensis, sub ipso, communiter se tenuit in Gandavo, tanquam marescallus villae, disponens populum in pace. Guido in Bruga, Wilhelmus in Ypra.

Tempore istarum treugarum, Wilhelmus Juliacensis, praepositus Trajectensis et canonicus Coloniensis et Leodiensis, mortuo archiepiscopo Coloniensi, cum quodam alio canonico ecclesiae Coloniensis in archiepiscopum est electus; verum habens pro se majorem et sanio rem partem eligentium, et se gerens pro vero electo, nuntios misit ad curiam Romanam pro archiepiscopatu Coloniensi obtinendo.

Is etiam temporibus, rex Franciae copiose thesaurum suum effundens, misit nuntios per totam Alemanniam, Italiam et Hispaniam, viros bellicosos condu- cens, ut post exitum treugarum, Flandriam per terram et per mare debellans, se de damno et confusione sibi factis vindicaret. Circa finem Januarii, Guido Namurcensis, dominus Zelandiae, treugas, quas habebat cum cognato suo co- mite Hollandiae et Hannoniae versus ipsam Hollandiam, revocavit. Duraverunt tamen, ut dictum erat, per duos menses post dictam revocationem, in quibus se ad guerrandum paraverunt; unde circa medium Martii, Guido, congregata classe magna et multo exercitu de Flandria, venit in terram suam Zelandiam, ut cum adiutorio et consilio fratrum, filiorum, cognatorum et amicorum Wulfardi occisi, sibi fidelium, cognatum suum et sibi adhaerentes debellaret.

Anno Domini MCCCIV, circa finem Martii vel principium Aprilis, qua- dam feria sexta ante Ramos Palmarum, Guido strenuus clericus et astutus episcopus Trajectensis, frater Johannis comitis Hollandiae et Hannoniae, qui praedecessorem suum Wilhelmum Bertoldum episcopum, virum nobilem de sanguine ducum Brabantiae, pulcherrimum et litteratum, in bello occiderat, cum magna multitudine Hollandensium, Frisonum et Trajectensium sibi fa- ventium, ad quamdam insulam, quae vocatur *Duvelant*, id est terra colum- barum, quae suberat Guidoni Namurcensi, applicuit, eam igne, gladio et rapina cum suis incipiens infestare. Quod ut innotuit Florentio de Bersalia, cognato Wulfardi, assumptis secum cognatis et amicis suis et saepe dicti Wul- fardi, et Zelandensibus multis sibi faventibus, et domino suo Guidoni Na- murcensi paucisque Flamingis, inscio domino suo, cum navibus ad praedictam insulam profectus est festinanter ad resistendum praedicto episcopo, sibi summe odioso; committensque cum eo bellum ipsum superavit et exercitum suum confudit, circiter tria millia de eo occidens, vel submergi in mari prae- festinatione fugae cogens. Episcopum etiam capiens ad dominum suum duxit, qui ipsum in Flandriam captivum misit, ponens eum in prisione et custodia firma in *Winendale*, ubi pater ejus et patruus ipsius episcopi morabantur.

Post hanc autem victoriam, Guido Namurcensis villam de *Ziericze*, fortis- simam et bene in victualibus et bellicosis viris a Johanne, comite Hollanden- sium et fratre suo Guidone, praefato episcopo, provisam, obsedit machinis bellicis, ipsam impugnans longo tempore; sed iis, qui in ea erant, viriliter se tenentibus, nihil profecit. Circa finem Aprilis, ante exitum treugarum, Guido senior, sicut condictum erat, Compendium in custodiam, qua prius a rege

tenebatur, reversus est. Rex autem treugas per partes duarum vel trium septimanarum petiit prolongari usque ad nativitatem Johannis Baptistae, ad quam prolongationem Flandrenses voluntarii erant, pacem cum ipso<sup>1</sup> cupientes habere et de dolo non cogitantes. Finitis treugis, circa finem Junii et principium Julii rex in omnibus provisus, prout melius potuit, infra duos annos, quibus terrae Flandriae nocere poterat, cum maximo exercitu de utroque regno suo, et quasi innumeris bellicosis viris de multis regnis et provinciis tam equitibus quam peditibus conductis, versus Flandriam venit. Quod ut per exploratores Philippo filio comitis innotuit, contraxit copiosum exercitum de villa et territorio Brugensi, Gandensi et Yprensi apud Curtracum, Johanne Namurcensi cum fratre suo Guidone in Zelandia existente, et Wilhelmo in occidentali Flandria, pro defensione terrae contra solidarios regis, remanente, et Henrico tenente Duacum, filio comitis juniore. Facta est autem aliqualis dissensio inter Brungenses et Gandenses in exercitu Flandrensi de praecedendo in motu exercitus et in bello, quod sperabant habere cum rege; ambo enim praecedere volebant. Quae dissensio, licet in brevi a Philippo fuerit sedata, exercitum tamen impedivit, ne satis tempestive post exitum treugarum ad terminos terrae Flandriae versus Attrebatum perveniret; unde accidit, quod exercitus regis, quem praemiserat, per traditionem cujusdam militis de Flandria, qui custodire habuit strictos transitus, per paludes, quae Flandriam a terra Attrebatensi dividunt et vocantur passagia, transiret, cladem magnam satis in villa campestri, quae vocatur Pons Wendiini, virorum, mulierum, infantium et etiam bestiarum crudeliter exerceret. Quod factum vir strenuus Philippus per nuntios agnoscens, qui a praedicta villa nisi per duas vel per tres leucas distabat, jam de Curtraco cum equitibus suis motus, reliquo exercitu Flandrensi ipsum sequente, hostes coegit a clade cessare sui timore, cum magna festinatione ipsis appropinquans et transfugere ultra passagium compellens. Castra metatus est juxta villam praedictam, ultra paludem exercitu regis valde magno collocato. Quumque duobus vel tribus diebus sic uterque exercitus, unus ex uno latere paludis et alter ex altero resideret, et pugnae particulares, quae praeludia belli solent vocari, quibusdam de exercitu Flandrensi peditibus excurrentibus per strictos transitus, inter eos fierent; quadam die valentissimus miles, dominus de Genvilla<sup>2</sup>, excursiones peditum Flandrensi indigne

<sup>1</sup> Edit. Hamb. habet *episcopo*.

<sup>2</sup> In *Cod. Gand.* Genevilla.

ferens se cum octo vel novem fortissimis dextrariis de exercitu Franciae erumpens viribus, credidit quoddam passagium, quod Brugenses custodiebant, transire, aciemque ipsorum, quam supra ipsum passagium posuerant, dirumpere, sed non ita sibi evenit, quia ab ipsis Brugensibus, fortiter et conglobate sibi resistentibus, cum omnibus sociis suis et dextrariis est interemptus. Audientes autem Gandenses, sic strenue Brugenses egisse, inconsulto principe, praemissis balistariis plurimis, quibus abundabant, et assumptis instrumentis et tormentis quibusdam bellicis horribilibus, quae maxima spicula, quibus nulla armatura resistere potest, projiciunt, et vocantur ad bellum vulgarter *springale*, passagium, supra quod ipsi jacebant, id est strictam viam, in aliquibus etiam locis incisam, cum maxima audacia, invititis Francis et quantum potuerunt resistentibus, transierunt. Quod ut innotuit, Brugenses transierunt etiam et ipsi per suum passagium, et per consequens totus exercitus Flandrensis, se coadunans et per totam quamdam noctem in armis jacens. Die autem sequenti illucescente, Franci ordinati ad bellum comparuerunt, Flandrensibus vero e contrario ad bellum se disponentibus. Ipsi Franci pedites suos versus Attrebatum cum vehiculis praemittentes recesserunt, non volentes vel non audentes proeliari. Quos Flandrenses, introductis per passagia vehiculis et castris, insecuti, turres multas ligneas, quas Franci super passagia fecerant, incenderunt, turres etiam aliquas lapideas destruxerunt, damna permaxima per rapinas et incendia terrae Attrebatensi usque ultra Lendum inferentes, suburbium etiam Lendinense satis magnum concremant, nulloque comparente, qui eis resisteret. Infra limites terrae suae reversi, ecclesiam quamdam fortem et contra eos incastratam, provisam de viris armatis et cibariis a Francis, quae stabat in villa quadam campestri, quae Basseida vocatur, obsederunt, quam aliquo tempore acriter oppugnantes obtinuerunt, iis qui in ea erant, recedere permissis. Circa medium Julii, rex venit Attrebatum, qui videns, sibi introitum in Flandriam per rectam viam versus Insulas sine bello forti et periculo propter transitum passagiorum patere non posse, aliquo itinere versus Hannoniam exercitum duxit, insultum fieri faciens a suis in villam Duacensem; sed Henrico cum Duacensibus se viriliter tenente, recesserunt, cum damno et amissione multorum et confusione. Unde rex cum magnis expensis et per modicas diaetas, saepe etiam cum magna caristia victualium, tandem cum toto exercitu suo per Hannoniam usque Tornacum devenit, Philippo semper cum exercitu suo juxta ipsum infra Flan-

driae limites per unam leucam vel per duas existente, diviso tamen ab eo per fluvium aliquem vel per paludes. Rex igitur intra civitatem Tornacensem et extra exercitum suum collocans, aliquo tempore ibidem quievit, deliberans, quid agere vellet, Flandrensibus ad distantiam duarum leucarum, circa pontem Bovinum, ubi quondam Fernandus, comes Flandriae, contra atavum regis infeliciter dimicavit, in optimo et fertili solo residentibus.

Circa finem Julii, venit quidam miles strenuus et peritus valde in bello navali cum multitudine magna bellicosorum virorum de Janua et Italia et Calesia, et classe bellica fortissima et galeriis multis valde, vocabaturque Admiratus vel Admiraldus, in adjutorium Wilhelmi filii Johannis, comitis Hollandiae et Hannoniae et Hollandensium, patre ipsius Wilhelmi aegrotante, missus et conductus cum toto suo comitatu a rege contra Guidonem Namurcensem, villam de *Ziericze* obsidentem et oppugnantem. Iste Admiraldus multa fortia facta fecerat cum Friderico, rege Siciliae, filio illegitissimo Petri, quondam regis Arragoniae, et gravia intulerat cum ipso per suam industriam damna arte nautica Karolo, filio Karoli, quondam regis Siciliae, et ecclesiae Romanae. Wilhelmus igitur vices gerens pro patre suo in Hollandia, cum Admiraldo et sociis suis et de Hollandia et Hannonia congregavit classem magnam et exercitum magnum, ut amoveret Guidonem per mare ab obsidione *Ziericze*, villae suae. Circa idem tempus, stipendiarii regis de Sancto Audomaro egressi, quamdam aquam transierunt, quae secundum fluxum et refluxum maris elevatur et dimittitur, et dividit terram Flandrensem et Attrebatensem versus *Brugborch*. Quibus Brugburgenses, non vocato Wilhelmo, qui tamen non aberat nisi per duo circiter milliaria cum comitiva satis magna equitum et peditum, incaute occurrentes, omnes pedites, ab eis, qui multos equites habebant, circumdati, fere omnes usque ad mille viros sunt occisi. Hoc Wilhelmus intelligens, hostes est insecutus, sed eos comprehendere non valuit, quia cum magna festinatione dictam aquam revertendo transierant, fluxum maris non audentes praestolari: venerunt enim cum uno refluxu et cum proximo redierunt. Brugburgenses autem, si in villa sua bene munita remansissent, vel Wilhelmum satis tempestive in adjutorium advocassent, nihil mali fuissent passi.

Circa principium Augusti, rex Tornacum cum toto exercitu suo intra Flandriae limites, tam stabilem sedem nullibi aliquo tempore tenuit, quod a Flandrensibus per bellum potuit attingi. Videbatur enim nolle proeliari, antequam sibi constaret, qualiter in Zelandia in Wilhelmum et Guidonem guerra

terminaretur. Wilhelmus enim Juliacensis audiens, regem ad campos egressum, de occidentali Flandria venit cum pulchra comitativa armatorum, in auxilium avunculi sui Philippi ad pugnandum cum rege. Venit etiam ad Philippum Johannes Namurcensis, frater suus, relicto Guidone *Ziericze* obsidente, cui consuluit et quantum potuit injunxit, ut nullo modo cum hostibus navale bellum invadendo committeret; habebant enim plures magnas naves et fortes. Licet Guido haberet plures minores, si tamen eum per mare vel per terram, quod eis difficillimum et quasi impossibile erat, invaderent, tunc se viriliter defensaret. Hoc illud saepius Guidoni scripsit strenuus miles Johannes de *Renisse*, qui ex parte ipsius tenuit Trajectum. Postquam enim Wilhelmus<sup>1</sup>, episcopus Trajectensis, captus fuit, ut supra patet, major pars Trajectensium, qui eum oderant, expulsis vel occisis omnibus amicis suis, se tenuerunt cum Guidone Namurcensi. Venerat etiam ad Philippum Robertus Nivernensis, filius junior Roberti capti, primogeniti comitis Guidonis, mense praecedenti, relicto fratre suo Ludovico in comitatu suo, cum omnibus, quae in Francia habebat, dimissis. Sic quatuor exercitibus in Flandria et Zelandia dispositis a rege, semper de loco ad locum suum exercitum transmutante, et Philippo cum Flandrensibus ipsi, quantum potuit, appropinquante, Admiraldus cum Hollandensibus, Wilhelmo adolescente adhuc de retro juxta suum exercitum existente, de die in diem paulatim cum fluxu maris classi Guidonis appropinquabat, ipsi tamen, si se in quiete tenuisset, nocere non poterat. Quod Guido, miles strenuus et agilis, animosus et juvenis, indigne ferens, relicto consilio fratris sui et Johannis de *Renisse* aliorumque peritorum, nimisque de favore fortunae confidens, consilium secutus aliquorum minus de peritia bellica habentium, quadam feria secunda<sup>2</sup>, in festo beati Laurentii, circa horam vesperarum, incipiente marino refluxu, ordinato sufficiente exercitu peditum ad obsidionem villae praedictae, ipse cum magno comitatu, navibus magnis incastratis praecedentibus insimul cum funibus marinis fortibus colligatis, urgebat enim eum bellum, hostes invasit. Quibus acriter resistentibus cum multa fortitudine et arte, ex utraque parte usque ad nocturnas tenebras pugnatum est, multis hinc inde vulneratis et occisis. Neutra tamen pars victoriam obtinuit, sed Guido et Flandrenses potiores videbantur, utpote qui hostibus quatuor naves magnas cum castris in dicta pugna violenter abstule-

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* Guido.

<sup>2</sup> *Cod. Gand.* tertia.



runt, omnibus, qui in eis erant, effugatis vel occisis. Nox itaque bellum diremit, remanseruntque naves utriusque exercitus jacentes divisae aliquantulum in marino coeno, aqua per refluxum ad interiora maris abstracta, et exercitu utroque aliquantulum quiescente et suis vulneratis curam adhibente. Aqua autem circa auroram per fluxum marinum redeunte, et naves de coeno vel limo marino sublimante, dieque crastina illucente, et utroque exercitu se disponente ad bellum, ecce apparuerunt naves magnae Guidonis, omnes divisae, hac illacque vagantes, funibus, quibus colligatae erant, proditiose, nescitur a quibus, praecisis. Naves autem Admiraldi et Hollandensium, utpote catenis ferreis conglobatae, apparuerunt conjunctae. Hoc videntes Zelandenses, qui non erant de cognatione Wulfardi et Florentii de Borsalia praedictorum, qui cum Guidone magis erant timore quam amore, quibus saltem aliquibus ipsorum imponitur, quod de nocte funes navium magnarum Guidonis latenter inciderant, quibus etiam Hollandenses de nocte acclamaverant: «Nobilis popule Zelandiae, cogita de fidelitate ad verum dominum tuum!» primo cum navibus suis fugere coeperunt. Flandrensès etiam, qui erant in navibus minoribus, cernentes fugam Zelandensium praedictorum, et hostes, quorum naves magnae concatenatae erant et de una ad aliam per plancas transire poterant, ut se mutuo adjuverent, Guidonem et suos, qui erant in magnis navibus, invadere cum marino fluxu, et quod eorum resistentia nihil posset prodesse, utpote quorum naves divisae erant, ita quod se mutuo juvare non valerent, omnes prudenter, assumptis de suis, qui in arida remanserant, quos potuerunt assumere, et etiam multi de iis, qui in magnis erant navibus, versus Flandriam recesserunt, videbant enim bellum, ut gnari maris, amissum. Hoc idem fecerunt Zelandenses, qui favebant Guidoni et cum eo erant ex corde. Guido igitur, videns se a suis, qui in minoribus navibus erant, derelictum, suis etiam qui erant in majoribus navibus, de eis, qui in scaphis et minoribus navibus, exsilientes, et prudenter, ex quo nihil valuisset eorum resistentia, fugientes, quum ipse etiam bene et opportuno tempore potuisset effugere, si voluisset, et quum sibi hoc fortis et expertus miles, dominus de Axella senior, consuleret, qui cum eo erat, ne, ut Machabaeus dixit, maculam in gloria<sup>1</sup> sua poneret, quadam indiscreta magnanimitate et nobilitate fugere erubuit et noluit. Unde ab Admiraldo armata manu, quamdiu poterat, se defendens et re-

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* in galea.

sistens, sed non praevalens, tandem se reddens cum praedicto domino de Axella milite captus est, caeteris, qui in majoribus erant navibus, aliquibus occisis, paucis captis, reliquis per fugam evadentibus cum minoribus navibus et scaphis.

Non multo post infortunium Guidonis tempore, dominum Johannem de *Renisse* extra Trajectum existentem<sup>1</sup>; non cum maxima concomitativa armorum; quidam miles favens Wilhelmo, filio comitis Johannis, cum multo majori comitativa armata insequeretur; dicto Johanne navem quamdam intrante, quae erat juxta fluvium quemdam, et nimis magna multitudine armata suorum ipsum sequente, cum multis eorum nave in profundum descendente, submersus interiit. De Flandrensibus circiter mille viri infra illos dies duos mortui sunt, occisi vel submersi; et bene tot et plures de Hollandensibus et sociis Admiraldi, quamvis victoriam obtinuerunt, quia prima die multo plures amiserunt quam Flandrenses. Flamingi autem, qui in arida remanserant cum Zelandensibus, qui sibi fideles erant, et cum armis suis et cibariis, quae secum manibus portare poterant, dimissis tentoriis et papilionibus, de *Ziericze* recesserunt per distantiam duarum leucarum in quadam planitie et cono insulae, quae vocatur *Scouda*, in qua et *Ziericze* sita est, et erat ille locus super mare, ad quem locum Zelandensium ab amicis naves quaedam adductae sunt, quas ingressi cum tot Flamingis, quot potuerunt capere, in Flandriam transfretaverunt. Remanserunt autem circiter tria millia Flandrensium in loco praefato sine tentoriis et domibus, quibus tegerentur. Quumque per quinque vel sex dies inopem duxissent vitam; quia, deficientibus propriis victualibus, incolae insulae non nisi furtive eis cibaria vendere ausi sunt (inhibitum enim erat eis hoc sub poena capitis), nec aliquae comparerent naves, quae eos versus Flandriam transvehere possent, et Hollandenses cum eis bellum committere, quod Flandrenses libentissime vidissent, nollent; necessitate compulsi, salva vita et membris, Wilhelmo, filio comitis Johannis et Hollandensibus se tradiderunt, qui eos suscipientes et in diversis castris et locis firmis collocantes in prisione curialius quam crediderant tractaverunt. Guido autem in brevi post dictum bellum in Franciam ab Admiraldo cum galeriis per mare regi captivus adductus est. Hoc verbum philosophi et in hoc facto bene est verificatum, dicentis: Juvenes nemo eligit in duces, eo quod non constat eos esse prudentes. Prudentia enim, quae virtus est et forma, sive

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* exeuntem.

decor moralium virtutum, magnanimitati et fortitudini Guidonis in tribus defecit, sicut multis et mihi videbatur: primo in hoc, quod Johannes frater suus et ipse, quum audirent tam potentem regem, sicut rex est Franciae, versus Flandriam venire, et treugas cum Wilhelmo et Hollandensibus ad tempus satis longum habere potuissent, quod eas non inierunt; non est enim potens rex vel princeps in populo christiano, qui, si obsideret aliquam villam vel civitatem regis Franciae, vel alicujus principis secum confederati, et terram principis obsidentis dictus rex intraret cum tota potentia sua, ut eam destrueret et impugnaret, quin sine confusione et dedecore posset, et etiam cum honore, obsidionem relinquere et occurrere, cum omnibus sibi adhaerentibus regi tam potenti. Secundo in hoc, quod contra consilium fratris sui et peritorum, villam fortissimam obsidens, etiam hostes per mare invasit; si enim naves suas majores versus terram et littus colligatas, in quantum fieri poterat, attraxisset, nunquam hostes sui eum, nisi cum maximo periculo potuissent invadere, quia secum erat major virtus bellatorum, et in navibus minoribus melius quam hostes erat provisus. Tertio in hoc, quod, cum bello amisso fugere potuisset, non fugit; poterat enim praesentia sua exercitui Flandrensi, et brevi postea tempore cum rege bellum commissuro, in multis profuisse et etiam in insula Scoudensi remanentibus, qui erant electi bellatores, succurrisse. Non sic egit victor orbis, primus Romanorum imperator Julius Gajus Caesar, qui bis a Cassivellauno, majoris Britanniae rege, et Britonibus victus et fugatus, non se capi permisit, sed tertio rediens per mare, et dictum regem cum Britonibus superans, ipsos imperio Romanorum subjugavit. Magnanimitas ergo Guidonis et animositas, fortitudo et pulchritudo, prudentia non ornatae, informes in eo erant et indecorae. Itaque eventus infelix Guidonis laetificans et contristans velocius et velocius inimicis ejus innotuit et amicis. Rex enim et sui, qui prius rumores de eo et de suorum victoria in Zelandia audierunt, plurimum gavisi, confortati et animati sunt; fratres autem et amici Guidonis, aliquantulum tardius dictos rumores intelligentes, contristati sunt et exacerbati. Unde eos quantum poterant celantes, ne in exercitu eorum divulgarentur, tertia die post infortunium Guidonis, acriter cum suis paratis ad bellandum exercitui regis appropinquantes, scilicet feria quinta sequenti, quae erat idibus Augusti, ipsum ad proelium provocabant. Quod Franci videntes, statim se ad bellum parabant, acies suas ordinantes, quumque duo hostiles

exercitus sic ordinati in tam essent propinqui, quod balistarii unius exercitus in oppositu sua spicula poterant jaculare, et hoc opus quidam balistarii Flandrensium desiderantium bellum incepissent, rex et consilarii sui dolo, quo sunt, quasi mediatores ad principes Flandrenses mittunt, rogantes balistarios Flandrenses, quod modicum expectarent, innuentes se venire ad tractandum de pace, quaesieruntque ab ipsis principibus, si pacem vellent. Qui cum consiliariis suis et toto populo gavis, pacem cupientes, sed dolum ignorantes responderunt, se libentissime cum rege pacem habere velle, salva vita et membris, et libertatibus antiquis terrae suae, et quidquid in eum iniuriose commiserant vel in suos, competenter emendare. Unde in utroque exercitu statim proclamatum est, ut omnes expectarent aliquo tempore et quiescerent, in quo scilicet tempore de forma pacis tractaretur. Quumque rex magnam emendam peteret et Flandrenses minorem offerrent, sicut mos est, ubi inimici reconciliantur, dicti mediatores fraudulenta astutia sua principibus Flandrensium suggesserunt, praetendentes, quod tam arduum negotium in tam brevi tempore non poterat terminari, ut inducias vel treugas darent trium dierum, scilicet illa feria quinta vel feria sexta sequente, in qua erat vigilia Assumptionis Virginis gloriosae, et sabbato, in quo erat ipsum festum, et dicentes mendose, regem<sup>1</sup> valde voluntarium ad pacem cum ipsis componendam, simulque allegantes beatae Virginis suffragium ad dictum negotium adfuturum. Quibus verbis Flandrenses et eorum principes allecti in dictas treugas vel inducias, quod eis postea plurimum displicuit, quum dolum fuissent experti, consenserunt. Hoc autem totum, ut dictum est, ex parte consiliariorum regis dolose factum est. Postquam enim victoria Admiralidi et Hollandensium eis innotuit, omnibus modis cum Flandrensibus stauerunt configere, sed bellum, quantum poterant, voluerunt protelare, ut Flandrenses, qui pro majori parte vulgares erant homines, prolixarum expensarum afficerentur taedio, et etiam ut, rumore infortunii Guidonis processu temporis propalato, eorum corda dolore et pavore frangerentur. Tribus igitur diebus dictarum treugarum habito de pace tractatu, in emenda a Flandrensibus regi facienda partes nullo modo poterant concordari, rumore infortunii Guidonis omnibus Flandrensibus innotescente. Unde rex cum suo exercitu feria secunda sequente in mane versus ortum solis a monte

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* Quod rex esset voluntarius ad pacem.

Pavellensi, qui mons circiter quinque milliaribus a civitate Tornacensi distat, et villam Insulensem versus Duacum ad alium locum se, ut qui bellum libenter distulisset, transtulit; sed Flandrenses, rumore praedicto non concussi pro majori parte, sed magis exacerbati, credentes se damnum Guidonis et sperantes a rege et suo exercitu recuperaturos, ipsum insecuti eodem die in monte praedicto et circa ipsum cum toto exercitu suo consederunt, statuentes omnes concordii consilio in crastino invadere regem; non enim erant ab eo separati nisi per distantiam unius modici milliarii.

Itaque feria tertia sequente, quae erat crastina octavae Laurentii, audientes missam et parum gustantes, circa horam tertiam omnes se armaverunt, dejectisque ad terram omnibus tentoriis suis et papilionibus, ne aliquis in eis latitans remaneret, et relictis equis, omnes pedes versus regem et exercitum suum circiter centum millia armatorum profecti sunt; non enim vulgares de omnibus nobilibus suis et equitibus confidebant. Fecerunt autem omnes aurigas suos cum omnibus curribus suam aciem, quae longissima erat et spissa, sequi: Erant autem in dextro latere aciei Brugenses cum illis de territorio suo, Gandenses cum suis in sinistro, Yprenses, Insulenses, Curtracenses cum territoriis suis in medio, Philippus autem praefuit Brugensibus, Johannes Gandensibus, Wilhelmus Yprensis, Robertus Insulensibus. Igitur quum Franci vidissent se ad bellum provocari, fecerunt et ipsi aciem aequae longam equitum aciei Flandrensium, sed non spissam, conveneruntque ambo exercitus non multum remote a castris regis, circa horam sextam, et quum balistarii ex utraque parte suum officium inciperent, aliqui Flandrenses ad hoc ordinati, dimissis omnibus aurigis cum equis et equabus trahentibus currus, de ipsis curribus a tergo aciei suae quasi quamdam munitionem unum alteri connectendo composuerunt, a quolibet una rota ablata, ne Franci, si eos voluissent circumequitare, ipsos possent a tergo invadere. Quumque balistarii suum complevisset officium, et acies Francorum equestris cum quodam simulato impetu versus Flandrenses, suis balistariis recedere jussis, veniret, balistarii Gandenses et omnium aliorum praeter Brugenses, cordas balistarum suarum incidentes, ipsas balistas, contra tibias equorum Franci insidebant, projecerunt, se in sua acie componentes. Appropinquantibus autem Francis (Flandrensibus immobiliter et fortiter in sua acie stantibus, et bellum, sicut in Curtraco evenerat, commune et utile habere credentibus), in tantum, quod Franci cum hastis suis hastas Flandrensium tangere possent, retractis equis suis cum fre-

nis, quasi immobiles stantes remanserunt, una acie alteram respiciente, non enim audebant viribus, sed arte, sicut sibi mutuó condixerant, proeliari, timentes belli eventum Curtracensis. Hoc videntes Brugenses, quorum balistarum balistas suas non fregerant nec abjecerant, Francos a se cum jaculis balistarum abegerunt. Remanserunt tamen Franci equites in acie, ex opposito Brugensibus, stantes ad distantiam tractus balistarum. Videntes itaque Flamingi, Gandenses et Yprenses et alii praeter Brugenses, qui nihil mali nisi aestum, qui maximus erat illo die, patiebantur, Francos commune bellum nolle inire, cum cuneis de acie sua magna exhibant, modo decem, modo viginti, modo triginta vel quadraginta; et sic confligentes cum Francis multos occidebant, et multi etiam ex ipsis occidebantur, et dum fessi erant de conflictu vel nimis ab hostibus onerati, ad aciem suam magnam revertebantur, et simili modo Franci etiam cum cuneis suis. Flandrenses modo hic, modo ibi impetebant, aliquoties vulnerantes et occidentes, et aliquoties vulnerati et occisi. Bedauri autem, homines agiles, parvi et inermes, de acie Francorum saepius erumpentes, et quandoque sub ventribus equorum magnorum cum jaculis suis, quae manu solent projicere, et fustibus magnis et lapidibus, quos in Flandrenses jaciebant, eos plurimum infestabant. Attulerant autem Franci quoddam bellicum instrumentum, quo lapides multi ad magnitudinem pugni humani ejiciebantur, et scuterant<sup>1</sup> illud contra Yprenses, qui eo graviter afflicti cum magno cuneo de acie sua exeuntes, invitis Francis, illud instrumentum confregerunt, viriliter ad aciem suam cum festinatione reversi, non sine damno et amissione suorum et etiam hostium. Quumque sic longo tempore tales particulares pugnae inter hostes fierent, quae magis praeludia belli quam bella sunt vocanda, ex parte regis petatum est cum maximo dolo, ut de pace tractatus haberetur. Flandrenses igitur, qui semper pacem desiderabant, in tractatum consenserunt. Sed dum de pace inter partes tractaretur, et in utraque acie esset proclamatum, quod omnes starent in quiete, et unus alteri non noceret, rex, qui in equitibus abundabat, unam aciem equitum cum multis peditibus misit versus sinistrum latus exercitus Flandrensis et aliam versus dextram, quasi per eos Flandrensibus a tergo noceret. Qui dolum cognoscentes, ulterius in quiete stare nolentes, sicut prius pugnare coeperunt. Venit autem quidam eques de exercitu regis cum fortissimo equo et optime armatus,

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* statuerant.

signis bellicis comitis ornatus Sabaudiae, clamans dolose : « Pax ! Pax ! » quem Flandrenses, dictum comitem esse credentes, occiderunt, nihil audire volentes ulterius de pace. Coeperunt itaque pugnare ex utraque parte sicut prius et acrius. Potissime autem inter Francos et Gandenses erat pugna gravior; Franci enim cum cuneis suis vel turmis eos impugnantes, quum fessi essent et multi ex eis vulnerati vel occisi, retractis equis suis cum frenis, resiliebant, alios recentes mittentes ad proeliandum. Gandenses autem eos diu cum cuneis insequi non poterant, ne cuneos ab acie ipsorum magna cum equis ipsorum fortissimis interrumpendo dividerent; acies enim totalis Gandensium eos non poterat sequi, ne inter eam et munitionem curruum Franci cum equis suis facerent divisionem et sic eos undique impugnarent; tenebant enim cornu vel finem sinistrum totius magnae aciei Flandrensis. Post praedictum dolosum tractatum de pace, acies praedicta, quam rex versus sinistrum latus exercitus Flandriae misit, ad tentoria et sarcinas Flandrensiū super montem praedictum et circa ipsum properabat. Hoc videntes aurigae et garsiones, qui tenebant equos et equas curruum et etiam equos nobilium et majorum Flandrensiū, sicut homines inermes, et armatae aciei resistere non valentes, versus Insulam aufugerunt : unde dicta acies sine aliqua resistentia omnia tentoria et victualia Flandrensiū, utensilia et indumenta rapere coepit et depraedari; alia autem acies, quae missa erat ad latus dextrum, immisso cuneo ex ea circiter triginta vel quadraginta equitum cum fortissimis equis inter currus et Flandrenses, nitebatur eos a curribus dividere et a tergo invadere, sed Flandrensiū ferociter se ad dictos equites vertentibus cum hastis, ipsi omnes et equi ipsorum confossi et interempti sunt; unde dicta acies adhuc magis circumequitans venit a tergo aciei exercitus Flandrensis. Itaque inter utramque erant tantummodo praedicti currus conglobati, coeperuntque pedites aciei regis paulatim abstrahere currus et viam parare equitibus suis, ut Flandrenses invaderent a tergo. Quod ut Flandrenses viderunt, statim lancearii ex iis bene armati ascenderunt currus et pedites regis ab abstractione curruum amoverunt. Acies igitur dicta videns, se in nullo posse ad nocumentum Flandrensiū proficere, ad praedam et rapinam versus montem Pavellensem se convertit; erat enim utraque acies antedicta tam equitum quam peditum de extraneis et conducticiis regis pro majori parte. Quum ergo per majorem partem diei sic inter duas longissimas acies hostiles, ut dictum est, pariter pugnatum esset, et inter eas multi valde jacerent, tam viri quam equi occisi, et etiam ex utraque parte prae

pondere armorum et aestivo caumate sine vulneribus suffocati. Videntibus Flandrensibus, versus montem omnia, quae ad eos pertinebant, esse rapta et depraedata, sole jam incipiente tendere ad occasum; Johannes Namurcensis, qui Gandensibus praecerat, nuntios misit ad Robertum, Wilhelmum et Philippum, qui, ut praedictum est, aliis praefuerunt Flandrensibus, quaerens ab iis, quid facto opus esset, simulque ostendens, se et suos, qui ad cornu sinistrum erant, bello esse fessos et praegravatos. Quibus communi consilio hoc visum est, et ita ei responderunt, quod cum horrendo clamore et alto, simulque etiam et cum totali sua magna acie, aciem Francorum invaderent, et quibus faveret Deus, eis victoria concederetur. Sicque aliquantulum ante occasum solis factum est. Franci itaque, qui in prima erant acie, videntes, se furiose a Flandrensibus invadi, concussi timore, terga vertentes, turmatim et per cuneos omnes fugerunt; et insequentibus eos Flandrensibus, ipsorum valde multi, equis eorum fessis et lassis in puteis et fossatis, quae plurima erant in campo illo, cadentibus et mutuo se opprimentibus, sessorēs cum eis suffocati sunt. Hoc etiam periculoso infortunio plures etiam in Curtraco mortui sunt quam occisi. Hoc idem etiam periculum, licet non ita grave; Flandrensibus hic eos insequentibus evenit. Duae etiam acies regis praedictae, quae praedae intenderant, redeuntes de monte, videntes aciem regis magnam in fugam conversam, cum praeda sua et ipsi recesserunt, unde multi Flamingorum, Ypressenses potissime, Curtracenses et Gandenses, aestivo caumate sitisque ardore et pugnis particularibus, ut dictum est, fatigati, vulneribus laniati, aliqui etiam corde pavidi, campum circumspicientes circumquaque patere aciebus hostium fugientibus, cum Johanne Namurcensi, plurimum lassato, non enim erat corpore fortis, sed gracilis raraeque complexionis, et Henrico fratre suo, qui eodem die circiter cum ducentis equitibus de Duaco ad bellum venerat, versus Insulas fugientes abierunt. Itaque Johannes cum fratre suo ante crepusculum fuit in villa Insulensi. Philippus autem, Wilhelmus et Robertus, cum Brugensi acie et aliis Flandrensibus boni cordis, qui cum eis remanserant, sic Francos cum clamore, ut dictum est, turmatim et per magnos cuneos insecuti, magna acie Francorum fugiente totaliter vel per partes, casu equorum et oppressionē suffocata, ad regem, qui cum magna acie et forti retrocustodiam tenebat, electis circumdatum bellatoribus et expertis, pervenerunt. Quem unus magnus cuneus Flandrensis crudeliter invadens, plurimis nobilium et majorum regis, supra ipsum viriliter et nobiliter



se tenentem, ut sui et etiam Flandrenses hostes sui testantur, et resistantem, relinquentibus et fugientibus, confosso sub ipso dextrario suo, ad terram prostravit, plurimis custodibus corporis sui occisis, nesciens ipsum inter alios prostratos discernere, eo quod custodes praedicti in periculo conflictus prae timore supertunicale suum bellicum, suo signo scilicet liliorum decoratum, ne ab hostibus, qui libentius ipsum quam aliquem alium occidissent, agnosceretur, abruperant. Transeunte ergo cuneo illo et hostes fugientes insequente, alius cuneus cito post regi prostrato supervenit. Quod videntes aliqui sibi fideles, qui juxta ipsum aliquantulum remote, tamen quantum poterant propinquius, remanserant, cum periculo sui eum supra dextrarium et equum fortissimum maximis viribus, erat enim ponderosus et armatus optime, elevarunt, antequam a superveniente cuneo vel occideretur, vel transitu pedum conculcicaretur. Rex autem, prostratione et infortunio suo totaliter attonitus, equum suum gubernare non potuit, unde a quodam milite Flandrensi agili et forti de dicto cuneo super ipsum irruente, fuste praevalida, in anteriori parte ferrum fortissimum et acutum habente (qua fuste homines et equi durissime feriri possunt ab hominibus fortibus et perfodi uno ictu), cum equo suo percussus et graviter laesus, equo suo fortissimo et agili dolore ictus praedicti stimulo saltus magnos faciente, et velociter versus equites quosdam regis, qui ipsum juvare non audebant, sed aliquantulum remote se tenentes exitum rei exspectabant, sine gubernaculo et directione ac celeriter prospero casu currente, hostes evasit. Omnes autem fideles sui, qui de equis suis descendentes ipsum super equum suum elevarant, non valentes satis tempestive suos equos ascendere, uno vel duobus exceptis, ab hostibus sunt statim in eodem loco interempti, quapropter circa filios eorum rex dicitur liberalissimus exstitisse. Rex itaque summa cum angustia, tamen favente sibi Deo (dicebatur enim piissimus et modestissimus homo, quamvis consilarii sui eum ad multas guerras adduxerunt), ad suos deveniens, licet invitissime fugeret, tamen ab eis fugere est compulsus et coactus. Fuit autem juxta regem tunc valentissimus quidam miles et baro de Francia, cujus cognomen<sup>1</sup> saepius audivi sed oblitus sum, occisus, bajulus cujusdam vexilli, quod Franci vocant Oliflamma, de quo plurimum solebant confidere et de eo multa fabulosa enarrare, ipsumque a Flandrensibus est in frustra conscissum vel diruptum.

<sup>1</sup> Auriflammulam in hoc praelio ferebat Anselmus *de Chevreuse*, qui, ut auctor narrat, in eo cecidit.

Flandrenses igitur, fugientibus hac et illac omnibus hostibus suis, usque ad crepusculum et usque ad tentoria regis eos sunt insecuti, ita quod quidam ex eis de victualibus Francorum rapuerunt. Quumque in crepusculo, oriente luna (fuerat enim praecedenti die plenilunium), audirent, quosdam hostium equites cum cuneis suis non multum ab eis esse remotos, non videbatur eis tutum ibi diu remanere. Timebant enim, quod illi hostes, qui juxta eos erant, poterant alios, qui magis procul fugerant, cum nuntiis revocare, et sic eos, luna clarius splendente, lassos et fessos et qui per magnum tempus nihil cibi gustaverant, circumquaque invadere. Unde, sumpto consilio, lento gressu versus montem Pavellensem sunt reversi. Quo quum pervenissent, primi eorum buccinis bellicis, quae vulgariter trumpae vocantur, clangentes tanquam victores, omnes socios suos, qui hac et illac viam nescientes cum turmis suis dispersi erant, et quosdam etiam, qui soli erant, ut illi qui in insecutione hostium ceciderant et postea surrexerant, coadunantes aciem magnam valde congregarunt. Ex quo loco, quum in eo aliquantulum morae quiescentes contraherent, alto et eminenti viderunt cum gaudio Francos cum turmis et cuneis reversos, accensis faculis et cereis suis magnis tortis, cum maxima moestitudine mortuos suos nobiles occisos vel oppressos, suffocatos per puteos et fossata requirere, nec eos, quamvis luna ascenderet splendendo clare, amplius velle de bello curare. In dicto itaque monte, quasi nihil victualium, quod multitudini eorum sufficeret, nec cooperimenta, nec tentoria aliqua, quibus tegerentur, invenientes, non ut victi vel fugati, quia nullus eos insecuebatur, versus Insulam inito consilio abierunt, sed inedia et necessitate coacti.

Corruerunt igitur isto die de exercitu Flandrensi circiter quatuor millia armatorum, inter quos fuit praecipuus Wilhelmus Juliacensis, qui insequens hostes vel oppressionis et casus suffocatione interiit (erat enim tenuis complexionis, licet esset animosus), vel, ut Franci asserunt, eos insequens, cum parvo cuneo circiter LXXX virorum. Constat enim Flandrensibus quasi innumeris, quod usque ad fugam Francorum sanus juxta et incolumis, ab ipsorum scilicet Francorum equitibus circumdatus et conclusus, cum omni societate sua fortissime eis resistente et nocente, interemptus occubuit. Et quia postea nullum indicium certum corporis ejus vel armorum a Francis nec a Flandrensibus poterat inveniri, vulgares Flamingi longo postea tempore arte magica, cui inserviebat, ipsum affirmabant ablatum, et in posterum, tempore suo competenti, quando ipsi in majori essent belli periculo, rediturum. Sed

haec frivola sunt et fabulosa. Certum est enim, quod isto die periit, quamvis indicia corporis vel armorum ejus inter multos occisos vel oppressos non poterant inveniri; hoc enim de multis nobilibus accidit in Curtraco. Dicitur quidam pessimus incantator de familia sua mala, et tunc cum eo erat, ipsum decepisse, quia promiserat sibi, quod quadam magica incantatione, quam sibi didicerat, quumque vellet et indigeret, hostibus et quibuscumque aliis invisibilis fieret. Sed dicta incantatio nihil sibi hic profuit, quantum ad vitae conservationem. Nescio si profuit quantum ad corporis sui occultationem; facile enim est daemonibus corpus aliquod ad mortuum occultare. Unde et dictus incantator brevi post tempore apud Bruxellam a Johanne, duce Brabantiae, cognato Wilhelmi, ob dictum scelus ab ipso confessum, contractis brachiis et tibiis, rotae a terra in altum elevatae est inflexus, nec potuit sibi dicta incantatio in aliquo prodesse. Franci etiam dicunt, die crastina, caput Wilhelmi a corpore suo invento abscissum super hastam fuisse per exercitum ipsorum circumportatum et regi praesentatum, sed quidam cognati ipsius Wilhelmi de Francia et cum rege existentes, et Liliardi multi de Flandria, qui ipsum optime noverant, certitudinaliter affirmabant, dictum caput, quod diligentissime et de prope intuebantur, nunquam fuisse Wilhelmi, sed cujusdam capellani de Gandavo, sibi aliquantulum similis, qui in bello corruit et quem ego bene novi. Dicebatur etiam postea fere per duos menses, inita jam pace inter regem et Flamingos, corpus ejus solummodo abscissum una manu fuisse inventum et in *Felines*, ubi multi de cognatione sua sepulti jacent, fuisse sepultum. Quod corpus multi credunt non fuisse suum, sicut nec corpus quoddam, quod de bello Curtracensi a garsione quodam comitissae Hannoniae pro corpore filii sui, Johannis sine pietate, fuit deportatum.

Corruerunt etiam de exercitu Flandrensi circiter decem vel undecim milites; reliqui erant armigeri vel divites Brugenses, mechanici, commorantes in villis, vel homines rurales. Fere media pars Flamingorum, tam eorum, qui cum Johanne recesserunt, quam eorum, qui regem fugarunt, vulnerati sunt vel graviter laesi. De exercitu vero regis plures quam novem millia corruerunt occisi vel oppressione suffocati, inter quos fuit praecipuus Johannes, frater ducis Burgundiae et Hugo de Bonvilla, summus consiliarius regis, qui cum majori pompa et comitativa incedere solebat, et etiam fuit in dicto bello<sup>1</sup> quam-

<sup>1</sup> Desunt forte hac aut similia : in quo sunt interfecti.

multi comites Franciae. Amisit rex etiã circiter XVIII barones nobiles et terrarum principes in dicto die, et milites fere CCC; reliqui armigeri erant et burgenses ac vulgares pedites. De stipendiariis autem regis pauci mortui sunt, quia magis praedae quam victoriae intendebant.

Crastina itaque die post diem praedictae horribilis cladis, scilicet feria IV, Johannes Namurcensis et Robertus Nivernensis cum toto exercitu Flandriae Flamingantis, amissis, ut dictum est, tentoriis omnibus fere, quae habebant in monte et Zelandia, ad terram et ad tabernacula sua sunt reversi, relicto Philippo in castro Insulensi cum sufficienti ad ipsum diu detinendum comitativa. Rex autem, sepultis baronibus et nobilibus suis, vel corporibus eorum ad terras et patrias suas missis (multi enim in Attrebatò, Tornaco, Orchiaco, Valencenis sepulti sunt) post tertium vel quartum diem supradictae multorum necis, relictis cadaveribus (quomodo enim in tam terribili bello et eodem die corpus aliquod sic eripi potuisset?) vulgarium suorum et equorum ac Flandrensi-um, propter quorum scilicet cadaverum foetorem exercitus ejus ibi diu morari non poterat, deinde exercitum suum misit ad villam Insulensem obsidendam, quam et obsedit ex latere uno. Ipse vero rex profectus est Attrebatum, ut ibi a laesione, quam in conflictu receperat, curaretur, fuitque ibi circiter per quindenam, infra quam misit ad omnes Franciae comites et ad omnes arma ferre valentes, qui bona vellent lucrari, quod versus Flandriam venirent, denuntians eis, Flandrenses victos esse et confusos. Convenit itaque ad eum de regno suo et terris aliis exercitus quasi infinitus. Dixit enim Gerardus Maurus, miles strenuus de Flandria et longaevus, qui exercitum ejus postea vidit, et qui cum ipso et patre ejus et avò quasi in omnibus expeditionibus fuerat citra mare et ultra, nunquam coronam Franciae tantam exercitus potentiam congregasse, quam ipse vidit. Unde post dictam quindenam, sanitate recuperata, rex cum tota potentia sua Insulam venit, ipsam obsidens circumquaque. Quod audientes, Johannes et Robertus et Flandrenses valde gavisì sunt. Sciebant enim, castrum et villam Insulensem in victualibus et armatis viris sufficienter et ad longum tempus esse provisam, et sperabant, quod sine suo bellico labore propter hyemis appropinquantis necessitatem urgentem et viarum, per quas victualia adducuntur, pejoritatem, regem cum toto exercitu suo oporteret confusum recedere ab obsidione. Et certe ita evenisset ei, si infidelitas Insulensium ad dominum suum et ad suos de comitatu Flandriae nunc, sicut et alias, sibi non succurrisset. Quum ergo

rex cum exercitu suo castrum et villam aliquo tempore acriter oppugnaret, nullumque nocumentum alicujus reputationis eis valeret inferre, Insulenses, qui pro majori parte Liliardi erant, inscio Philippo, mediatores mittunt ad regem, condicentes et componentes cum ipso, villam et castrum se ei reddi-turos, si infra terminum praefixum, qui erat circa festum beati Michaëlis, eis auxilium et succursus non veniret a Flamingis, et de isto condicto tenendo XL obsides regi tradiderunt. In quo condicto, postquam illud scivit, oportuit Philippum invitum consentire, quia, licet haberet in castro sufficientes bellatores ad tenendum ipsum cum villa contra regem, non tamen sufficientes habuit ad tenendum ipsum erga regem et villam. Isto inito condicto, rex villam et castrum amplius non molestavit, sed ea obsidens de die in diem suum semper augmentavit exercitum. Unde Johannes, Robertus et Flandrenses hoc intelligentes, multis tentoriis novis factis, sed non tot, quot amiserant, cir-citer octavo die ante praedictum terminum cum maximo exercitu convenerunt in Curtraco. Quo scilicet exercitu ipsorum semper crescente, tertio die ante terminum cum audacissimo progressu et in protentissima acie versus Insulam profecti, juxta tentoria regis ad distantiam duorum vel trium stadiorum castra sua, quae eorum aciem in curribus sequebantur, posuerunt. Rex quippe, ipsorum praecognito adventu, exercitum suum, qui jacebat a latere villae versus Ypram, ad aliud latus versus Tornacum secum in unum contraxerat, feceratque fieri grande fossatum et protensum inter exercitum suum et locum, ubi credebat Flandrenses venturos, ad quem et venerunt. Plurimi autem Flandrenses tentoria non habentes, quia non proponebant ibi diu jacere, sed regem invadere, vel quia sibi ita velociter ea parare non potuerunt, fecerunt sibi tabernacula sive umbracula de straminibus et arborum ramis. Erat ergo exercitus Flandrensis tam maximus, quod nunquam aliquis vidit comitem vel principem Flandriae exercitum deduxisse tam copiosum. Dicitur etiam rex, ipsum de cumulo quodam sive monticulo aspiciens, mirabiliter fuisse admiratus. In crastino autem adventus, Flandrenses coeperunt invitis Francis replere fossatum, ut ad eos patulum possent habere accessum, fiebantque inter utrumque exercitum pugnae particulares, sive praeludia multa, in quibus plurimi ex utraque parte corruerunt. Et quum rex certissime cognovisset per exploratores, Flandrenses omnes, paucis pavidis exceptis, ad bellum voluntarissimos, omnibus modis cum ipso velle de nocte cum lunae splendore pugnare, ne equites sui eos a tergo circumirent, non enim possunt acies

equestres de nocte celeriter equitare, vel si de die bellum committerent cum eo; nullo modo eos velle stare vel exspectare, sicut fecerant in monte Pavel-  
lensi, sed semper praecedere et omnes hostes occidere, vel omnes occidi et  
negotium terminare, timuit valde, et omnes sui recolentes furiosam inva-  
sionem paucorum Flandrensiū, respectu tam maximi exercitus juxta mon-  
tem, et gravissimum damnum suorum, quod ibi sustinuerant, simul etiam  
cogitantes maximum periculum et dispendium toti regno Franciae imminere,  
si victoriam non obtinerent, virorum prudentium consilio, petitioni et allocu-  
tioni de pace praebere aures complacuit regi. Johannes igitur, dux Bra-  
bantiae, qui in prima guerra cum Guidone, avo suo ex parte matris, se  
tenuerat, sed de secunda, quam Wilhelmus, nepos suus et avunculi ejus  
erga regem habuerunt, se non intromiserat, hoc intelligens, mediatorem de  
tractatu pacis se constituit, et terminum praefatum redditionis villae et castrī  
Insulensis procuravit prolongari. Qui interim cum favente sibi Deo, plurimo  
labore et industria magna adjuvante, etiam ad hoc regina Maria, noverca  
regis et amica<sup>1</sup> sua, quae ibi erat, partes sic concordavit, quod Flandrenses  
cum rege pacem firmam et perpetuam haberent, salvis vita, membris,  
libertatibus, munitionibus suis, et quod comēs totam terram suam integre  
rehaberet. Sic communitatibus dabatur intelligi, quod etiam omnes captivi,  
ubicumque fuissent capti, ex utraque parte redderentur, et quod solum de  
emenda pecuniaria regi facienda, quae octingentarum librarum summam non  
excederet, arbitri octo, quatuor ex parte una et quatuor ex parte altera, elige-  
rentur; hoc etiam addito, quod pro honore regis salvando rex castrum et  
villam Insulensem et Duacensem cum suis territoriis obtineret, quasi in  
vadia, donec sibi esset de dicta emenda plenarie satisfactum, unde secunda  
die post terminum praefatum et post solis occasum, in utroque exercitu pace  
stabili proclamata, et in crastino Philippo castrum et villam Insulensem egre-  
diente, et Francis ea, ut dictum est, ingredientibus, uterque exercitus cum  
suis principibus ad propria cum magno gaudio remeavit. Sicque terra Flan-  
driae, hostium sanguine et suorum longo tempore usque ad vomitum satiata  
et inebriata, quasi obdormiendo a proeliis siluit et quievit. Quae utinam nun-  
quam evigilet vel excitetur! Pace itaque confirmata, Flandrensiū multorum  
nobilium et divitum juxta montem mortuorum cadavera amici ipsorum  
quaesiverunt; et quorundam inventa sunt et ad villas et loca sua reducta, et

<sup>1</sup> *Cod. Gand. amita.*

quorundam vero nunquam potuerunt inveniri. Tunc etiam, ut dictum est, corpus Wilhelmi dicitur fuisse inventum, sed hoc multi non credunt, quia Franci valde diligenter ipsum quaerentes, si invenissent, prae odio in frusta discerpissent vel incendissent.

Circa istud tempus Johannes, comes Hannoniae et Hollandiae, obiit, cui successit Wilhelmus; filius ejus. Unde ad intelligentiam multorum praemissorum, hic breviter notandum est, quod, circa annum Domini MCC, Balduinus, comes Flandriae et Hannoniae, cum multis nobilibus de Francia et terra sua versus Graeciam profectus et imperium Constantinopolitanum assecutus, duas nobilissimas reliquit filias, filium non habens, scilicet Johannam et Margaretam. Johanna autem nobilem accepit primum maritum Fernandum, filium regis Portugaliae, postea secundum Thomam, ingenuum virum de terra Burgundiae, fuitque Johanna princeps utriusque comitatus, annis fere XL. Margaretam autem reliquit pater suus cuidam cognato suo, nobili et diviti viro, quem sibi fidelissimum reputabat, Bochardo de Avenna, clerico et canonico in diversis locis, ut eam usque ad nubiles annos nutriens custodiret. Qui Bochardus, ut infidelissimus et flagitiosissimus homo, Margaretam virginem tantae excellentiae et dignitatis, utpote imperatoris filiam, quum annos pubertatis attigisset, incestum cum ea committens, oppressit et defloravit, genuitque ex ea filios duos scilicet Johannem et Balduinum. Ob quod scelus, postea non longo tempore, caput ejus a suo corpore amputatum per omnes villas Flandriae et Hannoniae ab amicis et cognatis imperatoris missum est, ad ostendendum populo, justo judicio occisum esse tanti facinoris perpetratorem. Margareta igitur sic confusa et deflorata, vivente adhuc postea diu sorore sua, maritum accepit nobilem baronem de terra Burgundiae, impari tamen sibi in eminentia nobilitatis et dignitatis, Johannem de Dampetra, qui ex ea genuit tres filios Wilhelmum, Guidonem et Johannem. Quumque Johanna sine herede de carne sua decessisset, et uterque comitatus devolutus esset ad Margaretam, jam marito viduatam, et illa seniore filium suum legitimum proponeret heredem et principem in utroque comitatu post se relinquere, Johannes Avennensis, senior filius ejus illegitimus, legitimatus tamen a curia Romana, ut asserebat, consilio cognatorum suorum ex parte patris et Wilhelmi, comitis Hollandiae, cujus sororem in uxorem habuit, qui et postea rex fuit Alemanniae, et eorum auxilio, litem et guerram gravem incepit adversus matrem et fratres legitimos uterinos, asserens, se ut seniore

filium et legitimatum utrumque comitatum possidere debere, allegans et legem esse et communem in Flandria consuetudinem, nullum illegitimum filium solere vocari ex parte matris in feodalibus bonis, dato quod legitimatus non fuisset. Unde, quum lis ista et guerra aliquo tempore protenderetur, et communiter omnes nobiles Hannoniae et aliqui etiam Flandriae magis Johanni faverent, erat enim animosus miles, liberalis et prudens valde, tandem utraque pars in Ludovicum Francorum regem, avum Philippi nunc regnantis, post mortem a curia Romana canonizatum, tanquam in amicabilem mediatorem et compositorem consensit, ut, auditis rationibus partis utriusque, litem et discordiam praedictam terminaret. Quod et fecit, dans comitatum Hannoniae Johanni, comitatum Flandriae Guidoni, post mortem matris eorum, Wilhelmo, seniore fratre Guidonis sine herede defuncto. Remansit tamen semper quasi innatum odium inter Johannem et Guidonem et prolem eorundem. Johannes itaque Avennensis ex sorore Wilhelmi regis genuit Johannem, et Johannes, ex filia comitis Lucemburgensis, sorore Isabellae, matris Johannis Namurcensis, Guidonis et Henrici et uxoris secundae Guidonis comitis Flandriae, patru sui, genuit Johannem sine pietate, sic dictum propter crudelitatem, qui in bello Curtracensi periit, et Wilhelmum, qui, et supra tactum est, comitatum Hannoniae et Hollandiae possidet in hodiernum diem.

Mense Januario vel Februario, Johanna, regina Navarrae et comitissa Campaniae, neptis in secundo gradu et uxor Philippi Francorum regis et Francia regina, fidelissima dilectrix et amatrix minorum<sup>1</sup> fratrum ac liberalissima benefactrix obiit, apud fratres minores Parisiis sepulta. Quae, ut dicebatur, Flandrensibus, dum viveret, apud regem et consiliarios suos, eo quod duos avunculos Robertum, comitem Attrebatensem, et Jacobum de Sancto Paulo et plures alios nobiles de parentela sua in Flandria amiserat, multum fuerat in consilio nociva et inimica.

Circa principium Martii, illustrissimus et mitissimus ac liberalissimus princeps Guido, comes Flandriae et Marchio Namurcensis, vir grandaevus, erat enim plus quam LXXX annorum, senio deficiens apud Compendium obiit, qui in hoc seculo instabili, sed fortunae vertibilitate, multa vidit molestissime jucunda et aspera, et plurima sustinuit patientissime tristia et adversa. Sicque finitur annus iste ferocitatis multae et necis ac cladis plurimorum.

<sup>1</sup> *Cod. Gand. minorum.*



Anno Domini MCCCIV, mense Maio, Robertus, quondam comes Nivernensis, primogenitus Guidonis comitis, de captivitate rediit in terram patrum suorum, ferens secum corpus patris sui, quod in monasterio monachorum cisterciensis ordinis, cui vocabulum est *Felines*, ubi mater ejus et plurimi de cognatione ejus jacent, honorifice sepelivit. Sed et Guido Namurcensis, frater ejus, et omnes, qui cum eis capti fuerant, sicut juxta Insulam conductum erat, cum gaudio in Flandriam redierunt. Guido etiam episcopus Trajectensis de captivitate liberatus est, et omnes Flamingi, quos Wilhelmus, cognatus ejus, in Zelandia et Hollandia tenuerat captivos, ab ipso abire permissi, in Flandriam sunt reversi. Pax tamen inter Robertum filium Guidonis, et Wilhelmum non remansit, sed treuga.

Iste Robertus, vicesimus comes Flandriae vel vicesimus secundus, si Ferdinandus et Thomas, mariti Johannaë, pro comitibus computentur, semper mitis et pacificus, primam duxit uxorem filiam Karoli, regis Siciliae, de qua non diu superstite filium habuit, nomine Karolum, qui in adolescentia sua defunctus est. Postea duxit in uxorem unigenitam filiam comitis Nivernensis, et, mortuo patre, ejusdem comitatus comitissam, de qua genuit Ludovicum et Robertum, et filias tres, uxorem domini de Cuchyaco in Francia, et uxorem domini de *Adenghem*, in Hannonia, et tertiam, quae habuit Matthaeum de Lotharingia. Iste Robertus solam habuit Flandriam Flamingantem, iis temporibus rege, ut praedictum est, villam Insulensem et Duacensem cum suis territoriis pro vadium detinente. Philippus, frater Roberti, ad duos comitatus suos parvos ex parte uxoris in Italia reversus est, et Johannes Namurcensis et Guido et Henricus quandoque in terra sua, quandoque in Flandria se tenuerunt.

Anno Domini MCCCVI, mense Maio, obiit prudentissima domicella Philippa, ut praedictum est, sponsa unigeniti filii Eduardi, regis Angliae, filia Guidonis comitis, quae, omnibus captivis ad naturale solum ex utraque parte redeuntibus, sola captiva curiali cum captivitate, utpote cum filiis et filiabus regis, remansit, et, ut dicebatur, ne Robertus, comes Flandriae, et fratres ejus per conjugium ipsius fortificarentur, dolosissime ab aliquibus ejus dignitati invidentibus et regi Franciaë faventibus fuit intoxicata. Unde et justo, ut dicitur, Dei judicio Eduardus rex, qui sponsalia inter filium suum et ipsam contracta non exsequabatur, ut promiserat, circa finem istius anni finivit vitam, et successit ei filius ejus. Isto etiam anno et praecedenti et subsequenti, habita sunt parlamenta plurima et multi tractatus inter consiliarios regis et Flan-

drenses, de forma emendae fiendae<sup>1</sup> regi. Quatuor enim arbitri, qui erant ex parte regis, erant magni et nobiles comites, quia unus eorum erat Ludovicus, frater ipsius ex parte patris; quatuor autem, qui erant pro Flamingis, erant milites non tam magnae reputationis, videlicet Johannes *Kuuc*, prudens et animosus miles de terra Brabantiae, Johannes de Scornaco, Gerardus de *Zotteghem*, et castellanus Gandensis Gerardus Maurus. Isti quatuor, vel quandoque tres vel duo, cum procuratoribus villarum Flandriae ad curiam regis et parlamenta ipsius properantes, partim minis, partim fraudulentis et astutiis arbitrorum ex parte regis, quamdam litteram sigillaverunt, nescientes, quid in ea scriptum erat, in qua continebantur multa contraria libertatibus Flamingorum, et quae etiam excedebant formam pacis, quae eis juxta Insulas dabatur intelligi. Fuit enim in ea scriptum, quod munitiones omnes deberent destrui; quod Brugenses etiam darent tria millia peditum, super proprias expensas de malefactoribus suis, qui per unum annum essent, quando regi placeret, in expeditione guerrae suae, et quando indigeret, et quod tota Flandria simili modo daret sibi sexcentos equites; quod etiam, si aliquis Flandrensium offenderet notabiliter in aliqua villarum Flandrensium aliquem de servientibus et familia regis, statim illa villa esset sub ecclesiastico interdicto, et omnes faventes illi Flamingo essent excommunicati. Multa etiam enormia alia fuerunt in ea conscripta, et per modum dicti sive sententiae octo arbitrorum. Quae littera quum fuisset communitatibus manifestata, multum sunt suis arbitris et procuratoribus indignantes, respondentes, se prius omnes mori, antequam se ad dictas servilitates obligarent, unde et dicti arbitri et procuratores et alii aliqui nobiles, qui in dicta sententia bene consensissent, ut communitates, quae valde erant ditatae et fortificatae per praecedentes guerras, et audaces ac potentes effectae, subpeditarentur, aliquoties fuerunt in magno periculo vitae suae. Credebatur enim saepius, quod communitates eos occidissent, et certum est, quod ita evenisset, si aliquis de Francia vel Flandria fuisset tantae audaciae, quod dictam litteram executioni demandasset.

Mense Julio, sole graviter aestuante, duo fratres conventus minorum, unus sacerdos et alter diaconus, ad campos egressi, fluvium Lisam, ut creditur, lavandi causa in quodam loco secreto intrantes, miserabili infortunio sunt submersi.

<sup>1</sup> Sic in utr. Cod., emendandum: *faciendae*.

Anno Domini MCCCVII, mense Januario, Eduardus juvenis, rex Angliae, accepit in uxorem, postquam sponsa ejus Philippa mortua est, filiam regis Francorum, Philippi, unde Isabella, soror Philippae, domicella prudens et pulchra valde, de qua condictum erat et juramento firmatum inter Eduardum regem et Guidonem comitem in colligantia, quam fecerant, quod, si filius Eduardi non posset habere Philippam, quae, ut praemissum est, a rege Francorum in Flandria fuit incurialiter et dolose capta, haberet Isabellam Philippa juniorem, videns, se privatam matrimonio regali, et sciens fratres suos, Johannem et Guidonem, multis aliis occupatos negotiis, non esse sollicitos ad eam maritandam, relicto eorum consilio, de consilio Ludovici, comitis Nivernensis, cognati et nepotis sui, sibi providit, accipiens in maritum nobilem virum, de sanguine regis descendentem, et cognatum Roberti, comitis Flandriae et filiorum ejus, pulchrum, fortem et in redivis divitem, Johannem, dominum de *Fienes*, quem dicebatur prius aliquo tempore adamasse; propter quod inter Johannem Namurcensem et Guidonem ex parte una, et Ludovicum ex altera, gravis dissensio orta est.

Eodem etiam mense, quidam scurrae in Gandavo, pro majori parte juvenculi et juvenulae, ad calcationem cujusdam novae areae in quadam nova domo, ex condicto ad choreizandum circiter quingenti convenientes, in tantum superius in duobus solariis et inferius in area choreizantes saltaverunt, quod, paries domus latericius et per consequens tectum ejus discompaginati corruentes, circiter quinquaginta ex eis oppresserunt, qui et statim mortui sunt, reliquis summo cum pavore evadentibus mortem, quorum tamen centum fere vulnerati sunt graviter vel atrociter interius conquassati.

Hoc anno, uno die a papa et cardinalibus ac regibus ac principibus multis christianis ad hoc subtilissime statuto, omnes Templarii in regnis Francia et Angliae ac Hispaniae multisque partibus Italiae capti sunt et prisionibus deputati, tanquam suspecti de enormi modo et scelerato profitendi, et de idolatria et de vitio Sodomiae.

Anno domini MCCCVIII, mense Maio, Albertus, rex Alemanniae, a filio sororis suae in proprio horto pugione confossus, interiit. Fuerat enim nepos suus in puerili aetate patre, duce Bavariae, et matre orbatus, quae soror fuit regis Alberti, et tenuit eum rex secum ut filium, et ducatum suum fecit gubernari. Qui quum ad annos discretionis et robur virile pervenisset, ab avunculo, de aliquorum consilio, licentiam, et ut sibi terram patris sui redderet,

saepe et instanter petiit. Quod quum rex nimis, ut sibi videbatur, differret, et quasi de petitione sua non curaret, ob hoc eum sic interemit, et fugiens abiit in terram suam.

Circa etiam istud tempus, Johannes de *Kwuc*, unus de arbitris ex parte Flandriae praedictis, mortuus est. Gerardus Maurus, unus etiam ex eis, anno isto et praecedenti, videns dolum et odium Francorum, ad parlamenta accedere noluit, unde Johannes de Scornaco et Gerardus, castellanus Gandensis, dominus de *Zotteghem*, reliqui duo arbitri facti sunt comitatibus Flandrensibus odiosi, quia ipsi duo communiter parlamenta frequentaverant, et videbantur per effectum magis regi quam ipsis communitatibus favere. Johannes enim de *Kwuc*, post initam pacem, nisi semel vel bis, ad parlamenta accessit. Mense Augusto, ex parte regis mandatum est in Flandria per Robertum comitem, quod communitates ex se procuratores eligerent, quaelibet quinque vel sex de tribus magnis villis, scilicet de Ypra et Bruga et Gandavo, qui cum ipso comite haberent plenam potestatem cum rege pacem componendi. Quos quum civitates elegissent, et venissent ad curiam regis cum comite, mense Septembri, interrogaverunt eos consilarii regis, si vellent stare de alto et basso totius delicti dicto regis. Qui responderunt, sicut eis a communitatibus suis fuit injunctum, se libentissime velle stare rationabiliter dicto ipsius regis, salvis ipsorum vita, libertatibus et munitioibus, sicut ante Insulas fuit condictum, de quo condicto et publicum instrumentum, sigillo regis signatum, ostenderunt. Qua responsione dicti consilarii multum indignati, monstraverunt eis quamdam litteram, quam comes Robertus sigillaverat in ipsius praesentia, in qua plurimae servilitates et gravamina ipsis communitatibus injungebantur et etiam ipsi comiti, quae etiam litteram summam regis de forma pacis continebat. In quam sententiam quia dicti procuratores noluerunt consentire nec fuerunt ausi, post multam pertractionem parlamentorum, dicto mense circa finem, negotio infecto, ad villas suas sunt reversi.

Johannes autem marchio Namurcensis, qui praesens aderat, sicut tempore aliquo erat inter regem et ipsum praeordinatum, in uxorem accepit, eodem mense, filiam comitis Claremontensis, patru regis, ipsique regi affinitate est conjunctus. Qui etiam rex inter ipsum et Ludovicum, comitem Nivernensem, cognatum suum, ut supra dictum est, graviter discordantes, pacem composuit. Dux etiam Brabantiae, Johannes, qui ibi erat, cujus amita erat domina Maria, noverca regis, et omnes nobiles Franciae et Flandriae cum ipso Ro-

berto comite et fratribus, suis ibidem dicuntur contra communitates Flandrenses convenisse, quod eas subpeditarent. Unde dictae communitates, in villis Flandriae et campestribus pro majori parte, grave odium adversus regem et comitem et fratres ejus et omnes nobiles et divites burgenses, dictam pacem cupientes, conceperunt, timentes, quod ad similitudinem aliarum terrarum, ubi vulgus communiter servum est, et ipsi in servitutem per nobilem et majorum concordiam redigerentur.

Mense Novembri, Philippus comes Theatinus, filius Guidonis comitis et frater Roberti, qui erga regem in monte Pavellensi bellum habuit, in Italia mortuus est et in Neapoli sepultus.

Eodem mense, orta est discordia, in Flandria et aliis quibusdam terris, inter monachos clericos cisterciensis ordinis, et conversos ipsorum, quia abbates eorum in quadam congregatione sua ordinaverant, ante tempus istud, quod terrae ipsorum sive agri, quos conversi solebant colere, secularibus ad colendum, sicut nigri monachi faciunt, sub annua pensione et reditu traderentur, intendentes ulterius laicos in conversos non recipere, et sic eos in suo ordine annullare. De qua ordinatione et intentione dicti conversi adversum abbates et monachos clericos, quibus haec placuerunt, grave odium conceperunt, unde quidam frater Wilhelmus de *Saeftingen*, conversus monasterii de *Tozan* juxta Brugam, vir fortissimus robore, propter hanc causam et propter aliqua gravamina, quae dicebat sibi ab abbate suo et quibusdam aliis senioribus monachis clericis injuste illata, dicto mense et in dicto monasterio, ipsum abbatem atrociter vulneravit, et quemdam antiquum monachum clericum, qui majus officium cellularum post abbatem habebat, crudelissime occidit, fugiensque in turrim ecclesiae de *Lisseweghe* juxta monasterium praedictum, et in ea a quibusdam amicis abbatis et monachorum obsessus, a Johanne dicto *Breidel*, carnifice de Brugis, et filio Petri dicti Regis, militis, quondam textoris, de quo supra dictum est, et circiter octoginta viris, optime armatis, de communitate Brugensi, de dicta turri, obsidentibus effugatis, eductus et Brugas adductus, suae libertati est restitutus ab eisdem. Causa autem amicitiae<sup>1</sup> et favoris inter communitatem et ipsum fuit haec: instante bello Curtracensi, de quo supra dictum est, praefatus conversus, vir procerus et robustus ac bene armatus, in Curtraco fuit cum Brugensibus. Qui videns quemdam in

<sup>1</sup> *Cod. Gand. armaturae.*

exercitu Flandrensi habentem quamdam fustem praevalidam esculinam, lamina ferrea in capite circumligatam, cum acutissimo ferro decalibiata, quae lingua vulgari vocatur *staf*, eam emit, dañs pro ipsa unam equam optimam, quam secum de monasterio suo adduxerat, et in bello praedicto virilissime pugnans, prostravit cum dicta fuste Francorum multitudinem copiosam. Ob quam causam, licet de Brugis oriundus non esset, tamen communitati Bruggensi semper postea fuit acceptus et gratosus, et ideo ipsum de morte vel saltem de perpetua incarceratione liberavit. Sed hoc comiti et nobilibus et majoribus villae Bruggensis et terrae Flandrensis multum displicuit, et merito, quia factum dicti conversi nimis crudele fuit et enorme.

Mense Septembri, Henricus comes Lucemburgensis, cujus pater frater fuit Isabellae, quondam comitissae Flandriae, et cujus mater filia fuit Balduini de Avenna, fratris Guidonis comitis Flandriae, in regem Alemanniae est electus, et sequenti festo Epiphaniae, Aquisgrani cum magna solemnitate et laetitia suorum coronatus. Uxor autem ipsius tunc fuit soror Johannis, ducis Brabantiae, cognata ejus in secundo gradu, per curiae Romanae dispensationem. Ante multos enim annos, guerra existente pro ducatu Lemburgensi inter Johannem, ducem Brabantiae, patrem dictae uxoris suae, et comitem Ghelrensem, qui etiam habuit filiam Guidonis ex secunda uxore, anno Domini MCCLXXXVIII, mense Junio, cum multis nobilibus et duobus magnis exercitibus convenerunt ad bellum juxta Coloniam, in loco, qui *Woerone* dicitur, fuitque cum comite Ghelrensi archiepiscopus Coloniensis et comes Lemburgensis, pater istius regis, eo quod comes Ghelrensis filiam sororis, scilicet Isabellae, haberet in uxorem. Concedente autem Deo victoriam Johanni, duci Brabantiae, archiepiscopus et comes Ghelrensis a Johanne capti sunt, et comes Lucemburgensis cum uno fratre legitimo, et duobus illegitimis, militibus strenuis, interiit. Et ideo pro reformatione et conformatione pacis, iste filius suus filiam praedicti Johannis accepit in uxorem.

Circa finem istius mensis Januarii, filia comitis Claremontensis, uxor Johannis Namurcensis, obiit, parvoque tempore regalibus nuptiis est potitus; vix enim diebus decem eam habuit sanam.

Mense Februario, comes Robertus, cum filiis suis et fratribus omnibus, ad curiam recessit regis, tractaturus cum ipso, mediantibus amicis, de pacis confirmatione. Induxerat autem dictus comes, cum filiis et militibus et majoribus fere omnibus villarum et clericis suis, quantum potuit, precibus et minis ali-

quos ditiores de civitatibus, quod in praedictam litteram, formam miserae pacis continentem, consenserunt, affirmans eis, ipse et sui, quod si hoc facerent ob reverentiam regis, multam gratiam et remissionem multorum in ea contentorum ab ipso postea obtinerent. Consenserunt ergo in eam Gandenses et Yprenses, sed Brugenses nullo modo ad hoc induci potuerunt. Miserunt ergo villae principales procuratores suos cum comite, qui terram suam egrediens, loco suo reliquit tres milites; qui eam regerent, et ballivos et scabinos, quando necesse esset, instituerent: duos nobiles viros, Wilhelmum de Nivella et Philippum de *Maldeghe*m, et tertium, quem pater suus et ipse de imo in altum elevaverant, Aegidium dictum, clericum; virum industrium valde et fortem. Qui Aegidius, circa finem Februarii, a Johanne, dicto Frenum, supra dicto, non parcente dignitati et statui ejus, erat enim consiliarius quasi summus comitis et loco ejus, ob personale odium, quod erga eum habebat, Brugis est interemptus.

Unde sciendum, quod quando Flandrenses cum rege guerrabant, inter se condixerant legem servare talionis, quam et diu servaverunt. Sed postquam comes Robertus reversus est, voluit terram suam sub illis legibus tenere, sub quibus eam tenuerunt sui progenitores, et ideo partes<sup>1</sup> terrae, tempore guerrae, quasi rarissime inter se pugnabant. Sed abjecta lege per comitem, tam in villis quam in campis, fiebant homicidia plurima et horrenda, a tempore, quo dictus comes reversus est, usque ad tempus istud.

Circa medium mensis Martii, venit Robertus Nivernensis, junior filius Roberti, de curia et parlamenti regis, ad villas Yprensem, Gandensem et Bruggensem, portans secum transcriptum litterae, formam pacis continentis, petens instantissime ex parte regis et consiliariorum suorum et arbitratorum suorum, et etiam ex parte patris sui, quem Parisiis reliquerat, quod tam majores quam minores in dictam formam omnes unanimiter voluntarie consentirent, alioquin hoc essent facturi inviti, multas magnas eis ingerens minas. Consenserunt ergo in eam ad hoc majores ditiores Gandensium et Yprensiarum, et territoriorum suorum, et parvarum villarum Flandrensiarum, et territorii Bruggensis; sed vulgus pro majori parte tacuit et dissimulavit, volens videre, quem exitum res haberet in villa Bruggensi. Veniens autem Robertus Nivernensis Bruggas, et super aliis Bruggenses alloquens, inuito consilio, Bruggenses dilationem

<sup>1</sup> *Cod. Gand.* populus.

septem vel octo dierum de respondendo, quia negotium arduum erat, petierunt a Roberto et obtinuerunt.

Anno Domini MCCCIX, feria quarta post dominicam in Ramis Palmarum, quae feria quarta crastina fuit Annuntiationis Domini, Brugensibus convenientibus ad respondendum Roberto Nivernensi, dissensio facta est inter eos. Nam Liliardi, qui fere omnes ibi, sicut in Gandavo, ad propria fuerant reversi, et Brugenses, et mangones, et carnifices, et piscatores, in praedictam formam pacis voverunt consentire, eamque sigillo villae concorditer sigillare. Sed Petrus Rex, textor quondam, postea miles, et Johannes Frenum, carnifex, et Johannes *Heine*, fullo, et eorum sequaces cum omnibus textoribus, fullonibus et raso-ribus pannorum, et alii omnes mechanici vulgares, timentibus pellibus suis, eo quod plurimi ipsorum multa mala, sicut in guerris fieri solet, erga regem et Francos et Liliardos commiserant, considerantes etiam principum et militum et nobilium armigerorum et majorum et ditiorum in villis omnibus adversum se concordiam, ponderantes etiam quidam in dicta littera conscripta, et dure accipientes, quae supra, sub anno MCCCVI, posita non sunt, scilicet quod rex posset inquirere eos, qui fuerant principum et causa totius guerrae et recessus terrae ab ipso, et punire, et quod etiam posset de terra accipere omnem securitatem, quam vellet, quae tamen securitates ibi scriptae non erant; ex qua clausula conjecturabant, quod vellet accipere a terra multos obsides, et auferre arma, et quod etiam omnia contenta in littera rex posset semper in posterum, secundum suum beneplacitum, mutare et meliorare, et quod etiam quicumque Flamingorum faceret contra aliqua in littera contenta, statim ipso facto esset excommunicatus, tali excommunicatione, quod ab ea absolvi non posset, nisi a papa; et nec a papa, nisi ad regis requisitionem et voluntatem, nullo modo voverunt consentire, imo aliis, scilicet Brugensibus et mangonibus, multum indignati ad arma currere coeperunt.

Erat ergo timor et tremor maximus in villa de ferocissimo bello intestino; consentire enim non volentes erant plures numero, et ad bella prouiores et atrociores, licet alii essent ditiores et cauteliosiores. Summa igitur cum festinatione quidam prudentes ex consentire volentibus; videntes se et suos in maximo positos periculo, consentire nolentes allocuti, blande eis persuaserunt, ut utraque pars concorditer quatuor bonos et fideles viros eligerent de villa, quos pro eis ad curiam regis procuratores et mediatores mitterent, inquisituros humiliter et investigaturos, utrum ab ipso rege aliquam gratam



et mitiorem sententiam obtinere valerent. Factumque est ita, et indignatio consentire nolentium quievit. Simili etiam modo aliae villae Flandriae procuratores miserunt, propter timorem vulgarium, quibus omnes nobiles et majores suspecti erant, aestimantium, quod totum pondus emendae et punitionis in ipsos, non in nobiles et majores, verteretur, et quod in vilissimam redigerentur servitutem, si in praedictam formam pacis unanimiter consensissent, per duram adversum se tam Francorum quam Flandrensium nobilium et majorum conceptionem. Rex autem et consilarii sui principes et nobiles omnes commotionem vulgarium et indignationem formidantes, ab iis, quae conceperant, dissimulare ad tempus statuerunt. Remansitque terra Flandriae, isto anno, in aliqua quiete, non tamen totali, quia comes Robertus, parum habens de propria industria, consilio usus aliquorum, minus de bonitate et veritate habentium, qui valde sub ipso ditabantur, erant enim munerum acceptores, tyrannizare coepit, et cupidus exactor super omnes, quibus praevalere potuit, existere. Unde vulgares in Wasia, circa finem istius anni, erga ipsum rebellantes et commoti, ab eo congregante exercitum nobilium dure sunt subjugati, factaque inquisitione, circiter XXV capitanei ipsorum de terra Flandriae sunt banniti, et quinque alii deprehensi crucifragio interempti. Villis tamen principalibus, quamvis plurimum ad hoc niteretur, praevalere non potuit, quia viriliter suas libertates defendebant.

Hoc anno, nulla nova notabilia acciderunt, nisi quod in ipsius aestate innumerabiles vulgares de terra Angliae, Picardiae, Flandriae, Brabantiae, Alemanniae, se ipsos sine praelatorum consilio cruce signantes, ut terram sanctam conquirerentur, versus curiam Romanam, quae tunc erat in Avenione, ut concessum papae et cardinalium ac auxilium peterent, profecti sunt. Quibus eis non annuentibus, quia duces valentes, divites et potentes non habuerunt, qui indiscrete ierant, cum confusione ad propria redierunt.

Anno Domini MCCCX, circa medium mensis Maii, quatuor templarii, quibus crimen haeresis et Sodomiae imponebatur, Parisiis sunt concremati.

Mense Julio, comes Robertus maximum et fortissimum ac valde voluntarium pulcherrimumque de tota terra Flandria Flamingante, inter Geraldimontem et Hannoniam versus Lessinum, ut supra patet, a Flandrensibus ante annos destructum, congregavit exercitum, jurans per Deum, ipse et filii sui, multis maledictis se constringentes, si non implerent juramentum, quod de tota guerra, quae fere per LXX annos duraverat, licet aliquando interfluxerant

aliqua intervalla treugarum, inter Margaretam, aviam suam, et patrem Guidonem, ipsumque et fratres suos ex parte una, et Johannem de Avenna fratremque suum Balduinum, fratres uterinos Guidonis, et postea Johannem, filium dicti Johannis, comitem Hannoniae et Hollandiae, et Wilhelmum, nunc utrumque obtinentem comitatum ex altera, finem facerent (finitae enim tunc temporis inter ipsos erant treugae), ipsumque Wilhelmum cum eis pacem stabilem componere cogere, totam terram suam devastando, vel omnes in bello morerentur. Quod Wilhelmus perioscens, eis cum pulchro quodam comitatu equitum occurrit. Sed pedites sui inermes erant respectu Flamingorum, et pavidi corde et numero pauciores, quia de Hollandia et Zelandia nullos potuit habere, eo quod terram suam exire ad pugnandum contra Flandrenses noluerunt, sed solum ipsam defendere, si ab eis invaderentur; quia comes Robertus copiosum etiam habuit exercitum supra littus maris et naves plurimas ad invadendum Zelandiam et Hollandiam, si bellatores earum exissent terram suam. Videns itaque Wilhelmus tam validissimum, et copiosum, et optime armatum exercitum adversariorum peditum, et maximam multitudinem equitum, quam de Francia adduxerunt Ludovicus Nivernensis, et comes, et frater suus, et de Picardia Wilhelmus, dominus de Nigella, frater comitis Roberti, et Johannes de *Fienes*, qui habuit sororem ipsorum, et quam de Flandria contraxerat comes Robertus nobilium militum et armigerorum et burgensium Liliardorum, qui in praeteritis guerris fuerant cum rege, sed modo corde cum comite (tam propinqua enim erant castra hostilia, quod exercitus Hannoniae de monticulo quodam bene exercitum Flandrensem in quadam sui monstrazione vel ostensione et acierum ordinatione, dum in brevi bellum habere credebat, videre poterat), licet esset valens miles dictus Wilhelmus, pertimuit bellum, exspectare non audens, et ideo, agentibus Johanne Namurcensi, fratre comitis Roberti et cognato Wilhelmi, et Gerardo, domino de *Zotteghem*, quondam castellano Gandensi, mediatoribus et cum multo labore concordantibus partes, dictus Wilhelmus cum pulchra comitativa equitum sine armis ad comitem Robertum in suis castris supplex venit, genua flexit, pacem petiit, fidelem amicitiam promisit, eique homagium de insulis Zelandiae fecit, ea conditione, quod Guidoni Namurcensi de tot redditibus, quantum insulae valent, vel de aequivalente terra satisfaceret et provideret. Spondit etiam pro se et suis heredibus, quod nunquam terram Flandriam ultra Scaldam, et nec terram Quatuor Officiorum, quas comes Robertus et

pater suus a rege Alemanniae tenerant, et pater, Wilhelmi avus, omnibus modis habere volebat, tanquam propria et hereditaria bona, peteret nec impeteret, et omnes amicos comitis Roberti de terra Zelandiae et Hannoniae, vel heredes eorum; qui propter comitem Flandriae de terris suis expulsi erant, vel bonis privati, ad propria et paterna bona restitueret et pacem stabilem conservaret, ponens fidejussores omnium praedictorum praefatos mediatore, cum tribus aliis baronibus divitibus et nobilibus Hannoniae, tali conditione, quod si unquam veniret ipse, vel heres suus, contra aliquod praemissorum, omnia bona, omnesque redditus bene ascendentes usque ad valorem XXV millia librarum bonae monetae, quae vel quos dictus Johannes, comes Namurcensis, et alii quatuor fidejussores in terra Flandrensi habuerunt, amitterent ipsi et heredes eorum, et statim ad ea comes Flandriae, vel heres suus, manus, ut ad propria bona, apponere posset. Sicque exercitus Flandrensis, ut populus pacis et qui invite guerret, nisi necessitate urgeretur, cum maximo gaudio ad propria remeavit.



**ANNALES**

**SANCTI BAVONIS GANDENSIS.**



## ANNALES

### SANCTI BAVONIS GANDENSIS<sup>1</sup>.



Anno quadragesimo septimo ante nativitatem Domini nostri Jesu Christi, inclytus Gayus Julius, Caesar Romanorum, construxit nobile castrum et famosum super flumina Scaldis et Legiae, ubi idem amnis Scaldis Legiam flumen recipit. Cui a nobili nomine suo Gayo Ganda nomen imposuit. Qui dum sibi subjugasset Britanniam, ante regressum ejus versus urbem Romam, reliquit quosdam milites ac nobiles barones suos, cives romanos, ad custodiendum castrum suum Ganda. Unde cives Gandenses originem; et postmodum sibi nomen, assumpserunt.

Anno vero Domini nostri Jesu Christi sexcentesimo octavo post ipsius nativitatem, beatus Amandus, tam Deo quam hominibus amabilis, ex nobilibus Aquitaniae provinciae parentibus oriundus, per Galliasque praedicationis gloria clarescens, in dictoque castro Ganda primo verbum Domini praedicans, contrivit idolum Mercurii et aram ejus subvertit, et ibidem ecclesiam construxit.

Anno vero Domini DCXI, ecclesia Gandae ab incredulis destruitur.

<sup>1</sup> Ex Codice in bibliotheca universitatis Gandensis, n° 10, seculo XIV exarato. — Exstant Codices earumdem annalium in variis bibliothecis Gandavensibus, item Duaci, sed omnes e Codice nostro descripti sunt.

Anno vero Domini DCXIII, ecclesia Gandae, auctoritate Aycharii, Noviomensis episcopi, et Dagoberti regis Francorum, per beatum Amandum reformatur. Insignis pater Allowinus, qui et Bavo, ex Francorum genere ortus, Hasbaniae comes, et Austrasiorum ducum heres, Spiritu Sancto cor ejus illustrante, sanctum Amandum in dicto castro Gandae adiit, ejus sancta praedicatione et doctrina salutari inhianter cupiens salvari.

Anno vero Domini DCXVI, ecclesia Gandae dedicatur, idibus Novembris, in honore sancti Petri apostoli, a sancto Amando episcopo, qui clericos Deo servientes ibidem primo instituit, et beatum Bavonem, omnibus suis pro Deo prius erogatis, tonsura clericali insignivit.

Anno vero Domini DCXVIII, beatus Amandus in ecclesia Gandae, amotis clericis, catervam monachorum aggregavit, quibus praefecit abbatem venerabilem virum, nomine Florbertum, virtutibus et sancta religione decoratum.

Anno vero Domini DCXXIX, sanctus Bavo, per beatum Amandum et venerabilem virum abbatem Florbertum, postquam hominem, nomine Adtinum, in labore suae cellae defunctum post trium horarum spatium, ab inferni faucibus revocasset et palam omnibus vitae reconsignasset, in eadem cella arctissima, in dicto coenobio fundata et constructa, sanctitatis exempla cunctis derelinquens, non sine admirabili multorum lamentatione [quinto idus Novembris], solitarie recluditur.

Anno Domini DCXXXI, appropinquante beati Bavonis vitae termino, angelus eum Domini per visum in specie columbae visitavit, totam ipsius cellulam mira odoris fragrantia replens. Post haec vero sanctae crucis signo, cui famulando mentem suam totus iniecerat, coelitus sibi apparente, vinculis corporis absolvi et cum Christo esse cupiebat. Qui post multiplices hujus seculi labores, corporisque macerationes, et diversas Spiritus Sancti visitationes, in coenobio Gandae, die primo kalendarum Octobrium, animam corpore exutam in manus creatoris sui, laetantibus angelorum choris, efflavit. Adfuerunt autem in ejus sacro transitu sanctissimus Amandus episcopus et venerabilis abbas Florbertus, cum venerando suorum fratrum collegio, necnon Domlinus, Thurlholtensis ecclesiae presbyter, ad praefatum beatum Bavonem, angelo comitante, perductus. Apparuit autem felix ipsius anima in ejus egressu salutari, beatissimae Gertrudi virgini, abbatissae Nivellensis coenobii, jubens sibi vestimenta ad sepeliendum corpus suum transmitti. Quod et miraculose factum est. Corpus vero ipsius miraculis coruscando cum reverentia et condigno honore a

beato Amando episcopo et venerabili abbate Florberto, nec non Domlino presbytero; cum utriusque sexus ingenti moerore, in cella reclusionis suae, sita in coenobio Gandae, ecclesiasticae traditur sepulturae.

Anno vero DCXXXIII, beatus Livinus, genere Scotus, et Hiberniae archiepiscopus, coenobium Gandae, cum tribus discipulis sibi et Deo dilectis, decimo septimo kalendas Augusti, peregre visitavit, ibique ab abbate Florberto et devotis fratribus caritative ac benigne hospitio susceptus est. Qui pridie idus Novembris in villa, quae Escha vocatur, pro fide Christi martyrizatus decollatur. Cum quo etiam nobilis matrona, nomine Craphaëldis, cum Briccio infante in frustris mactato, capite secatur. Beatus autem martyr Livinus in sepulcro novo, apud villam *Holthem* angelicis manibus praeparato, a discipulis suis cum Briccio infante decenter et honorifice sepulturae traditur. Beatam quoque Craphaëldem, Christi martyrem, seorsum juxta sepulcrum sancti martyris Livini posuerunt.

Anno vero DCXXXVI, beatus Landoaldus, in ecclesia romana archipresbyter et cardinalis, a beato Amando episcopo in ecclesia Tungrensi sive Trajectensi substituitur, ubi per novem annos vices pontificis, usque ad tempus sancti Remacli, decenter administravit.

Anno vero DCXLII, obiit venerabilis Florbertus, primus abbas Gandensis coenobii, VIII idus Octobris, in praefato coenobio Gandensi, et ibidem ante altare sancti Petri honorifice sepultus, per multa annorum curricula in eodem loco in pace requievit. Cui successit vir Dei Adalbertus, a beato Amando secundus abbas Gandensis coenobii constitutus.

Anno vero DCXLIII, sancta Vinciana virgo, soror sancti Landoaldi, obiit in *Wintreshove*, et ibidem a fratre suo sepelitur.

Anno vero DCXLVI, sanctus Landoaldus episcopus, archipresbyter et cardinalis sanctae Romanae ecclesiae, obiit in *Wintreshove*, et ibidem in ecclesia beati Petri, quam aedificaverat et dedicaverat, decenter sepelitur.

Anno vero DCLX, Adalbertus, abbas Gandensis coenobii, qui confirmationes privilegiorum Gandensis coenobii a papa Eugenio concessas obtinuerat, obiit. Cui successit Fulco.

Anno vero DCLXI, sanctus Amandus obiit episcopus.

Anno vero DCLXXIII, Fulco abbas Gandensis obiit. Cui successit Wilfridus.

Anno vero DCLXXVI, elevatio sancti Amandi episcopi a sancto Eligio episcopo facta est.

Anno DCLXXX, elevatio sacratissima egregii confessoris Christi Bavonis, multis miraculorum signis longe lateque per eum patratis, celebrata est magnifice in coenobio Gandensi a praefato beato Eligio, Noviomensi episcopo, et Wilfrido abbate, in kalendis Augusti.

Anno DCXC, Wilfridus abbas Gandensis obiit. Cui Reingerus successit.

Anno DCXCIII, Childela sacrata dedit ad ecclesiam sancti Bavonis in *Megmedong* res suas in Fursitio et in Heminga et Hamma et Dacenlara.

Anno DCCIV, Reingerus, abbas Gandensis, obiit. Cui Albericus successit.

Anno DCCXI, Albericus, abbas Gandensis, obiit. Cui Wilradus successit.

Anno DCCXXVIII, Wilradus, abbas Gandensis, obiit. Cui Hildebertus successit.

Anno DCCXXXV, elevatio prima sanctorum Landoaldi, Vincianae, Amantii, Adriani et aliorum sanctorum facta est in ecclesia beati Petri de *Wintreshove*, kalendis Decembris, a sancto Floreberto, dignae memoriae Leodicensi episcopo, prae multitudine miraculorum, quae ibidem fiebant, super iis divinitus admonito.

Anno DCCLII, Hildebertus, abbas Gandensis, interficitur a consiliariis Constantini impiissimi imperatoris, qui propter haec et alia facta horribilia, quae perpetravit, igne gehennali in corpore et anima atrociter punitur. Cui successit Egilfridus, episcopus Leodiensis, per Stephanum papam abbas Gandensis creatus. Qui anno Domini DCCLIV de urbe Roma rediens, multas reliquias apostolorum et aliorum sanctorum, et de Lotharingia corpus beatae Pharaildis, Deo dicatae virginis, secum detulit, et in coenobio Gandensi, XVI kal. Decembris, honorifice et decenter collocavit.

Anno DCCLXII, Egilfridus, episcopus Leodicensis et abbas Gandensis coenobii, obiit. Cui Rotbertus successit.

Anno DCCLXXI, Rotbertus, abbas Gandensis, obiit. Cui successit Wericus abbas.

Anno DCCLXXX, Wericus, abbas Gandensis, obiit. Cui Eynoldus successit.

Anno DCCLXXXII, Lydricus, comes Arlebeccensis, comitatum Flandriae suscepit.

Anno DCCXCIV, Eynoldus, abbas Gandensis, obiit. Cui Woneboldus successit.

Anno Domini DCCCIX, Woneboldus, abbas Gandensis, obiit. Cui Briddo successit.



Anno DCCCXIII, totum coenobium Gandense intestino incendio destruitur.

Anno DCCCXVI, Briddo, abbas Gandensis coenobii, obiit, et postea facta est fratrum dispersio.

Anno DCCCXXVI, Eynardus<sup>1</sup>, capellanus Ludovici piissimi imperatoris, factus est abbas Gandensis coenobii. Qui, anno DCCCXXVIII, reliquias sanctorum Marcellini et Petri ibidem transmisit.

Anno DCCCXLII, elevatio sancti Livini, archiepiscopi et martyris egregii, et sancti Briccii infantis facta est apud villam *Holthem* per Theodricum, Camera-censem episcopum.

Anno DCCCXLIV, Eynardus, abbas Gandensis, obiit. Successit Einkericus, qui secundo anno, scilicet DCCCXLVI, propter incursionem Northmannorum, corpora sanctorum Bavonis et Pharaïldis, cum aliis reliquiis sanctorum, transtulit ad castrum sancti Audomari.

Anno DCCCLI, Northmanni et Dani monasterium sancti Bavonis incendunt et devastant.

Anno DCCCLII, Einkericus, abbas Gandensis, obiit et Tasradus<sup>2</sup> successit.

Anno DCCCLIII, Tasradus abbas et monachi cum reliquiis et corporibus sanctorum<sup>3</sup> de sancto Audomaro ad Laudunum transfugerunt.

Anno DCCCLXVII, Tasradus, abbas Gandensis, obiit apud Nigellam repulsam et ibidem sepelitur. Cui successit Radulfus, a fratribus Gandensis coenobii abbas electus, quia dicti fratres in praedicta Nigella, causa dispersionis, degabant.

Anno DCCCLXXX, Northmanni hyemaverunt in Gandavo.

Anno DCCCLXXXII, Radulfus, abbas Gandensis, obiit Lauduni et in monasterio de Nigella sepelitur. Cui successit Helia, a fratribus Gandensis coenobii abbas electus.

Anno DCCCXCV, Helia, abbas Gandensis, obiit Lauduni et ibidem in ecclesia sancti Vincentii sepelitur. Post cuius mortem magna exstitit dispersio monachorum, quae plus quam per quadraginta annos continue duravit.

Anno CMXXXVII, Arnulfus magnus, comes Flandriae, gloriosus marchio, hortatu venerabilis viri Transmari, Noviomagensis episcopi, coenobium Gandense tunc dirutum, quod deserto pene videbatur similis, restauravit

<sup>1</sup> Einhardus historiographus.

<sup>2</sup> Sic in Codice. Apud SANDERUM (in Gandavo) appellatur Tafradus.

<sup>3</sup> Et libris; haec nempe causa est quod unus epistolarum Einhardi codex mille post annos adhuc Lauduni servatur.

et in melius reformavit, et virum illustrem sanctum Gerardum Broniensem, abbatem dicti Gandensis coenobii constituit et rectorem.

Anno CMXXXIX, sanctus Bavo, cum aliis pignoribus sanctorum et reliquiis, de Lauduno ad monasterium de Nigella translatus, ad arcem oppidi sui cum septem monachis ad ecclesiam in novo castello constructam reportatur, decimo tertio kal. Octobris, quia coenobium Gandae nondum plene restauratum fuerat.

Anno CMXL, aliquibus sanctorum Bavonis et Pharaïldis reliquiis in ecclesia predicta novi castelli, super ripam fluminis Legiae sita, ad instantiam et devotam supplicationem Arnulphi comitis Flandriae relictis, tali conditione, quod clerus praefatae ecclesiae cum suprädictis eorum reliquiis annuam peregrinationem dicto coenobio Gandensi venerabiliter persolveret, sanctorum Bavonis et Pharaïldis praedictorum corpora, cum aliorum sanctorum pignoribus, a sancto Gerardo, abbate Gandensi, de saepedicta novi castelli ecclesia, cum innumerabili multitudine populorum, ad coenobium Gandense reportantur, et cum ingenti laetitia et tripudio ibidem decenter relocantur.

Anno CMXLVI, coenobium Gandense cum congregatione fratrum a sancto Gerardo abbate reaedificatur et in melius exaltatur.

Anno CMXLVII, Transmarus episcopus ad rogatum Arnulphi, comitis Flandriae, ecclesiam sancti Petri in castro Gandae super Scaldam et Legiam sitam, quae dicitur coenobium Gandae, privilegiavit et liberam fecit.

Anno CMLIII, sanctus Gerardus, abbas Gandensis, resignavit, et per Arnulphum, comitem Flandriae, et Rodolphum, Noviomensem episcopum, Hugonem Gandensis coenobii abbatem sibi substituit.

Anno CMLVII, Columbanus, abbas Hiberniensis, vir sanctissimus, inclusit se in cimiterio Gandensis coenobii, quarto nonas Februarii, sanctam ibidem ducens vitam.

Anno CMLIX, sanctus Gerardus, Broniensis coenobii fundator, quondam abbas Gandensis coenobii, vir sanctissimus, migravit ad Dominum. Et eodem anno, Columbanus, abbas Hiberniensis, vir sanctissimus et Gandensis ecclesiae sancti Bavonis inclusus, in ipso coenobio Gandensi obiit. Qui in crypta beatae Mariae, ante altare beati Andreae, parum remotius sub arcu lapideo, sepultus quiescit.

Anno CMLX, prima capella in oppido de *Rodenborg* dedicatur, in honore beati Bavonis, egregii confessoris.

Anno CMLXV, Hugo, abbas Gandensis, resignavit, et eodem anno obiit. Cui successit venerabilis vir abbas Womarus.

Anno CMLXXX, corpora sanctorum Landoaldi, praesulis et in ecclesia Romana archipresbyteri et cardinalis, Amantii archidiaconi sui, Adriani martyris, ad regem Hildricum sui internuntii, Vincianae virginis, ejusdem sancti Landoaldi sorore, et Landradae virginis, inclytae Belisiensis<sup>1</sup> abbatissae, de *Wintreshove*, Hasbaniae vico, ad Gandensis castrum coenobium cum multa miraculorum gloria sunt delata.

Anno CMLXXXII, elevatio sancti Landoaldi sociorumque ejus a Liudulfo, Noviomensi episcopo, in coenobio Gandensi, coram infinita populi multitudine, solemniter celebrata est, domino abbate Womaro, qui hanc sanctorum elevationem sacratissimam fieri diligentissime procurabat, ibidem tunc praesente. Qui Womarus, abbas Gandensis, eodem anno obiit. Cui Wido levita successit, qui eodem anno sponte resignavit, et Odwinus eidem successit.

Anno CMLXXXIII, secundus Otto, imperator Romanorum, qui societatem fraternitatis fratrum Gandensis coenobii desideranter olim adeptus fuerat, et ob hoc plurima bona dicto monasterio, a malignis injuste direpta, grati animo restituerat, et super iis privilegia et confirmationes privilegiorum dicto coenobio concesserat, Romae moritur. Cui successit filius ejus Otto.

Anno CMLXXXV, reliquiae sanctorum Pancratii et Barbarae, cum plurimis aliorum sanctorum reliquiis, de urbe Roma per venerabilem Eremboldum, tunc monachum sed postea abbatem, ad coenobium Gandense sunt delatae. Et eodem anno, inchoatum est in majori excellentia majus aedificium ecclesiae et chori Gandensis coenobii, die kal. Aprilium, sub Odwino abbate.

Anno CMXCVIII, Odwinus, abbas Gandensis, obiit. Cui Eremboldus supradictus successit.

Anno MIII, inchoatum est occidentale opus Gandensis coenobii, septimo kal. Maii, sub Eremboldo abbate.

Anno MVII, in coenobio Gandensi adventus corporum beatissimi Livini, archiepiscopi et martyris egregii, et sancti Briccii infantis et martyris, cum multis miraculorum insignibus, maxima Gandensis populi multitudine obviam sibi concurrente, diversisque laudibus jugiter psallente, et incursio prima regis Henrici in Gandavo.

<sup>1</sup> *Bilsen* vel *Wilsin* Hasbaniae, prope Hasletum.

Anno MX, translatio prima beati Bavonis egregii confessoris, per Eremboldum, abbatem supradictum, in coenobio Gandensi facta est.

Anno MXI, in coenobio Gandensi adventus beati Macharii peregrini, viri nobilissimi et Antiochenae sedis archiepiscopi.

Anno MXII, sanctus Macharius, mortiferam Gandensis populi pestem precibus et lacrymis continuis redimens, eademque peste se divinitus affligi obtinens, in coenobio Gandensi, quarto idus Aprilis, obiit sanctissime, et ibidem in crypta beatae Mariae, ante altare sancti Pauli apostoli, miraculis plurimis coruscans, sepelitur honorifice.

Anno MXVII, Eremboldus, digni memoriae abbas Gandensis, obiit.

Anno MXIX, Othelboldus ordinatur abbas Gandensis coenobii.

Anno MXX, secunda incursio regis Henrici in Gandavum.

Anno MXXXIV, Othelboldus, abbas Gandensis, obiit. Cui Lidwinus Attrebatensis successit.

Anno MXXXVI, Lidwinus, abbas Gandensis, resignavit. Cui Rumoldus Bergensis successit.

Anno MXXXVIII, Rumoldus, abbas Gandensis, deponitur, et in sequenti anno, Folbertus abbas Gandensis ordinatur.

Anno MLVIII, translatio secunda sancti Bavonis egregii confessoris, facta est a Balduino, Noviomensi episcopo, et abbate Folberto, sexto idus Maii. Ad cujus feretrum honeste decorandum quidam, nomine *Bruno*, dedit sancto Bavoni novem marcas auri et dimidiam, pro pretio et praebenda aurificis XIV libras. Dedit etiam crucem dimidiam marcam auri, et pondus XVIII denariorum continentem, duos calices cum patenis quinque marcas habentes, duas casulas et duas cappas et duo pallia. Haec sunt quae praedictus *Bruno* contulit sancto Bavoni pro remedio peccatorum suorum, commonefaciens praesentis et futuri temporis seniores pariter et juniores, ut ipsius peccatoris memoria non deleatur, sed per omne temporis aevum in commune<sup>1</sup> frater-  
narum precum memorialis habeatur.

Anno MLXVI, Folbertus, abbas Gandensis coenobii, obiit. Cui Sigerus successit.

Anno MLXVII, elevatio sancti Macharii, Antiochenae sedis archiepiscopi, facta est in coenobio Gandensi a Balduino, Noviomensi episcopo, et Litberto,

<sup>1</sup> Sic abbrev. in codice : Cœ.

Cameracensi episcopo, VII idus Maii, praesentibus abbatibus plurimis et monachis, cum sanctorum suorum corporibus ex ipsorum coenobio ibidem secum allatis, praesentibus etiam Philippo rege Franciae, Balduino Insulano, Flandrensium comite, et filio ejus Balduino, Haynoensium comite, aliisque principibus et magnatibus quam plurimis, cum innumérabili utriusque sexus populo ibidem congregato. In crastino autem praedictae elevationis, praesentibus supradictis episcopis, abbatibus, principibus et magnatibus, dedicata est Gandensis ecclesia in Christi nomine omniumque sanctorum honore, cum ingenti gloria et honore.

Anno MLXXII, ecclesia parochialis, in castro Gandensi sita, quae vulgariter nominatur ecclesia sancti Christi, sive *Christikerka*, dedicata est in honore sanctae Crucis sanctique Bavonis a Radbodo, Noviomensis episcopo, abbate Sigero, cum omni congregatione fratrum sibi commissa, hoc honorifice procurante.

Anno MLXXIII, portiones reliquiarum sancti Bavonis sanctaeque Pharaïldis a sancto Gerardo, abbate Gandensis coenobii, Arnulfo Magno, Flandrensium comiti, gratiose dudum concessae, in ecclesianovi castelli supra ripam fluminis Legiae in fisco Gandensis coenobii sita, et in praefatorum sanctorum Bavonis et Pharaïldis olim honore fundata, translatae sunt per Radbodum, Noviomensis episcopum, praesentibus Sigero Gandensium et Folcardo Blandiniensium abbatibus. Eodem anno, Sigerus, abbas Gandensis, sponte sua absolvitur, et Stephanus de Ecmundis vi introducitur.

Anno MLXXIV, reliquiae diversae sanctorum et sanctarum translatae sunt per Stephanum, abbatem Gandensis coenobii, et ipsius fratrum congregationem, in ecclesia parochiali sanctae Crucis sanctique Bavonis Gandensis supradicta, et in novum scrinium ad hoc praeparatum decenter collocatae.

Anno MLXXVI, Stephanus, abbas Gandensis, deponitur. Cui Wichmannus successit.

Anno MLXXX, translatio reliquiarum sanctorum Pancratii et Barbarae, martyrum Christi, cum multis aliorum sanctorum reliquiis, facta est in coenobio Gandensi per domnum Wichmannum, praedicti coenobii abbatem, primo die kal. Augusti.

Anno MLXXXIII, translatio prima sancti Livini, archiepiscopi et martyris egregii, facta est per Radbodum, episcopum praedictum, et Wichmannum, Gandensis coenobii abbatem.

Anno MXCII, Wichmannus, abbas Gandensis, deponitur et Adelardus successit.

Anno MXCIX, Adelardus, abbas Gandensis, obiit. Cui venerabilis Wulfricus successit.

Anno MCXXXI, Wulfricus, venerabilis abbas Gandensis, obiit. Cui Everdeyus successit.

Anno MCXXXVIII, inchoatum est occidentale opus majoris turris Gandensis coenobii, primo die mensis Martii, sub Everdeyo abbate.

Anno MCXLVIII, dedicatio cryptae Gandensis coenobii celebrata est ab Anselmo, Tornacensi episcopo.

Anno MCLI, Everdeyus, abbas Gandensis coenobii, sponte sua absolvitur. Cui Betto successit.

Anno MCLVI, reliquiae parochialis ecclesiae sanctae Crucis sanctique Bavonis Gandensis superius memoratae, ad rogatum domni Bettonis, Gandensis coenobii abbatis, translatae sunt in die Palmarum de primo scrinio in secundum a domino Geraldo, venerabili Tornacensi episcopo, cleri et populi multitudine copiosa ibidem confluite.

Anno MCLXV, dedicatio oratorii, sive capellae infirmorum Gandensis coenobii, celebrata est in honore Sanctae Trinitatis.

Anno MCLXXI, translatio secunda sancti Livini, archiepiscopi et martyris eximii, facta est in coenobio Gandensi per dominum Galterum, Tornacensem episcopum, tempore Bettonis abbatis. Qui ibidem tunc praesens existens, caput et corpus integrum beatissimi martyris, per manus praefati episcopi, populo ostensum, cum devotione magna videre promeruit. Et eodem anno, adventus reliquiarum XI millium virginum in praefato coenobio Gandensi. Et corpus Eremboldi, abbatis Gandensis, transfertur.

Anno MCLXXVII, sanctus Macharius, Antiochenae sedis archiepiscopus, de crypta super sanctuarium per Bettonem abbatem transfertur. Et eodem anno, dominus Betto abbas obiit. Cui Wilhelmus successit.

Anno MCLXXIX, dedicatio capellae, sive oratorii sancti Macharii super lavatorium, celebrata est per Everardum, Tornacensem episcopum.

Anno MCXXXVII, Wilhelmus, abbas Gandensis, obiit. Cui Everdeyus secundus successit. Et eodem anno, XIII kal. Februarii, in novo castello Gandensi adventus venerandi ligni salutiferae crucis Dominicae in basilicam sancti Michaëlis archangeli, tempore Philippi, Flandriae et Viro-

mandiae comitis, de partibus transmarinis miraculose ibidem delati.

Anno MCXCV, undecimo kal. Julii, dedicata est ecclesia in cimiterio Gandae a Stephano, Tornacensi episcopo, in honore sanctae Dei genitricis Mariae, sancti Thomae apostoli, et Stephani protomartyris, et sanctarum Agnae, Katarinae et Margaretae virginis, tempore Everdei abbatis, Gerolfi monachi et ibidem capellani.

Anno MCCVI, Everdeyus secundus, abbas Gandensis, sponte sua absolvitur, et Balduinus, natus de *Ponteraven*, successit.

Anno MCCVIII, Balduinus, abbas Gandensis, absolvitur. Cui Eustachius successit.

Anno MCCXIII, Eustachius, abbas Gandensis, obiit. Cui secundus Henricus, natus de *Herdenborg*, successit.

Anno MCCXXIV, Henricus secundus, abbas Gandensis, obiit. Cui secundus hujus nominis Balduinus, filius Balduini, advocati sancti Bavonis, successit. Qui etiam bona dicti coenobii Gandensis plurimum augmentavit, et aedificia magna construxit.

Anno MCCXLIV, reliquiae parochialis ecclesiae sanctae Crucis sanctique Bavonis Gandensis, superius iterato nominatae, de secundo scrinio in tertium, octavo idus Novembris, sunt repositae per domnum Balduinum, abbatem supradictum, et Sigerum priorem, et quamplures ejusdem coenobii monachos, et Theobaldum, ejusdem ecclesiae parochialis presbyterum.

Anno MCCLI, Balduinus secundus, abbas Gandensis coenobii, obiit. Cui Theodoricus de *Maldeghem*, vir bene litteratus et honestus, successit.

Anno MCCLVIII, Theodoricus, abbas praedictus, condolens venerabilem virum Florbertum, primum ipsius Gandensis coenobii abbatem, pedibus transeuntium irreverenter ibidem conculcari, consultis fratribus, quadam die matutinis dictis, ipsisque abbate et fratribus albis indutis, stolisque decoratis, cum reverentia, ut decuit, ejusdem Florberti sepulcrum, sublato sarcophago cum ipsius epitaphio insculpto, aperiri fecit. Ibique corpus ejusdem Florberti, cum albo lapide marmoreo ejus capiti supposito, iisque verbis insculptis, invenerunt: « HIC REQUIESCIT FLORBERTUS, ABBAS GANDENSIS COENOBII. OBIIT OCTAVO IDUS OCTOBRIIS. » Hujus autem sepulturae locus olim erat ante majus altare sancti Petri, a sancto Amando consecratum. Qui locus nunc est juxta chorum versus conventum sub arcu lapideo, ubi nunc aqua benedicta a fidelibus transeuntibus suscipitur. Levato autem ipsius Florberti corpore de

praedicto sepulturae suae loco, aquaque abluto, ossa ipsius in arca plumbea decenter et honorifice inclusérunt, et in muro ante capellam sancti Benedicti cum supradicto lapide marmoreo, prout adhuc patet, venerabiliter collocaverunt, domino Hugone de *Hoestborch*, priore sancti Petri in Blandinio, cum tribus monachis suis fratribus, ibidem tunc praesente.

Anno MCCLXII, Theodoricus, abbas Gandensis, obiit. Cui Johannes *Vromaud* successit.

Anno MCCXXXVI, Johannes, abbas Gandensis, sponte sua resignavit. Cui Walterus de *Herdenborch* successit.

Anno MCCCIV, praefatus Walterus, abbas Gandensis, sponte sua resignavit.

Anno MCCCVI, Henricus tertius, dictus Piscator, ordinatur abbas Gandensis coenobii. Qui eodem anno obiit, et eidem Walterus secundus, dictus de *Roden*, successit.

Anno MCCCXI, Walterus, abbas Gandensis, obiit. Cui Nicolaus, dictus Juvenis, successit.

Anno MCCCXX, Nicolaus, abbas Gandensis, obiit. Cui venerabilis vir Gerelmus, dictus *Borluut*, successit.

Anno MCCCXXXVI, portiones reliquiarum sanctorum Bavonis et Pharaïldis in ecclesia novi castelli, nunc comitis castellum nominati, in novo portu Gandensi super ripam fluminis Legiae sita, et in honore praedictorum sanctorum olim fundata, translatae sunt de veteri scrinio in novum per reverendum patrem dominum Andraeam, venerabilem Tornacensis ecclesiae episcopum, postea sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinalem, praesenti venerabili viro magistro Johanne de Portali, archidiacono Tornacensi, ac pluribus aliis venerabilibus personis diversae dignitatis, ejusdem Tornacensis ecclesiae canonicis, necnon religiosis etiam personis, nominis Henrico priore ac Balduino praeposito Gandensis coenobii, reverenter ibidem directis a venerabili viro domno Gerelmo, praedicti coenobii abbate, qui praedictae lationi interesse a domno Martino, supradictae ecclesiae praeposito, et ejusdem ecclesiae canonicis diligenter requisitus fuerat, sed pro nimia infirmitate sua ibidem adesse non valuit.

Anno MCCCXXXVIII, venerabilis vir Gerelmus, abbas Gandensis, obiit.

Anno MCCCXLI, domnus Petrus, monachus sancti Bertini, magister in theologia, ordinatus est abbas Gandensis coenobii per Benedictum papam duodecimum.



Anno MCCCXLIII, domnus Petrus, abbas Gandensis coenobii, sponte sua resignavit in manus domini Clementis papae sexti, per quod venerabilis vir et honestus Johannes secundus, dictus de *Moro*, fit abbas.

Anno MCCCXLV, praefatus domnus Johannes, abbas Gandensis, indulgentias salutare, in festivitibus sanctorum Bavonis, Livini, Macharii et Landoaldi in coenobio Gandensi acquirendas, a papa Clemente gratiose impetravit.

Anno Domini MCCCXLIX <sup>1</sup>, idibus Martii, obiit domnus Johannes, dictus de *Moro*, abbas. Cui venerabilis vir et discretus Balduinus tertius, dictus *Borluut*, dicti Gandensis coenobii monachus et praepositus, successit.

Anno Domini MCCCL, praefatus Balduinus, abbas quinquagesimus secundus dicti Gandensis coenobii, confirmatur et ordinatur, dominica qua cantatur : *Misericordia Domini*.

<sup>1</sup> Quae sequuntur a recentiori scriptore sunt addita.



**CHRONICON**  
**SANCTI BAVONIS,**

SCRIPTUM SUB FINEM SECULI XV

AB AUCTORE ANONYMO.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
DIVISION OF THE PHYSICAL SCIENCES  
DEPARTMENT OF CHEMISTRY  
5708 SOUTH CAMPUS DRIVE  
CHICAGO, ILLINOIS 60637

CHRONICON  
SANCTI BAVONIS,

SCRIPTUM SUB FINEM SECULI XV

AB AUCTORE ANONYMO<sup>1</sup>.

Anno quadragésimo septimo, ante nativitatē Domini nostri Jesu Christi, inclytus Gayus Julius, Caesar Romanorum, construxit nobile castrum famosum super flumina Scaldis et Legiae, ubi idem amnis Scaldis Legiam flumen recipit. Construxit<sup>2</sup> ergo illic propter decentiam et opportunitatem loci, in hyeme ad quiescendum et in aestate contra regem Cassibellaunum Britanniae bellandum, quem regem et regnum devicit totaliter. Imposuit ergo nomen castro, a nomine suo Gayo, Ganda, quod primo appellabatur Odnea, quod nunc est monasterium sancti Bavonis. Iste Gayus<sup>3</sup> ergo, postquam devicerat Britanniam, et versus Romam pergebat, reliquit quosdam nobiles barones suos ad custodiendum castrum suum Ganda, unde cives Gandenses originem, et postmodum sibi nomen, assumpserunt. Sed non fuit tunc Ganda, quod nunc Ganda dicitur, nuncupabatur enim *Herehem*. Unde dicitur vulgariter, qui nunquam fuit apud sanctum Bavonem, nunquam fuit in Ganda.

<sup>1</sup> Ex Cod. autog. quondam abbatae sancti Bavonis, nunc in bibliotheca Burgundica Bruxellis.

<sup>2</sup> Ex *Chronico Johannis de Thielrode*, pag. 5-6.

<sup>3</sup> Ex *eodem*, paulo inferius.

Anno Domini CCLXXX, sanctus Piatas sacerdos apud Tornacum martyrizatur et apud Siclinium tumulatur.

Anno Domini CCCXXXI, Clodio, filius Pharamundi, coepit regnare super Francos. Hic primus transivit Rhenum et venit de Germania ad Galliam Comatam, et Cameracum ac Tornacum, et terram a Thuringia usque ad Suminam fluvium, expulsis Romanis, occupavit.

Anno Domini CCCXXXVI, Flandbertus, filius Blesendis, sororis Clodionis regis, ab ipso Clodione, Francorum rege avunculo suo, provinciam maritimam supra mare sitam inter Scaldim et Suminam impetrat, et eam primo a no mine suo Flandberto Flandriam vocat.

Anno Domini CCCXLIX, sanctus Remigius nascitur<sup>1</sup>.

Anno Domini CCCCLII, Attila, rex Hunorum, Meroveum, regem Francorum, usque Aurelianis fugando insequitur, et nomen Christianitatis delere gestiens, has civitates destruxit, scilicet<sup>2</sup> Lutetiam [ quae Parisius ], Ambianos, Belvacum, Attrebatum, Cameracum, Tornacum, Morinum, Tungros et alias innumeras civitates, castella et oppida, quorum non erat numerus. Tuncque destructum est *Aldenborch*, oppidum maritimum in Flandria, et castrum Ganda.

Anno Domini CCCCLXIV, Raganarius secundus forestarius Flandriae suscipitur.

Anno CCCCLXXI, sanctus Remigius fuit Remorum archiepiscopus<sup>3</sup>.

Eodem anno, Theodoricus, rex Thuringorum, frater Lotharii regis Francorum, obiit.

Anno CCCCLXXX, sanctus Benedictus natus est patre, Provide nomine, filio Justiniani imperatoris, matre Abundantia, marchionissa de Monte Feraris.

Anno CCCCLXXXIV, sanctus Eleutherius in episcopum Tornacensem<sup>4</sup> consecratur, quam ecclesiam quadraginta quinque annis gubernavit.

Eodem anno, Clodoveus factus est rex Francorum.

Anno CCCXCXI, Britannia, mutato nomine, deinceps Anglia vocatur, quia, ut scribit Sigebertus, Britanni non valentes amplius ferre virtutem Anglorum<sup>5</sup>, ut victi, concessere in jus et nomen eorum.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMBL. hoc anno.

<sup>2</sup> MART. POL. Civitas Agrippina, et omnes supra Renum, et Parisius, Remis, Belvacensis, Ambianensis, Tungris et pene omnes civitates Galliae, ab Hunis sive Wandalis captae, destruc-

tae sunt. Martiano et Valentiniano imper.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> *Annales Tornacenses, in Thes. Nov. Anecdotor.*, tom. III, pag. 1433, E.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMBL.

Anno CCCCXCIV, beatus Benedictus accepit habitum monasticum a romano monacho.

Anno CCCCXCVII, Clodoveus<sup>1</sup> rex Francorum a beato Remigio baptizatur, et cum eo triginta millia hominum pariter, et Ludovicus deinceps nominatur.

Anno DII, Arturus<sup>2</sup>, rex Britonum, qui etiam Flandriae dominabatur, decessit.

Anno DIX, Raganarius, secundus forestarius Flandriae, a Clodoveo, rege Francorum, occiditur.

Anno DXIV, Clodoveus, rex Francorum, moritur<sup>3</sup>.

Anno DXX, Boëtius<sup>4</sup> philosophus a Theodorico rege martyrizatur.

Anno DXX, sancta Genovefa, virgo Parisiensis, migravit.

Anno DXXIV, sanctus Benedictus recepit Maurum et Placidum in monachos.

Anno DXXV, sancta Brigida<sup>5</sup> in Scotia a seculo migravit.

Anno DXXVIII, sanctus Eleutherius, Tornacensis<sup>6</sup> episcopus, transiit, et sanctus Medardus, Noviomensis episcopus, curam Tornacensis ecclesiae suscepit, sicque deinceps Noviomensis et Tornacensis dioceses ab uno praesule multis annis gubernatae sunt.

Anno DXXIX fundatum est monasterium in monte Cassino a beato Benedicto, destructa prius illic ara Apollinis.

Anno DXXXI, sanctus Vedastus a beato Remigio Attrebatensis ordinatur episcopus<sup>7</sup>.

Anno DXXXVII, sanctus Richarius a papa Silverio consecratur episcopus, et privilegiis redimitus totius Occidentis apostolatus ei committitur.

Anno DXLI, sanctus Placidus monachus, anno aetatis suae vicesimo septimo, in Italia cum XXIX monachis martyrizatur.

Anno DXLII, sanctus Benedictus apud montem Cassinum, ipso die Paschae, anno aetatis suae LXII, feliciter migravit, sed alii scribunt Domini DXCVI.

Anno DXLIV, sanctus Remigius, episcopus Remensis, anno episcopatus sui LXXII, obiit.

<sup>1</sup> MART. POL., Justino imperante et Symmacho pontificante.

<sup>2</sup> *Idem*, Hilario pontifi.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> MART. POL., Justino imperante.

<sup>5</sup> MART. POL., eodem imper.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> *Ibid.* et *Ann. Tornac.* in *Nov. Thes.*, tom. III, pag. 1435.

Anno DXLV, sanctus Medardus, Noviomensis et Tornacensis episcopus, migravit<sup>1</sup>.

Anno Domini DLIII, ecclesia Marchianensis a sanctis episcopis Autberto, Cameracensi, et Amando, VI kal. Novembris, in honorem apostolorum Petri et Pauli consecratur.

Anno Domini DLV, Gertrudis vidua, fundatrix Hammatici monasterii, VIII idus Decembris, migravit.

Anno DLVII, Finardus, tyrannus et praedo, fit forestarius Flandriae. Hic homo giganteae formae rapinis mercatorum coepit ditari; nec ausus fuit aliquis dominium hujus tyranni ingredi propter saevitiam ejus. Quia si bona capienda sui non invenissent, aliquoddam membrum intrantibus auferebant, sicque a mutilatione membrorum et spoliatione honorum sui satellites Vlamingi nuncupati sunt. Hoc ergo vulgari eloquio nomen Flandriae intulit: quidem a *vlaen* et *myncken* acceptum est, ut scribit Adrianus *But*<sup>2</sup>, monachus Dunensis.

Anno DLXVII, monasterium montis Cassini a Winnulis et Longobardis, uti sanctus Benedictus praeviderat, destructum est.

Anno DLXX, sanctus Vedastus episcopus, postquam quadraginta annis Cameracensem et Attrebatensem rexisset dioceses, ex hoc seculo transiit<sup>3</sup>.

Anno DLXXI, sanctus Amandus natus est<sup>4</sup>. Clotarius rex obiit.

Anno DLXXVIII, Sigebertus rex a Fredegunde, uxore fratris sui Childeberti regis, ante Tornacum dolose perimitur<sup>5</sup>.

Anno DXCVI, sanctus Gregorius papa misit sanctum Augustinum cum aliis sociis ad Angliam convertendam. Qui postea instruxit sanctum Livinum.

Anno DXCVII, Dagobertus in regno sublimatur.

Anno DCV, sanctus Gregorius, papa et doctor ecclesiae, obiit.

Anno DCVI, altum monasterium beatae Mariae virginis in Troncinio aedificatur a beato Amando, qui de licentia beati Eucharrii, Noviomensis et Tornacensis episcopi, per Flandriam praedicavit, et primo Troncinienses, anno praefato, convertit; et facta ecclesia illic clericos ordinavit. Deinde post biennium Gandavum castrum (prius tamen plurima ab infidelibus passus et in Scaldem fluvium projectus) convertit.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> Adhuc ignoramus, quo in opere haec scripsit ADR. DE BUDT. in *Chronico Flandrensi* nullus ejusmodi exstat locus.

<sup>3</sup> *Annales Tornacenses* supra citati, pagina 1454.

<sup>4</sup> *Ibidem*.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

Anno ergo Domini DCVIII, sanctus Amandus in Gandavo castro idolatriam destruxit. Idolum Mercurii contrivit et aram ejus subvertit, et ibidem ecclesiam construxit. Versus<sup>1</sup> :

Sexcentis annis post Christum bisque quaternis,  
Ecclesiam Gandae fundasti, praesul Amande.,  
Castro Gandavo requiescit nunc ubi Bavo.

Coeptum est autem hoc opus, indictione undecima, Phocae imperatoris anno quinto, Dagoberti regis Francorum anno duodecimo, pontificante sedem Romanae ecclesiae papa Martino, Aycharii, episcopi Noviomensis, anno quinto.

Anno DCX, Finardus forestarius a Lidrico primo occiditur, et Ydonea, sive Rothildis, filia Lotharii regis Francorum, ab eodem Lidrico colligitur et pro uxore tenetur.

Eodem anno, Blandinium monasterium aedificatur<sup>2</sup> a sancto Amando, et monachi ibidem locantur, et locus ille sancto Petro attitulatur. Versus :

In sexcenteno deno fundavit Amandus  
Anno Blandinium, dans patronum sibi Petrum.

Marcianense coenobium fertur inceptum.

Anno DCXI, Marcianense coenobium per beatum Amandum fundatur.

Anno DCXI, ecclesia Gandae ab incredulis destruitur.

Anno vero DCXIII, ecclesia Gandae, auctoritate Aycharii, Noviomensis episcopi, et Dagoberti regis Francorum, per beatum Amandum reformatur. Insignis pater Allowinus, qui et Bavo, ex Francorum genere ortus, Hasbaniae comes et Austrasiorum ducum heres, sanctum Amandum in dicto castro Gandae adiit, ejus praedicatione salubri cupiens salvari.

Anno DCXVI, ecclesia Gandae dedicatur<sup>3</sup>, idibus Novembris, in honorem sancti Petri apostoli a sancto Amando episcopo, qui clericos Deo servientes

<sup>1</sup> Leguntur hi versus in variis Codicibus de *Gestis sancti Bavonis*, et apud Johannem de Thielrode.

<sup>2</sup> SIGISE. GEMB.

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis* hoc anno supra p. 440. Cf. et *Chron. Johannis de Thielrode*, p. 75.



ibidem primo instituit, et beatum Bavonem, omnibus suis prius pro Deo erogatis, tonsura clericali insignivit.

PRIMUS ABBAS FLORBERTUS.

Anno Domini DCXVIII, sanctus Amandus<sup>1</sup> in ecclesia Gandae, amotis clericis, catervam monachorum aggregavit, quibus venerabilem virum Florbertum abbatem praefecit<sup>2</sup>.

Anno DCXXII, sanctus Columbanus, qui Luxonium in Francia fundaverat, inde instinctu Brunecillis expulsus, in Alemannia migravit.

Anno DCXXV, crux Christi<sup>3</sup> per Eraclium, occiso Cosdroë rege Persarum, ad Jerusalem reportatur; et Zacharias patriarcha, reductus a Perside, in sede sua restituitur.

Anno DCXXVIII, Lotharius, rex Franciae, matrimonium Lidrici confirmat et forestum Flandriae eidem et suis heredibus concedit et donat.

Eodem anno, bellum grave cum Sarracenis in Judaea geritur, in quo timens Eraclius imperator<sup>4</sup> crucem Dominicam in Constantinopolim transtulit.

Anno DCXXIX, sanctus Bavo<sup>5</sup>, postquam Attinum defunctum ad vitam revocasset, per beatum Amandum et abbatem Florbertum in ecclesia Gandae solitarie recluditur, quinto idus Novembris. Qui sanctitatis exemplum erat omnibus.

Anno DCXXX, sanctus Wandregisilus abbas migravit.

Anno DCXXXI, appropinquante beati Bavonis<sup>6</sup> vitae termino, angelus enim Domini per visum in specie columbae eum visitavit, totam ipsius cellam mira odoris fragrantia replens. Post haec vero, signo sanctae crucis coelitus sibi apparente, in coenobio Gandae, die primo kalendarum Octobrium, migravit. Adfuerunt autem in ejus sanctissimo transitu beatus Amandus episcopus et venerabilis abbas Florbertus, cum venerando fratrum suorum collegio, nec non Domlinus, Turholtensis ecclesiae presbyter. Apparuit autem felix ejus anima in egressu ejus beatae Gertrudi, abbatissae Nivellensis coenobii, jubens

<sup>1</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra pag. 430 et  
JOHANNES THIELRODE.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> Cfr. MART. POL.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB. Cfr. etiam MART. POL.

<sup>5</sup> *Annales sancti Bavonis*, hoc anno, supra  
pag. 440.

<sup>6</sup> *Ibidem* supra pag. 440.

sibi vestimenta ad sepeliendum corpus suum transmitti, quod et miraculose factum est. Corpus vero ipsius a beato Amando episcopo et venerabili abbate Florberto, necnon Domlino presbytero, in cella reclusionis suae sita in coenobio Gandae ecclesiasticae traditur sepulturae. Cujus epitaphium hoc erat :

Virgarum medius hic flore sub hoc tipicatus,  
 Flos non contactus, ex virgine materiatus,  
 Hic acie mentis Bavo vigil in documentis  
 Saepius hic sua dat, ut liber in aethera vadat  
 Hic crines abicit, se vincens qui sua vicit.  
 Orat et Attinum dat vitae, stulte locutum.  
 Hic tumulo dandus defertur, luget Amandus,  
 Florbertus plorat, offert Livinus et orat.

(*Hic in Codice legitur aliud epitaphium a sancto Livino scriptum, quod paulo inferius editur, pag. 463.*)

Anno DCXXXIII, Sigisbertus infans, filius Dagoberti regis, a sancto Amando baptizatur; ubi, cunctis tacentibus, ipse infans quadraginta dierum *Amen* respondit. Et Amandus Trajectensis episcopus ordinatur<sup>1</sup>. Haec Sigebertus.

Anno DCXXXIII, sanctus Amandus, vicesimus sextus Trajectensis sive Tun-grensis fit episcopus, defuncto sancto Johanne Agno episcopo.

Eodem anno, beatus Livinus<sup>2</sup>, genere Scotus et Hiberniae archiepiscopus, coenobium Gandae cum tribus discipulis, sibi et Deo dilectis, XVII kal. Augusti, peregre visitavit; ibique ab abbate Florberto et devotis fratribus caritative ac benigne hospitio susceptus, per XXX dies commoratus est, et ad sepulcrum sancti Bavonis missam celebravit, et quia scriptor ingeniosus erat, librum Evangeliorum scripsit, quem cum reliquiis hodierno adhuc tempore conservant Gandensis coenobii monachi. Deinde pridie idus Novembris in villa, quae Escha vocatur, pro fide Christi martyrizatus decollatur. Cum quo etiam nobilis matrona, nomine Craphahildis, cum Briccio infante in frustris mactato, capite secatur. Beatus autem martyr Livinus in sepulcro novo, apud villam

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

pag. 441 et *Chronicon Johannis de Thielrode*,

<sup>2</sup> *Annales sancti Bavonis*, hoc anno, supra

pag. 80.

*Holthem* angelicis manibus praeparato, a discipulis suis cum Briccio infante decenter et honorifice sepulturae traditur. Beatam quoque Craphahildem, Christi martyrem, seorsum juxta sepulcrum sancti martyris Livini posuerunt. Fertur sanctus Livinus composuisse epitaphium sancti Bavonis, scilicet: « Qui patriae rector, » etc., insuper et illa metra, et misisse abbati Florberto. Videlicet ista<sup>1</sup>:

Audeo mira loqui, solem sine lumine vidi.  
 Est sine luce dies, hic sine pace quies.  
 Hos postquam populos conspexi luce serena,  
 Sol mihi non luxit, nox fuit una mihi.  
 Impia, barbarico gens exagitata tumultu,  
 Hic Brabanta fuit meque cruenta petit<sup>2</sup>.  
 Quid tibi peccavi, qui pacis nuntia porto?  
 Pax est, quod porto; cur mihi bella moves?  
 Sed qua tu spiras feritas sors laeta triumphi,  
 Atque dabit palmam gloria martyrii.  
 Cui credam novi, nec spe frustrabor inani:  
 Qui spondet, Deus est; quis dubitare potest?  
 Attamen est aliquid moestae solatia menti,  
 Quod dat, nec penitus me premit atra dies.  
 Ganda parat gremium, quae me fovet ubere laeto,  
 Invitat, mulcet, nutrit, amat, refovet.  
 Hic est Florbertus, quem virtus flore perornat:  
 Cui probitas floret, flos probitate viget.  
 Forma gregis, decus ecclesiae, concordia fratrum,  
 Ipse suis medicus et medicina sibi.  
 Quid referam pietatis opus? Qui me peregrinum  
 Obsequiis laetis dum fovet, addit onus.  
 Sufficeret, fratrum fratrem dixisse Livinum;  
 Pontificis nomen praegravat et domini.  
 Egressus patriam, pompae mortalis honorem  
 Sprevi, devovi, spes Deus una mihi.  
 Attamen inveni quod Christo sedulus offert,  
 Quod, sic sum pauper, hic sibi nil minuet.  
 Plus aliquid praestat, absenti munere largo;  
 Praesens continuis me fovet obsequiis.  
 Haec quoque dum scribo, properans agitator aselli  
 Munere nos solito pondere lassus adit:  
 Ruris delicias affert, cum lacte butyrum,  
 Ovaeque, caseoli plena canistra premunt.

<sup>1</sup> Edidit post alios hoc carmen PERIERUS in *sanctorum Belgii*, tom. II, pag. 493-494.  
*Vita sancti Bavonis*, apud GRESQUIERUM, Acta <sup>2</sup> PERIER habet ferit.

Hospita, quid festas? effer jam sedula gressum,  
 Collige divitiás, quae modo pauper eras.  
 Fervet olús siccum, sed nunc condire licebit.  
 Ollula dura prius uncta suavis erit.  
*Holtem*, villa gravis, quae nescis reddere fructum,  
 Urticas, lappas, cur bene culta refers?  
 Hoc est quó recreor, quod habet paupercula tantum  
 Hospita, quod mittit vel mihi Ganda boni.  
 Et pius ille pater cum donis mollia verba  
 Mittit, et ad studium sollicitat precibus;  
 Ac titulo magnum jubet insignire Bavonem,  
 Atque leves elegos esse decus tumulo.  
 Néc reputat, fisso cum stridet fistula ligno,  
 Quod soleat raucum reddere quassa sonum.  
 Exigui rivi pauper, quem<sup>1</sup> vena ministrat,  
 Lasso vix tenuem unda ministrat opem<sup>2</sup>:  
 Sic ego qui quondam studio florente videbar  
 Esse poeta, modo curro pedester equo;  
 Et qui castalio dicebar fonte madentem  
 Dicticeo<sup>3</sup> versu posse movere lyram,  
 Carmine nunc lacero dictant mihi verba camenae.  
 Mens condolens laetis apta nec est modulis;  
 Non sum, qui fueram festivo carmine laetus.  
 Qualiter esse queam tela cruenta videns!  
 Nec quid agam novi: mentis tumor iste procacis,  
 Quem rogo non laedat par dare nolle pari,  
 Officio certare pari (si nempe recuso,  
 Pecco, qui magnis reddere parva moror),  
 Magna mihi praestat supplex, qui parvula poscit.  
 Et tamen invenior tardus ad officium.  
 Accingar studio, quamvis non viribus aequis.  
 Est non posse, leve non renuisse bonum,  
 Ergo tibi titulum scribens, sanctissime Bavo,  
 Qui volo, quod nequeo, quod valeo, facio.

## EPITAPHIUM SANCTI BAVONIS.

Qui patriae rector, spes gentis, gloria regni,  
 Magnorum primus, qui modo magnus eras.  
 Non quia magnus eras, te gloria magna beatum,  
 Sed contempta decus gloria magna facit.  
 Pro Christo pauper, despectus, vilis, egensque,  
 Es Christi famulus, nunc caput atque decus.

<sup>1</sup> PERIER. quam.<sup>2</sup> Hab. etiam Codex: *tenués.... aquas.*<sup>3</sup> PERIER. dictaeco.

Defunctum revocans, qui morti jura tulisti,  
 Monstras quippe tibi jura parere<sup>1</sup> poli.  
 Quam tu fundasti, quae te tenet, inclyte Bavo,  
 Ecclesiam meritis protege, sancte, tuis.

Haec, Florberte pater, Livinus carmina mittit<sup>2</sup>.  
 Suscriptum lateri munus habere dedi,  
 Ut cum vastatus fiet locus ille ruina,  
 Carmina conservet obrutus ista lapis.

Hoc carmen isto fine non clauditur, quod ille sanctus vir centum versibus explicavit<sup>3</sup>. Caetera de statu ecclesiae, sicut sibi erant revelata, prophetando contexuit. Quae cum ejus epistolis latent, nescio si aliquae inveniri poterunt. Et ex praescriptis metris sancti Livini, et ex legendis Amandi, Bavonis, imo sanctorum martyrum Piati, Grisolii et Basini claret, patriam hanc fuisse inhabitatam, licet non tam populosam veluti modo cernitur. Scribitur quidem in legenda Amandi<sup>4</sup>, quod Gandenses fuerunt idolatrae, quorumque mulieres ipsum sanctum contumeliis affecerunt et in Schaldam projecerunt. In legenda vero Bavonis habetur, quod ipse Bavo, in extremis agens, petiit vocari Domlinum, Turholtensis ecclesiae presbyterum. Ergo tunc *Tourholt* inhabitabatur non a paucis, sed a pluribus, quia presbyterum habebant. *Aldenborch* sive *Audenborch* oppidum, tempore persecutionis Wandalicae, quo sanctus Nicasius Remensis episcopus et soror ejus martyrizati sunt, destructum fertur. Praeterea de sancto Piato, Tornaci passo, et usque Siclinium amputatam coronam deferente, illicque sepulto, patet, quod illic erant habitatores fideles, apud quos, et non Tornacenses, ipse sepeliri voluit. Similiter de sancto Grisoleo, archiepiscopo Herminiae, in *Vrelenghehem*, villa Insulensis territorii, martyrizato, et apud *Comines* sepulto, qui fuerat contemporaneus, imo socius sancti Piati. Sanctus etiam Basinus rex apud Truncinium, quod altum monasterium vocatur, tres ecclesias fundasse scribitur, ubi ejus et filiae reliquiae conservantur. Sancta Rictrudis apud Marcianas, cum sanctis filiabus et Jonatho abbate, coe-

<sup>1</sup> Hab. altera lectio *patere*.

<sup>2</sup> PERIER. mittens.

<sup>3</sup> In margine legitur: Haec ex quodam vetusto libro.

Est Codex continens *Acta sancti Bavonis*, qui servatur in bibliotheca universitatis Ganda-

vensis, n° 210. Descripsi Codicem in libro meo: *Histoire de la Flandre*, tom. I, pag. 55.

<sup>4</sup> Continetur haec legenda in Codice universitatis Gandavensis, n° 213, et edita est in *Actis sanctorum*. Febr., tom. I, p. 834; item apud GRESQUIERUM, *Acta sanctorum Belgii*, t. IV, p. 252. (W.)

nobium fundasse tempore Amandi scitur. Sanctus Maurontus apud Brodiolum monasterium, quod nunc Mervilla, quasi Mauronti villa, nuncupatur, imo et sanctus Amatus episcopus, illic habitaverunt, obierunt et sepulti fuerunt, sed postmodum ad Duacense castrum, metu Normannicae persecutionis, eorum reliquiae translatae adhuc conservantur. Collegium etiam Rothnacense a beato Amando fundatum fertur, conversis prius gentilibus illic habitantibus. In locis etenim magis populosis ecclesias sive monasteria fundavit, et clericos seu religiosos, qui divina celebrarent, ordinavit.

Anno Domini DCXXXIV, rex Dagobertus, qui ecclesiam fundaverat apud Elnonem, dedit ipsam ecclesiam cum omni dominio de Pabula beato Amando libere, ita ut nulli hominum ammodo subjiceretur, ubi ipse monasterium fundans monachos posuit et in abbatem Andraeam praefecit.

Anno DCXXXV, beatus Eligius Noviomensis et Tornacensis episcopus ordinatur.

Sanctus Amandus, Trajectensis episcopus, cum per triennium praedicasset in sua diocesi Trajectensi, nil se proficere cernens, sacerdotesque incorrigibiles videret et diaconos, quos de incontinentia redarguerat, dimisit Trajectensem sedem, loco sui sanctum Landoaldum relinquens, presbyterum cardinalem.

Anno ergo DCXXXVI, beatus Landoaldus, in ecclesia Romana<sup>1</sup> archipresbyter et cardinalis, a beato Amando episcopo in ecclesia Tungrensi sive Trajectensi substituitur, ubi per novem annos vices pontificis, usque ad tempus sancti Remacli, decenter administravit.

Eodem anno, Machometus<sup>2</sup> pseudopropheta moritur.

Anno DCXXXVIII, sanctus Arnulphus, Metensis episcopus, obdormivit.

Anno DCXL, monasterium sancti Petri in Sithiu per sanctum Bertinum aedificatur.

Anno DCXLII, Florbertus, abbas Gandensis<sup>3</sup> primus, migravit octavo idus Octobris, in praefato coenobio Gandensi, et ibidem ante altare sancti Petri honorifice sepultus per multa annorum curricula in eodem loco in pace requievit. Cui successit vir Dei Adalbertus, a beato Amando secundus abbas Gandensis coenobii institutus. Sed in Blandiniensi monasterio successit Johannes.

<sup>1</sup> *Annales S. Bavonis*, hoc anno, supra, p. 441.

<sup>2</sup> Cfr. MART. POL., Eraclio imperante.

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis*, hoc anno, supra, pag. 441.

## SECUNDUS ABBAS ADALBERTUS.

Secundus ergo abbas Gandensis coenobii factus est Adalbertus, anno Domini DCXLII, et praefuit annis pene octodecim.

Anno DCXLIII, sancta Vinciana<sup>1</sup> virgo, soror sancti Landoaldi, obiit in *Winterhovè*, tertio idus Septembris, et ibidem a fratre suo sepelitur.

Anno DCXLIV, sanctus Oswaldus, rex Nordanhumbrorum, a Penda, rege Merciorum, perimitur.

Eodem anno, sanctus Paulinus, Eboracensis episcopus, migravit.

Anno Domini DCXLV, ecclesia sancti Salvatoris Brugis a beato Eligio episcopo fundatur.

Eodem anno, fundatur Fontanella monasterium; similiter et Fiscanum a sancto Wandregisilo aedificatur anno altero.

Eodem anno, Dagobertus rex Francorum moritur. Clodoveus succedit<sup>2</sup>.

Anno DCXLVI, sanctus Landoaldus<sup>3</sup>, archiepiscopus et cardinalis sanctae Romanae ecclesiae, obiit, quarto decimo kal. Aprilis in *Winterhove*, et ibidem in ecclesia beati Petri, quam aedificaverat et dedicaverat, decenter sepelitur. Iste Landoaldus nutritus a pueritia sanctum Lambertum, Christi martyrem, et eruditus litteris in praedio, quod pater Lamberti tradidit sancto Landoaldo, vocabulo *Winterhove*, jure perpetuo tenendum et ad ecclesiam construendam.

Anno DCXLVIII, papa Eugenius dedit privilegium Adalberto, abbati Gandensi, regnante Sigeberto, rege Francorum, qui successerat in regno glorioso regi Dagoberto, quo inter caetera sic habetur<sup>4</sup>: « Et Romani culminis sedem licet immerito me Eugenio papa primo gradu post beatum Martinum pontificante, qui hanc traditionem apostolica auctoritate confirmavi, rogatus ab abbate Adalberto, successore domini et saepefati viri abbatis Florberti, caeterisque fratribus de monasterio sancti Petri sanctique Bavonis, quod est situm in castro famoso, nomine Gandavum. Sed ut haec auctoritas inconversa permaneat, et plenior in Dei nomine vigorem obtineat, simulque a sanctae Dei ecclesiae fidelibus, tam praesentibus quamque futuris, et verius credatur et diligentius observetur, donec seculi hujus meta terminetur, universae Roma-

<sup>1</sup> *Annales S. Bavonis*, pag. 441.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Annales S. Bavonis*, supra, pag. 441.

<sup>4</sup> Epistola Eugenii primum repetita est e codice

nostro in *Chartulario S. Bavonis*, pag. 1. Sed nisi supposita sit, referenda est ad annum DCLV. Continet eandem epistolam *Chronicon Johan. Thielrod.* pag. 17.

nae sedis clero pari devotione optante et consentiente, manu propria corroboravi, eamque saepe praefato loco ad confirmationem transmisi.

Signum mei Eugenii papae, qui eandem assertionem feci.

Signum Sigeberti, regis Francorum.

Facta est autem hujus chartae traditio, octavo kal. Martii.»

Anno DCL, Itta<sup>1</sup>, relicta Pipini, instinctu sancti Amandi, se et sua Deo devovens, monasterium Nivellense fundavit, eique filiam suam Gertrudem praefecit.

Anno DCLI, sanctus Remaclus<sup>2</sup>, Trajectensis episcopus, resignavit episcopatum, et in Stabulaus monasterio factus est monachus. Cui sanctus Theodardus in episcopatu successit.

Anno DCLII, sanctus Furseus episcopus migravit et Peronae sepelitur.

Anno DCLIII, sanctus Judocus presbyter in pago Pontivo migravit.

Anno DCLIV, sanctus Foillanus, olim sancti Livini discipulus, frater sanctorum Fursei et Ultani, apud Fossis martyrizatur<sup>3</sup>, et sanctae Gertrudi abbatissae revelatur.

Anno DCLVIII, Theodardo martyrizato, sanctus Lambertus ordinatur XXIX Trajectensis episcopus.

Eodem anno, obiit Johannes, abbas in Blandinio, et Baudemundus successit.

Anno DCLIX, corpora<sup>4</sup> sanctorum Benedicti et Scholasticae sororis ejus transferuntur ad Franciam.

Anno DCLX, Adalbertus, abbas Gandensis coenobii, obiit kal. Julii.

#### TERTIUS ABBAS FULCO.

Tertius abbas Gandensis, defuncto Adalberto, factus est Fulco. Hic undecim annis praefuit.

Anno DCLXI, sanctus Amandus, amabilis Deo et hominibus, postquam plura alia loca, praeter Gandense, Blandiniense et Tronciniense monasteria, Deo dedicasset, videlicet Marchiniacense et Rothornacense, apud Elnonem in Pabula, anno aetatis suae XCI, feliciter ad Dominum migravit.

Anno DCLXII, sanctus Winnocus fit monachus in Sithiu<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> Cfr. MART. POL., Deodato pontifi.

<sup>5</sup> *Chron. S. Bertini, in Novo Thesaurio Anecdotorum, tom. III, pag. 465.*



Anno DCLXIII, sancta Gertrudis apud Nivellam in Domino quievit.

Anno DCLXV, sanctus Wandregisilus abbas obiit. Cui successit Lambertus, postea Lugdunensis episcopus.

Anno DCLXVI, sanctus Gangulfus, miles in Burgundia, ab adultero uxoris suae vulneratus, martyrizatur.

Anno DCLXVII, Theodoricus, rex Francorum, tonsuratur et in sancto Dionysio detruditur. Hic monasterium sancto Vedasto construxit in Attrebato. Sub Theodorico etiam monasterium Hilnificurtis in pago Cameracensi fundatum est, et moniales impositae curae sancti Bertini abbatis commissae.

Anno DCLXVIII, sanctus Audomarus fit Morinensis episcopus.

Anno DCLXIX, Anthonius, filius Liderici de *Lilez-Buc*, fit sextus forestarius Flandriae.

Anno DCLXX, fundatur Hasnoniense coenobium a Johanne viro illustri ejusque sorore Eulalia. Et eodem anno, sancta Maxelendis virgo in territorio Cameracensi martyrizata occubuit.

Anno DCLXXIII, Fulco, tertius abbas Gandensis coenobii, obiit, tertio nonas Decembris. Wilfridus successit.

#### QUARTUS ABBAS WILFRIDUS.

Quartus abbas Gandensis coenobii factus est Wilfridus, qui praefuit annis octodecim.

Anno DCLXXIV, sanctus Ansbertus fit abbas Fontanellae<sup>1</sup>.

Anno DCLXXVI, elevatio sancti Amandi apud Elnonense monasterium facta est per sanctum Eligium episcopum.

Anno DCLXXVII, sanctus Audoenus, Rothomagensis episcopus, obiit. Cui sanctus Ansbertus successit.

Anno DCLXXIX, Theodoricus regno restituitur.

Anno DCLXXX, elevatio egregii confessoris Christi Bavonis<sup>2</sup>, multis miraculorum signis longe lateque per eum patratis, celebrata est magnifice in coenobio Gandensi a beato Eligio Noviomensi episcopo et Wilfrido abbate, in kalendis Augusti.

Eodem anno, sancta Hilda abbatissa migravit.

<sup>1</sup> SIGISB. GEM.

<sup>2</sup> *Annales sancti Bavonis*, hoc anno, pag. 442.

Anno DCLXXXII, in Blanziaco beata Berta comitissa monasterium aedificare coepit, in pago Taruannorum, in propria possessione.

Anno DCLXXXIV, Hatta coenobii Blandiniensis fit abbas<sup>1</sup>.

Anno DCLXXXV, sanctus Lambertus<sup>2</sup> a Trajectensi episcopatu ejicitur. Qui in coenobio Stabulaus monasticae quietis expetens portum, ibi per septem annos habitavit, et Pharamundus per vim introducitur factione Ebroini, majoris domus regis Theodorici.

Anno DCLXXXVI, in *Wormholt* villa monasterium fundatur. Sanctus Winocus, monachus de Sithiu, abbas illic praeficitur<sup>3</sup>.

Eodem anno, sanctus Leodegarius, Augustodunensis episcopus, martyrizatur.

Anno DCLXXXVII, sancta Rictrudis, mater sanctorum Mauronti, Eusebiae, Clotsendis et Adelsendis virginum, apud Marcianas migravit, vitae suae anno LXXIV, idibus Maii.

Eodem anno, sanctus Cuthbertus, Lindifarnensis episcopus, migravit.

Anno DCLXXXIX beatus Eligius, Noviomensis episcopus, obdormivit, anno aetatis suae LXXI, kal. Decembris. Beata Eusebia obiit XVII kal. Aprilis.

Anno DCXC, Wilfridus, abbas Gandensis, obiit XII kal. Octobris. Cui Reyngerus successit.

QUINTUS ABBAS REYNGERUS.

Eodem anno, Pharamundus, inuasor Trajectensis episcopatus, expellitur, et sanctus Lambertus in loco suo restituitur.

Eodem anno, sanctus Amatus, Senonensis episcopus, apud Broilum monasterium quondam, sed nunc ipse locus vocatur Mervilla, quasi Mauronti villa, migravit idibus Septembris.

Eodem anno, beatus Egbertus episcopus misit sanctum Willebrordum presbyterum cum undecim sociis, qui fuerunt ex Anglia, de stirpe Saxonica nati, et ideo potuerunt praedicare fidem in lingua teutonica. Qui appulerunt ad insulam Walachriam, ubi idolum Mercurii apud *Westcappelle* sanctus Willebrordus fregit.

Quintus abbas Gandensis coenobii factus Reyngerus, tantum quatuordecim annis non plene praefuit.

Anno DCXCI, sanctus Remaclus, quondam Trajectensis episcopus, obiit.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Chron. S. Bertini*, pag. 475.

Anno DCXCII, duo Ewaldi presbyteri a Saxonibus martyrizantur.

Anno DCXCIII, Boscardus, filius Liderici et frater Anthonii, fit septimus forestarius Flandriae.

Eodem anno, Childela<sup>1</sup> sacrata dedit ad ecclesiam sancti Bavonis in *Megmedonc* res suas, in Fursicio et Heminga et Hamma et Dancenlilara... *Peelland*<sup>2</sup>...

Anno DCXCIV, Thessandria<sup>3</sup> praedicatione sancti Lamberti ad fidem convertitur. Eodem anno, sanctus Wulfrannus per Frisiam praedicat; ubi cum Radbodum ducem convertisset, et ut baptismum reciperet induxisset, cumque dux, paratis omnibus, pedem in baptisterium ingrediendo posuisset, instinctu diabolico interrogavit, ubinam plures praedecessorum suorum essent? Cumque sibi responsum fuisset, quod in inferno; ait, quod maluit cum antecessoribus suis paganis apud inferos habere contubernium plurimorum, quam cum paucis christianis possidere regna coelorum; et sic retraxit pedem. Sicque illusus a diabolo tertia die miserabiliter mortuus est.

Anno DCXCV, sanctus Audomarus<sup>4</sup>, Morinensis episcopus, migravit.

Eodem anno, Pipinus, videns beati Willebrordi in evangelizando constantiam, misit eum Romam; scribens ad Sergium papam, ut eum episcopum consecraret. Quod et fecit, et nomen ei Clemens imposuit.

Anno DCXCVI, sanctus Ansbertus, Rothomagensis episcopus, migravit<sup>5</sup>. Cui Grippio successit. Eodem anno, sanctus Willebrordus factus episcopus Trajectum venit. Ecclesiam in honore sancti Martini construxit, in qua sedem cathedralem instituit et quadraginta canonicos ordinavit.

Anno DCXCVII, sanctus Kilianus<sup>6</sup>, qui ex sociis sancti Livini fuisse perhibetur, cum sociis suis apud *Wizenburch* clam martyrizatur, sed percussores a daemone arrepti propalaverunt.

Anno DCXCVIII, sanctus Lambertus<sup>7</sup> episcopus, Pipinum principem increpare ausus, quod pellicem Alpaïdem suae legitimae uxori Plectrudi superduxerit, a Dodone fratre ipsius Alpaïdis Leodii martyrizatur et Trajecti tumulatur; eique sanctus Hubertus in episcopatum subrogatur. — Eodem anno, sancta Begga, mater Pipini, ad Dominum transiit. Et sanctus Ursmarus Lobienae coenobium a Pipino principe regendum suscepit.

<sup>1</sup> *Annales S. Bav.*, sup., pag. 442.

<sup>2</sup> Verbum a recentiori scriptore adjectum.

<sup>3</sup> SIGSB. GEMB.

<sup>4</sup> *Idem.*

<sup>5</sup> SIG. GEMB. an 695.

<sup>6</sup> Cfr. MART. POL. Sergio pontif.

<sup>7</sup> SIGSB. GEMB.

Eodem anno, sanctus Bertinus abbas migravit, et in Sithiu monasterio sepelitur<sup>1</sup>.

Anno DCXCIX, Dodo<sup>2</sup>, interfector sancti Lamberti, a vermibus consumitur, et ob intolerantiam foetoris in Mosam dimergitur, omnesque complices infra annum divinitus puniuntur.

Anno DCC, Boscardus, secundus filius dicti Boscardi, fit octavus forestarius Flandriae.

Anno DCCI, sanctus Maurontus, abbas Broilensis et confessor, quarto nonas Maii migravit.

Anno DCCIV Reyngerus, abbas Gandensis, obiit idibus Maii. Cui Albericus successit.

## ALBERICUS VI ABBAS.

Sextus abbas Gandensis factus est ergo Albericus, et sex annis in regimine supervixit.

Anno DCCX, sanctus Hubertus, coelitus admonitus, corpus sancti Lamberti a Trajecto Leodium cum magna miraculorum gloria refert, sedemque episcopalem illic transfert.

Eodem anno, Dagobertus junior in regno sublimatur.

Anno DCCXI Albericus, abbas Gandensis, obiit, pridie nonas Novembris. Cui Walradus successit<sup>3</sup>.

## SEPTIMUS ABBAS WALRADUS.

Septimus abbas Gandensis, succedens Alberico, dictus est Walradus, et praefuit annis octodecim.

Anno DCCXIII, sanctus Ursmarus<sup>4</sup>, episcopus et abbas Lobiensis coenobii, obiit, eique sanctus Ermino in regimine successit.

Anno DCCXV, sanctus Winnocus abbas apud *Wormholt* migravit<sup>5</sup>.

Eodem anno, obiit Dagobertus junior.

Anno DCCXVI, sanctus Aubertus, Cameracensis episcopus, transiit.

<sup>1</sup> *Chron. S. Bertini*, pag. 476.

<sup>2</sup> *SIGISB. GEMB.*

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis*, sup., pag. 442.

<sup>4</sup> *SIGISB. GEMB.*

<sup>5</sup> *Chron. S. Bertini*, pag. 479.

Anno DCCXVII, sanctus Bonifacius<sup>1</sup> consecratur episcopus. Qui vitam et passionem sancti Livini, archiepiscopi et martyris, prout a tribus ipsius martyris discipulis intellexit, dilucido stylo declaravit.

Anno DCCXIX, Radbodus, rex Frisonum, obiit.

Anno DCCXX, sanctus Erkenbodo, abbas in Sithiu, fit Morinensis episcopus. Eodem anno, sanctus Wulfrannus<sup>2</sup> a seculo migravit.

Anno DCCXXI, corpus sancti Augustini, episcopi et doctoris, a Sardinia ad Lombardiam transfertur, et Papiæ reponitur<sup>3</sup>.

Anno DCCXXIV, Estoredus, filius Boscardi, fit nonus forestarius Flandriæ.

Anno DCCXXVIII, Walradus abbas obiit, XIII kal. Januarii. Cui Hildebertus successit.

Eodem anno, facta est translatio sanctorum Wandregisili, Ansberti et Wulfranni.

OCTAVUS ABBAS HILDEBERTUS.

Octavus abbas Gandensis coenobii dictus est Hildebertus, qui prae fuit annis XXV.

Anno DCCXXX, Beda venerabilis presbyter obiit, anno aetatis suae septuagesimo.

Anno DCCXXXI, Baudemundus abbas in Blandinio obiit, et Ferreicus in regimine successit.

Anno DCCXXXII, sanctus Wyro episcopus, socius sancti Willebrordi, octavo die Maii, in Christo quievit.

Anno DCCXXXIV, sanctus Erkenbodo, episcopus Morinensis, obiit.

Anno DCCXXXV, sanctus Hubertus, Leodiensis<sup>4</sup> episcopus, obiit, tertio die Novembris. Cui in episcopatu sanctus Florebertus successit.

Eodem anno<sup>5</sup>, elevatio prima sanctorum Landoaldi, Vincianae, Amantii, Adriani, et aliorum sanctorum facta est in ecclesia beati Petri de *Winterhove*, kal. Decembris, a sancto Floreberto, Leodiensi episcopo, prae multitudine miraculorum, quae ibidem fiebant super iis, divinitus admonito.

Anno DCCXXXVI, sanctus Willebrordus, Ultrajectensis episcopus, migravit.

Anno DCCXXXVII, sanctus Ermino, abbas Lobiensis, quievit in Christo.

<sup>1</sup> Cfr. MART. POL. Gregorio II pont.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB. ed. *Miraei*, in-f., hoc anno.

<sup>3</sup> *Idem*.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Annales sancti Baronis*, supra, pag. 442.

Anno DCCXL, signa in sole et luna et stellis apparuerunt.

Anno DCCXLVII, sanctus Bonifacius<sup>1</sup>, archiepiscopus Moguntiae, coenobium Fuldense in Bocconia silva fundavit:

Eodem anno, Karolus Magnus natus est in imperiali castro *Ingelnhem*, ubi usque hodie camera nativitatis ejus, in capellam consecrata, ostenditur; ut scribit abbas Spanhemensis<sup>2</sup> in libro de *illustribus Germaniae*.

Anno DCCXLV, corpus Mariae Magdalenae<sup>3</sup> a Gerardo, comite Burgundiae, ad coenobium Juliacense a se constructum transfertur.

Anno DCCL, Hildricus, rex Francorum, in monachum tonsuratur<sup>4</sup> et in monasterium sancti Bertini detruditur, ubi pene biennio supervivens defunctus sepelitur.

Eodem anno, sanctus Hilduardus, Tullensis episcopus, postquam Magriptium ducem converterat, et monasterium apud *Dickervenne*<sup>5</sup> fundaverat, et vitam suam cum discipulis exegerat, illic migravit, quarto kal. Januarii. Corpus ejusdem ad Teneremundam postea translatum nunc servatur.

Eodem anno, Pipinus<sup>6</sup>, de mandato Zachariae papae, per sanctum Bonifacium, Moguntinensem archiepiscopum, in regem Francorum coronatur.

Anno DCCLII, corpus sancti Silvestri papae ad coenobium Novantulam transfertur per Anselmum illustrem virum, fratrem uxoris Haistulphi, regis Longobardorum<sup>7</sup>.

Anno eodem, Hildebertus, abbas Gandensis, interficitur<sup>8</sup>, kal. Decembris, a consiliariis Constantini imperatoris, qui propter haec et alia horribilia facta, quae perpetravit, igne gehennali in corpore et anima atrociter punitus fuit.

## EGILFRIDUS NONUS ABBAS.

Nonus abbas Gandensis, per papam Stephanum creatus, fuit Egilfridus, episcopus Leodiensis, qui praefuit annis decem.

Anno DCCLIII, Karlomannus<sup>9</sup> monachus ossa sancti Benedicti abbatis ab ecclesia Floriacensi tollere nititur, ut ea ad Cassinum montem referret; sed

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POLON.

<sup>2</sup> TRITHEMIUS.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> *Idem*.

<sup>5</sup> Nunc *Dickelvenne*.

<sup>6</sup> SIGISB. — MART. POLON. Constantino V imperante.

<sup>7</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>8</sup> *Annales sancti Bavonis*, sup., pag. 442.

<sup>9</sup> SIGISB. — GEMB. MART. POLON. Zacharia pont.

miraculis a Deo ostensis et Francis obsistentibus, ab incepto prohibetur.

Anno DCCLIV sanctus Bonifacius<sup>1</sup>, Moguntiae archiepiscopus, cum sociis suis in Frisia ab inimicis fidei martyrizatur, nonis Junii.

Eodem anno<sup>2</sup>, Egilfridus, Leodiensis episcopus et abbas Gandensis, de urbe Roma rediens multas reliquias Apostolorum et aliorum sanctorum, et de Thoringia corpus beatæ Pharaïldis virginis secum detulit, et in coenobio Gandensi, decimo tertio kal. Decembris, decenter collocavit.

Anno DCCLV, corpus<sup>3</sup> sancti Viti martyris a Roma per Fulradum, abbatem sancti Dionysii, ad Franciam transfertur.

Anno DCCLVII, Hatta, abbas Blandiniensis, obiit. Coelestinus Scotus successit.

Anno DCCLVIII, corpus sanctæ Petronillae<sup>4</sup>, filiae apostoli Petri, a Paulo papa transponitur. In cujus marmoreo sarcophago sculptum legebatur: « Aureae Petronillae, dilectissimae filiae! ».

Anno DCCLXI, caput sancti Johannis Baptistae<sup>5</sup> in Aquitaniam defertur, et a Pipino rege suscipitur et venerabiliter locatur.

Anno DCCLXII, Egilfridus<sup>6</sup>, episcopus Leodiensis et abbas Gandensis coenobii, obiit, XVIII kal. Septembris. Sepultus est in crypta beatæ Mariae. Cui successit Rotbertus.

ROTBERTUS DECIMUS ABBAS.

Decimus abbas coenobii Gandensis succedens Egilfrido episcopo, Rotbertus nomine, abbatizavit annis novem.

Anno DCCLXIII, gelu magnum<sup>7</sup> a kalendis Octobris usque ad Februarium. Stellae, subito visae de coelo cecidisse, ita omnes exterruerunt, ut putarent finem mundi imminere.

Anno DCCLXIV, corpora sanctorum Gorgonii, Naboris et Nazarii a Roma ad Gallias transtulit Chrodegangus, episcopus Metensis<sup>8</sup>.

Anno DCCLXV, Coelestinus, Scotus, abbas Blandiniensis, obiit Rotnacae.

Anno DCCLXVIII, Pipinus, rex Francorum, moritur, et Karolus Magnus,

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POLON. Gregorio II pontif.

<sup>2</sup> *Johannes de Thielrode*, pag. 80.

<sup>3</sup> MART. POLONUS, Constantino V imperante.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POLON. Paulus papa transtulit corpus sanctæ Petronillae virginis, filiae beati Petri apostoli, cum titulo quem beatus

Petrus scripserat: « Aureae Petronillae, dilectissimae filiae! » et in sarcophago pretioso reposuit.

<sup>5</sup> SIGIS. GEMB.

<sup>6</sup> *Annales S. Bavonis*, supra, pag. 445. Item SIGISB. iisdem verbis.

<sup>7</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>8</sup> *Idem*.

filius ejus, compartito cum fratre suo Karlomanno regno, regnavit post eum annis XLVI<sup>1</sup>.

Anno DCCLXXI, Rothbertus, decimus abbas Gandensis coenobii, obiit, V kal. Februarii. Cui in regimine successit Werricus.

## UNDECIMUS ABBAS WERRICUS.

Undecimus abbas Gandensis coenobii, Werricus praefuit annis octo aut circiter. Anno DCCLXXII, sancta Amelberga virgo in Tempsecra migravit.

Anno DCCLXXIII<sup>1</sup>, Karolus Magnus<sup>2</sup>, vocatus ab Adriano papa, Romam vadens, Papiam obsedit; Romam perveniens investituram episcoporum accepit.

Anno DCCLXXIV, Lombardia omnis Karolo subigitur<sup>3</sup>, capto Desiderio rege, et quidquid Longobardi per multa tempora Romanis abstulerant, Karolus eis restituit et totam Italiam sub jure Francorum redegit. Taliter Longobardi victi regnare destiterunt.

Eodem anno, sanctus Rigobertus, Remensis archiepiscopus, migravit.

Anno DCCLXXVII, Karolus Saxones subjugat, et eos ad hoc impellit, ut se et patriam ei dedant, et datis obsidibus, se christianos futuros spondeant.

Anno DCCLXXX, Werricus, undecimus abbas Gandensis coenobii, obiit, pridie idus Januarii. Cui Eynoldus successit.

## EYNOLDUS XII ABBAS.

Duodecimus abbas Gandensis coenobii, dictus Eynoldus, praefuit ipsi coenobio annis quatuordecim.

Anno DCCLXXXI, Karolus rex orationis gratia vadit Romam, ibique filii ejus unguuntur in reges, Pipinus super Italiam, Ludovicus vero super Aquitaniam.

Anno DCCLXXXII, Constantinopoli quidam<sup>4</sup> auream laminam invenit, et in ea virum jacentem cum hac scriptura: « Christus nascetur ex virgine Maria, et credo in eum. Sub Constantino et Hyrene, o sol, iterum me videbis. »

Anno DCCLXXXVI, signum crucis in vestibus hominum apparuit<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. sed habet annos XLVII. — Cfr. etiam MART. POLON. Constantino V imperante. Non tamen de regno compartito loquitur.

<sup>2</sup> Similia tradit SIGISB. GEMB. — MART. POLON. Adriano pontif. et Carolo Magno imperante.

<sup>3</sup> Similia tradit SIGISB. GEMB. — MART. POLON. eadem iisdem fere verbis. Adriano pontif.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POLON. iisdem verbis enarrat. Constantino VI imperante.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.



Anno DCCLXXXVII, sanguis de coelo in terram profluxit.

Anno DCCLXXXIX, Karolus<sup>1</sup> rex Coloniae super Rhenum duos pontes constituit et munivit.

Anno DCCXCII, Lidricus Harlebeccensis fit decimus forestarius. Qui postquam strenue sub Karolo militaverat, fit et comes Harlebeccensis<sup>2</sup>.

Eodem anno, Pipinus, Karoli regis ex concubina filius<sup>3</sup>, a quibusdam Francorum primoribus promissione regnandi illectus, contra patrem conjuravit, unde convictus tonsuratur, et in Prunna coenobio retrusus usque ad finem vitae Deo militavit.

Anno DCCXCIV, Eynoldus, Gandensis coenobii abbas, obiit, decimo sexto kal. Septembris. Cui Weneboldus successit.

WENEBOLDUS XIII ABBAS.

Decimus tertius abbas Gandensis coenobii, Weneboldus praefuit annis fere sedecim.

Anno DCCXCV, Karolus Magnus extruxit Aquisgrani basilicam beatae Mariae plurimae pulchritudinis<sup>4</sup>, ad cujus structuram a Roma et Ravenna columnas et marmora devehit fecit.

Anno DCCXCVII, *Thudin*, princeps Avarum, se et patriam suam Karolo regi dedit et gratiam baptismi percepit<sup>5</sup>.

Anno DCCXCVIII, sol obtenebratus est per dies septemdecim.

Anno DCCXCIX, Leonem<sup>6</sup> papam, celebritatem letaniae majoris agentem, Romani capiunt et linguam ei oculosque evellunt. Cui voce et visu reddito divinitus, ei oculos et linguam eruunt radicitus. Qui de manu eorum erutus ad Karolum fugit in Saxoniam.

Anno DCCC, Karolus<sup>7</sup> orandi gratia Turonis ad sanctum Martinum vadit, et inde reversus propter Leonis papae causam Romam adiit, ibique hyemavit, et exercitum in Beneventum misit. Leonem papam in sede relocat, reos damnat, sicque omnes Romanorum motus sedat.

<sup>1</sup> MART. POLON. Carolo Magno imperante.

<sup>2</sup> *Chron. Johannis de Thielrode*, pag. 75. Sectus est *Geneal. Com. Fland.*

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> *Idem.*

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem.* — MART. POLON, Leone pontificante, aliis tamen verbis.

<sup>7</sup> SIGISB. GEMBL.

Anno DCCCI, Karolus Magnus per manus Leonis papae coronatur Caesar, et Augustus appellatus factus est imperator<sup>1</sup>.

Eodem anno, ecclesia, sancti Donatiani dicta nunc, fundatur Brugis. Ad honorem beatae Mariae intitulatur; sed postquam corpus sancti Donatiani, Balduino Ferreo datum, illic ponitur, illius nomini attitulatur.

Eodem anno, sanctus Salvius episcopus apud Valencenas martyrizatur<sup>2</sup>.

Anno DCCCII, legati<sup>3</sup> imperatoris Karoli ab Aaron, rege Sarracenorum, venientes inter caetera munera ossa Cypriani, Carthaginensis episcopi et martyris, et Sperati, primi Scillitanorum martyris, et caput Panthaleonis martyris in Franciam afferunt.

Eodem anno, terrae motus factus est magnus, qui totam concussit Italiam. Patriarcha Hierosolymitanus claves Dominici sepulcri et claves civitatis et montis Karolo pro benedictione misit.

Anno DCCCIII, Avars, qui et Huni, longo contra Francos bello perdomiti, adeo a fortitudine sua et potentia sunt diminuti, ut qui alios solebant ultro lacescere, jam nec se ab aliis valeant tueri, quia in hoc bello omnis eorum gloria et nobilitas periit. Et quidquid pecuniae et thesauri per tot secula, orbem terrarum vincendo, sibi congesserant, totum modo victoriae Francorum cessit, et nullo unquam bello tam multa spoliiorum quantitate Francia ditata fuit<sup>4</sup>.

Anno DCCCIV, Karolus imperator ad Hispaniam perrexit, contra Aigolandum pugnavit. Exercitus Karoli tegebant terram duorum dierum. Etiam secundo bellavit contra Ferracutum gigantem.

Anno DCCCIV, Karolus, contra reges Sibillae et Cordubae pugnans, superatur. In quo bello propter larvas et tintinnabula, quas pedites Sarraceni ante singulos equos portabant, Karolus fecit oculos operiri et aures obturari equorum suorum, ut non viderent larvas, et sic potitur victoria.

Anno DCCCVI<sup>5</sup>, bellum in Roncia Valle gestum est, in quo interfecti sunt, prodicione Gualonis, duodecim patres<sup>6</sup> Franciae.

Anno DCCCVIII, sanctus Lutgerus, Monasteriensis episcopus, migravit.

Anno DCCCIX, Woneboldus XIII, abbas Gandensis coenobii, obiit, XVII kal. Septembris. Cui Briddo successit.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> MART. POLON. Carolo Magno imperante.

<sup>6</sup> Sic in Cod. Legendum *Pares.*

## BRIDDO XIV ABBAS.

Decimus quartus abbas Gandensis coenobii, Briddo, qui praefuit annis septem.

Anno DCCCX, Karolus imperator in tres partes regni<sup>1</sup> sui tres exercitus misit, unum trans Albiam, qui Hilmones debellavit, unum in Pannoniam, qui reliquias Hunorum et Slavos compressit, unum contra Britones, qui eorum perfidiam contudit, et ubique sibi victoria provenit.

Anno DCCCXI, Moguntiae pons<sup>2</sup> quingentorum passuum longitudinis trans Rhenum, quem Karolus imperator per decem annos, ingenti labore et mirabili opere, de lignis construxerat, ita ut perpetuo durare posse videretur, ita tribus horis conflagravit, ut ne una quidem hastula super aquam remaneret.

Anno DCCCXI, indictione tertia, Karolus imperator ad Bononiam veniens, civitatem maritimam, ubi eidem naves congregatae erant, accessit, farumque (turrim) ibidem ad navigantium cursus dirigendos antiquitus constitutum, restauravit. Inde ad Scaldim fluvium veniens in loco, qui vocatur *Gand*, naves ad eandem classem aedificatas aspexit et medio Novembris Aquis venit<sup>3</sup>.

Eodem anno, Karolus Magnus imperator de Bononia ad Scaldim fluvium in loco, qui vocatur Gandavum, accessit, deinde Aquisgranum petiit.

Anno DCCCXII, apud coenobium Helnonense sanctus Amandus<sup>4</sup> a Lothario elevatur, a depositione ejus, anno circiter centesimo quinquagesimo secundo. Cujus corpore adhuc invento integro, cum ejus capilli et ungues, qui excrevisse videbantur, prociderentur, et de ore ejus dentes, adhibita forcipe, extraherentur, sanguis inde profluxit, qui ad memoriam posterorum servatus fuit.

Eodem anno, incepit ordo Cluniacensis. Versus :

Octingenteno duodeno, Clunicus ordo  
Incepit : Berno prius abbas, hinc fuit Odo.

Anno DCCCXIII, totum coenobium Gandense casuali et intestino incendio destruitur<sup>5</sup>. Quod in magna elegantia constructum fuerat.

Anno DCCCXIV, Karolus Magnus Aquisgrani moritur<sup>6</sup>, anno aetatis suae

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Ann. Einh.* apud PERTZ, pag. 199.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 442.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

LXXII. Cujus vita Heynardus, postea abbas Gandensis coenobii, descripsit tanto veracius, quanto adhaesit ei familiarius, ut testatur Sigebertus in libro de *illustribus viris*, ubi Eynardum LXXXIII ponit.

Anno DCCCXV<sup>1</sup>, Alcuinus, qui et Albinus, magister Karoli Magni, abbas sancti Martini Turonensis etiam illustris, moritur.

Anno DCCCXVI, Briddo, XIV abbas Gandensis coenobii, obiit, pridie kal. Martii. Et postea facta est fratrum dispersio.

Eodem anno, Turpinus, Remensis archiepiscopus, obiit. — Stephanus IV papa ad Franciam venit et Ludovicum in imperatorem coronavit.

Anno DCCCXVII, sanctus Folquinus in episcopum Morinensem sublimatur.

Anno DCCCXVIII, Bernardus, rex Italiae, conspiracy contra imperatorem factae accusatur, et reus majestatis adjudicatus, primo regno et oculis, dehinc vita privatur.

Anno DCCCXX, Aquisgrani<sup>2</sup> generali conventu habito, per dispositionem imperatoris Ludovici, episcoporum et abbatum, aliqua capitularia ad usus regularium monachorum addita sunt, et multa sanctorum Scripturarum compilatione facta, clericorum et clericalium sanctimonialium regulae constitutae sunt.

Anno DCCCXXI, Paschalis papa<sup>3</sup> corpus sanctae Ceciliae invenit, et corpora sanctorum Tyburcii, Valeriani et Urbani papae in ecclesiam a se eis dedicatam Romae transponit.

Anno DCCCXXII, in Turingia<sup>4</sup> cespis longitudinis quinquaginta pedum, latitudine quatuordecim, altitudine sexdecim, de terra excisus et sublatus, sine manibus et ultra viginti quinque pedes translatus est.

Anno DCCCXXIII, elevatio sancti Ursuari, confessoris Lobiensis, celebratur<sup>5</sup>. Terrae motus factus est magnus, et multae villae et domus coelesti igne cremantur; homines et animalia ictu fulminum exanimantur<sup>6</sup>.

Anno DCCCXXIV, corpora sanctorum Severi<sup>7</sup>, Ravennacensis episcopi, et uxoris etiam Vincentiae et filiae Innocentiae, ab Otgario archiepiscopo Moguntiam translata sunt. Corpus sancti Huberti transfertur a Leodio ad Andagium monasterium per Walchandum, Leodiensem episcopum.

<sup>1</sup> MART. POLON. Adriano pontificante.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Idem.* — MART. POLON.

<sup>4</sup> *Idem.*

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem.*

<sup>7</sup> *Idem.*

Anno DCCCXXV, Hilduinus<sup>1</sup>, abbas sancti Dionysii sacrique palatii archicapellanus, Romam mittens, a papa Eugenio sancti Sebastiani corpus accepit, et Suessionis in ecclesia sancti Medardi collocavit. Hoc tempore, Theodulfus, abbas Floriacensis, incarcerationis « *Gloria, laus* » in carcere fecisse et decantasse in die Palmarum asseritur.

## EYNARDUS XV ABBAS.

Anno DCCCXXVI, Eynardus, capellanus Ludovici imperatoris, factus est abbas XV Gandensis coenobii<sup>2</sup>.

Decimus quintus abbas Gandensis coenobii fuit Eynardus, quondam Karoli Magni imperatoris cancellarius, et postea monachus divi patris Benedicti, et primus abbas monasterii Selgenstatensis Moguntinae diocesis supra Mogonum, ut scribit abbas Spanhemensis<sup>3</sup> in libro de *illustribus Germaniae*, et etiam in libro de *ecclesiasticis scriptoribus*. Hic fuit in secularibus litteris eruditissimus et divinarum scripturarum non ignarus, ingenio acutus, eloquio disertus, vita et conversatione praecipuus, graece et latine peritus, et tam metro quam prosa excellens. Inter caetera ingenii sui opuscula, psalterium gallicanum abbreviavit, excerpens de illo omnes versus orationis verba habentes. Scripsit etiam, tam ex persona sui quam imperatoris, multas elegantes et utiles epistolas, notabilem insuper historiam temporum, de *gestis Germanorum et Francorum* librum unum, vitam Karoli Magni, et libellum de translatione sanctorum martyrum Marcellini et Petri. Hic praefuit annis fere novemdecim.

Anno DCCCXXVII, Romanae ecclesiae praesidet Valentinus, qui sedit quadraginta diebus. Quo mortuo, Gregorius IV, praesidet, qui etiam Leo IV dictus est. Hic instituit; ut festivitas Omnium Sanctorum celebraretur in Germania et Gallia<sup>4</sup>.

Anno DCCCXXVIII, Heynardus<sup>5</sup>, abbas Gandensis coenobii, transmisit ad idem coenobium reliquias sanctorum Marcellini et Petri martyrum, quinto nonas Julii.

Eodem anno, in Wasconia<sup>6</sup> annona de coelo pluit frumento similis, sed

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 445.

<sup>3</sup> Haec sumpta sunt ad verbum ex TRITHEMIO.

<sup>4</sup> MART. POLON. addit: Kalendis Novembris.

<sup>5</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 445.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

grana breviora et rotundiora habens. — Corpora sanctorum Valentini et Genesii in Angiam monasterium translata sunt.

Anno DCCCXXIX, Dani Angliam infestantes, Londoniam et fere totam Cantiam devastant. — Commotio filiorum Ludovici imperatoris et optimatum exoritur adversus eundem.

Anno DCCCXXX, Sarraceni<sup>1</sup>, Siciliam incursantes, etiam Lipparim insulam devastant. Tunc ossa Bartholomaei apostoli, dispersa ab incredulis, a fidelibus collecta Beneventum transferuntur.

Anno DCCCXXXII, Normanni<sup>2</sup> procedentes de Scanzia insula, quae Northwegia dicitur, cum tredecim navibus egressi, primo in Flandrensi littore molientes, ab iis, qui in praesidio erant, repulsi sunt. Deinde in ostio Sequanae similia tentantes, resistentibus sibi littoris custodibus, quinque suorum interfectis, recesserunt. Tandem in Aquitanico littore, prosperis usi successibus, vico *Burnard* depopulato, cum ingenti praeda reversi sunt ad propria. — Gregorius papa in Galliam veniens contra imperatorem cum filiis agebat.

Anno DCCCXXXIII, Ludovicus imperator, a suis desertus<sup>3</sup> ac proditus, et in potestatem filiorum redactus, episcoporum iudicio arma exposuit, et ad agenda poenitentiam inclusus est Suessionis ad claustralem poenitentiam. Normanni venientes in Frisiam, aliquam partem ex illa devastaverunt, homines aliquos occiderunt, quosdam captivos abduxerunt, partemque ejus igne cremaverunt.

Eodem anno, Heynardus, abbas Gandensis coenobii, monasterium Gandense combustum prius coepit reaedificare.

Anno DCCCXXXIV, Ludovicus imperator relaxatus<sup>4</sup> arma, imperium et uxorem recipit, ac filium Lotharium in Italiam redire cogit.

Anno DCCCXXXV, monente Gregorio<sup>5</sup> papa, et omnibus episcopis assentientibus, Ludovicus imperator statuit, ut in Gallia et Germania festivitas Omnium Sanctorum in kalendis Novembris celebraretur, quam Romani ex instituto papae celebrabant. Hoc tempore, reliquiae Viti martyris ad Corbeyam Saxoniae transferuntur; unde ipsi Franci testati sunt, quod ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones translata sit<sup>6</sup>. — Ebbo Remorum archiepis-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB., anno DCCCXXXI.

<sup>2</sup> Ex libro de *Gestis Normannorum* in *Libro Florido Sancti Bavonis*. N. 155, fol. 212.

<sup>3</sup> SIG. GEM. — MART. POL. Ludovico imperante.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Idem.*

<sup>6</sup> MART. POLON. Ludovico imperante, iisdem fere verbis.

copus deponitur, aliique multi, qui cum eo in dejectione Ludovici imperatoris conspiraverant, damnantur et exiliantur.

Eodem anno, Lidricus Harlebeccensis, comes et forestarius Flandriae, obiit et in *Harleké* (sic) sepelitur.

Anno DCCCXXXVI, sanctus Philibertus abbas, quum Normanni Britanniam vastabant, migravit, septimo idus Junii.

Eodem tempore, sanctus Edmundus rex, captus ab infidelibus Danis, illudatur, flagellatur, sagittatur, demum capite truncatus, martyr occubuit, XX die Novembris.

Anno DCCCXXXVII, Normanni Gallias graviter infestant<sup>1</sup>, Dordracum vastant; Antwerpiam et *Witlant*, emporium situm juxta ostium Mosae, incendunt, a Frisonibus tributum accipiunt.

Eodem anno, sanctus Liborius, episcopus Cenomanensis, transfertur in *Padborne*.—Insulam Walachriam barbari invaserunt, Eggardum comitem cum Francis plurimis occiderunt, et feminas cum spoliis captivas abduxerunt<sup>2</sup>.

Anno DCCCXXXVIII, S. Fredericus, Trajectensis episcopus, martyrizatur.

Anno DCCCXXXIX, Ludovicus<sup>3</sup> imperator filio suo Lothario, sub fide ad se venienti, reconciliatur; eique dignitatem imperii et regni coronam tribuit. — Cometes in signo Arietis apparuit.

Anno DCCCXL, Ludovicus imperator moritur<sup>4</sup>, et Metis sepelitur. Cui succedit Lotharius filius ejus, qui imperavit annis quindecim.—Normanni<sup>5</sup>, in quamdam Frisiae partem irruentes, non parum incommodi intulerunt.

Anno DCCCXLI, Karolus et Ludovicus, filii Ludovici imperatoris, dolentes<sup>6</sup> se a fratre suo Lothario debita regni parte privari, contra eum insurgere parant. Normanni<sup>7</sup>, ab Oceano Euripo Rothumam irruentes, rapinis, ferro igneque bacchantes, monachos populumque caedibus vel captivitate deleverunt, et omnia templa et loca, flumini Sequanae adhaerentia, depopulati sunt, et, multis acceptis pecuniis, recesserunt. — Tunc sanctus Audoenus transfertur.

Anno DCCCXLII, elevatio sancti Livini<sup>8</sup>, archiepiscopi et martyris, et sancti

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.—AEG. DE ROYA. *Annales Belgici*, ed. Franc. SWERTIUS. Francof. 1620, pag. 10.

<sup>2</sup> *Lib. Floridus*, fol. 212.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.—MART. POLON. Ludovico imperante.

<sup>4</sup> *Idem*.

<sup>5</sup> *Chronicon Normannorum apud PERTZ Mon.*

*Germaniae historica*, t. I, p. 353. *Idem Chron. exstat apud DUCHESNE, Rer. Franc.*, t. II, et DOM BOUQUET, t. VI et VII. Item, *Lib. Flor.*, fol. 212.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.—MART. POLON. Lothario imperante.

<sup>7</sup> *Lib. Florid.*, *ibid.*

<sup>8</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 445.

Briccii infantis apud *Holthem* facta est per Theodoricum, Cameracensem episcopum. Fratres Lotharii imperatoris<sup>1</sup>, Ludovicus scilicet et Karolus, collecto exercitu contra ipsum, in pago Antissiodorensi veniunt, fitque pugna apud villam Fontiniacum, in qua tanta caedes utrinque facta est, ut nulla aetas meminerit tantam stragem hominum factam fuisse in gente Francorum. Et ita eorum vires ibi attenuatae sunt, ut jam nec suos terminos ab externis tueri possent. Victoria tamen Karolo et Ludovico provenit.

Mirabile quoddam in pago Morinensi accidit; nam post medium Januarii ignei umbones cum ingenti sonitu ab aethere lapsi sunt.

Anno DCCCXLIII, fratribus<sup>2</sup> Lotharii nondum a bello desistentibus, consilio optimatum tandem de pace agitur, et de partibus singulorum quadraginta primores eliguntur, qui regnum aequaliter dividerent, et ita pax in annum induciatur.

Eodem anno, Hugo, abbas Sithiensis, sanctum Audomarum ad sanctum Quintinum transferre nitens, a sancto Folquino, episcopo Morinensi, impeditur. Eodem anno, Theodoricus, Cameracensis episcopus, obiit.

Eodem anno, Normanni, urbem Namnetum aggressi, interfectis episcopo et multis clericorum atque laicorum sexusque promiscui, depraedata civitate, inferioris Aquitaniae partes adoriuntur, ac postremum insulam quamdam ingressi hyemare decreverunt<sup>3</sup>.

Anno DCCCXLIV, Eynardus, abbas Gandensis coenobii, obiit VIII kal. Augusti. Hic impetravit a Ludovico imperatore, privilegia pro monasterio Gandensi, sito in pago Brachbatensi, data indictione undecima, imperii anno sexto, in palatio Aquisgrani<sup>4</sup>. Ipse Heynardus concessit Lidrico Harlebecensi et Ingelramo forestariis venandi in silva sancti Bavonis, quae tunc *Heynaertstrist*, nunc vero *Loo*<sup>5</sup> nominatur, tali conditione, quod de omni venatione sua darent ipsi abbati decimum cervum vel bestiam. Heynardo successit Eynkericus. Eodem anno, corpus sancti Bertini a sancto Folquino, Morinensi

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.—AEG. DE ROYA.—MART. POLON., Lothario imperante, sic: In pago Altissiodorensi convenientes, tanta caedes utrorumque facta est, qualis nunquam facta est ante in gentes Francorum, et cum ipsorum vires adeo attenuatae essent, ut adversariis resistere non possent, pacem inter se fecerunt regna dividendo, imperio cum Lothario remanente.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Chronicon Norm. et Lib. Flor.*, fol. 212.

<sup>4</sup> Vide hoc diploma Ludovici, datum anno DCCCXIX, accuratissime typis excusum in *Char. S. Bavon.*, quod in lucem edere coepit Doct. SERURE, Archiv. Flandriae Orientalis custos, p. 2.

<sup>5</sup> Id est *Loo Christi*, prope Gandavum. Eadem in *Chronicon Johannis de Thielrode*, pag. 10.



episcopo, transfertur. Romanae ecclesiae praesidet Sergius II. Hic vocabatur<sup>1</sup> prius *Os porci*, unde ab ipso omnes papae deinceps nomen mutaverunt. Ad cuius electionem confirmandam Ludovicus, filius Lotharii imperatoris, a patre missus, in regem Italiae sive Longobardorum unctus est.

Lotharius imperator<sup>2</sup> et fratres ejus, ad urbem Galliae Viridunum convenientes, pacificantur, descripto in tres partes regno. Karolus accepit occidentalia regna, a Britannico oceano usque ad Mosam fluvium, in qua parte nomen Franciae remansit. Ludovico orientalia regna cesserunt, omnis scilicet Germania usque ad Rheni fluentia, et aliquae trans Rhenum civitates, cum adjacentibus pagis, propter vini copiam. Lothario vero omnia Italiae regna cum ipsa Roma, nec non Provincia, et media pars Franciae inter Schaldam et Rhenum, quae ab ipso dicta est Lotharingia.

Eodem anno, Normanni Britanniam insulam, quam Angli Saxones incolunt, impetentes triduo, pugnando victores effecti, praedas, rapinas, necs facientes, terra pro libitu potiti sunt<sup>3</sup>.

EYNKERICUS XVI ABBAS.

Sextus decimus abbas Gandensis coenobii, Eynkericus dictus, praefuit annis octo.

Anno DCCCXLV, Normannorum rex Roricus<sup>4</sup> sexcentas naves per Albim fluvium in Germaniam adversus Ludovicum dirigit, quibus Saxones occurrentes, commisso proelio, Domini nostri Jesu Christi auxilio victores efficiuntur. Unde digressi Sclavorum quamdam impetunt et capiunt civitatem<sup>5</sup>.

Anno DCCCXLVI, Heynkericus abbas et monachi Gandensis coenobii corpora sanctorum Bavonis et Pharaïldis cum aliis reliquiis ad sanctum Audomarum, metu Danorum, transferunt. In alio sic legi: Anno DCCCXLVI, piratae Danorum Frisiam adeuntes<sup>6</sup>, provincias et ecclesias vastaverunt et populum in eis occiderunt. Quod audientes Flandrenses vicinarumque urbium pontifices et abbates, cum sanctorum suorum reliquiis ad sanctum

<sup>1</sup> MART. POLONUS, Sergio pontif.

<sup>2</sup> *Ex Annalibus Bertinianis*: transcriptus est locus in *Libro Florido sancti Bavonis*.

Eadem SIGISBERTUS tradit iisdem fere verbis.

<sup>3</sup> *Chron. Normannor. Lib. Flor.*, fol. 212.

<sup>4</sup> *Chron. Normann. Lib. Flor.* eadem.

<sup>5</sup> *Lib. Flor.* loco cit.

<sup>6</sup> *Chron. Normannor.* loco cit. Item *Liber Floridus*, fol. 240. Item fol. 212 verso.

venerunt Audomarum, quia muro valido et turribus atrium ejus munitum erat. Isti sunt sancti, qui propter persecutionem illam convenerunt, sanctus Bavo, sanctus Wandregisilus, sanctus Ansbertus, sanctus Wulfrannus, sanctus Wasnulfus, sanctus Piatu, sanctus Bainus, sanctus Winnocus, sancta Austroberta; et quadraginta annis aliqui praefatorum sanctorum permanserunt. — Ludovicus, rex Germanorum, quatuordecim duces Bohemorum baptizari fecit.

Anno DCCCXLVII, Adulfus, rex Anglorum, Romam proficiscitur<sup>2</sup>. Inde rediens per Franciam Judith, filiam Karoli Calvi, accepit uxorem. Leo IV praesidet. Qui statuit, ut, dum missarum solemnia celebrantur, nullus ex laicis presbyterium intret. Decrevit etiam, ut octavae Assumptionis Mariae Romana celebrarentur, quod ante non fiebat.

Anno DCCCXLVIII, Rabanus Moguntiae<sup>3</sup> ordinatur episcopus. Eodem anno, Adulfus, rex Anglorum, moritur. Judith vidua relinquitur; duo filii ejus regnum dividunt: Ethelwaldus in West-Saxonia Angliae, Ethelbertus in Cantia regnaverunt. Ethelwaldus perfidus thorum patris polluit, quia Judith novercam suam in conjugem accepit. — Normanni Burdigalam, Aquitaniae civitatem, Judaeis prodentibus, captam depopulatamque incendunt. Scoti super Normannos irruentes, auxilio Dei victores, eos a suis finibus propellunt<sup>4</sup>.

Anno DCCCXLIX, Sancta Helena<sup>5</sup> a Roma in diocesi Remensi tranfertur. Eodem anno, quidam, dictus Ziringus, construxit oppidum in Zelandia, nuncupatum vulgariter *Ziriazee*.

Anno DCCCL, Franci a Bohemis<sup>6</sup> proelio graviter vincuntur. Cui bello spiritus malignus se praefuisse per os arreptitii publice protestatus est, et per se et per suos socios, spiritus scilicet superbiae et discordiae, egisse, ut Franci terga verterent.

Anno DCCCLI, Normanni et Dani Frisiam et Batavos populantur et in castro Gandavo venientes<sup>7</sup> sancti Bavonis monasterium incenderunt et devasta-

<sup>1</sup> Hucusque ex *Lib. Florido*.

<sup>2</sup> MART. POLONUS addit: Et coram Leone papa obtulit tributum sancto Petro, de unaquaque domo argenteum nummum, in anno. Et hoc tributum usque hodie perseverat.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> *Chron. Norm. Lib. Flor.*, fol. 212, v<sup>o</sup>.

<sup>5</sup> *Idem*. — MART. POLONUS: anno Lotharii nono,

sancta Helena, Constantini mater, Romae in ecclesia sanctorum Marcelli et Petri sepulta, in Francia transfertur, et in diocesi Remensi cum magna veneratione excolitur.

<sup>6</sup> *Chron. Norm.* habet: Franci a *Boëmanis*.

<sup>7</sup> *Chron. Norm.*, anno DCCCL. Legitur ibi *oppido pro castro Gandensi*. — *Lib. Flor.*, fol. 212 v<sup>o</sup>. Legitur et ibi *oppidum*.

runt. Deinde Rotumum et usque ad Belvacum pedestri gradu pervenerunt. Qua incensa, cum redirent, intercepti a nostris et aliqua ex parte, profligati sunt.

Reliquiae<sup>1</sup> sancti Hermetis martyris per Lotharium imperatorem ad Galias mittuntur, et apud Indam monasterium reconduntur, donec locum sibi honorificum praepararet. Postea relicto opere imperfecto, monachusque effectus obiit. Fames valida Germaniam attrivit, ut etiam pater filium suum devorare voluerit. Quo tempore, Rabanus archiepiscopus multam pauperibus benevolentiam exhibuit.

Eodem anno, obiit Ingelramus forestarius, sive comes Harlebeccensis, et apud Harlebecam sepelitur. Cui successit Audacer filius ejus.

Anno DCCCLII, Eynkericus abbas Gandensis obiit, tertio nonas Novembris, sepultusque est ante altare sancti Andreae. Cui successit Tasradus. Karolus, rex<sup>2</sup> Francorum, filios fratris sui Pipini regis, Pipinum et Karolum, regnum inquietantes capit, et in monachos attonsos in monasterium trudit. Normanni CCLII navibus Frisiam adeunt<sup>3</sup>.

TASRADUS XVII ABBAS.

Septimus decimus abbas Gandensis coenobii, Tasradus<sup>4</sup> praefuit annis quindecim.

Anno DCCCLIII, Tasradus abbas et monachi Gandensis coenobii cum reliquis et corporibus sanctorum de sancto Audomaro, metu Normannorum, ad Laudunum transfugerunt. (Karolus autem rex Francorum beati Bavonis attendens miracula villas has Coloniam et Nigellam et ecclesiam de *Veyli* cum medietate vinearum concessit.) Normanni<sup>5</sup>, per mare Britannicum ostia Ligeris ingressi, urbem Namnetum invadunt, episcopum sabbato Paschae baptismum celebrantem trucidant, clerum et populum perimunt; inde Andegavis, deinde Turonis occupant, et ut tempestas omnia diruunt, templum etiam sancti Martini incendunt, et caetera adjacentia loca, et quia evidenti certitudine praescitum fuerat, corpus sancti Martini ad civitatem<sup>6</sup> Aurelianorum prius transportatum est.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Chron. Norm. Lib. Flor.* fol. 212 v°.

<sup>4</sup> Tasradus, sic in Codice: apud SANDERUM

(Gandavum), appellatur Tafradus.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB. similia. *Ch. Norm. L. Flor.* ib.

<sup>6</sup> MART. POLON. Altissiodorum et in ecclesia

sancti Germani collocatum.

Anno DCCCLIV, corpus Calixti papae per Everardum ducem ad Cysonium, cum miraculorum multimoda patrione, transfertur.

Normanni, qui per viginti annos Franciam nimis attriverant, in patriam suam reversi, intestino inter se bello usque ad internecionem delentur, ut de regia eorum stirpe nullus nisi unus puer remaneret<sup>1</sup>.

Leo papa moritur. Cui succedit Johannes Anglicus: sedit anno uno. Erat enim mulier<sup>2</sup>, unde impraegnata per suum familiarem, cum de sancto Petro in Lateranum tenderet, peperit, et ex partu mortua est. Unde papa per viam illam nunquam transit.

Anno DCCCLV, sanctus Folquinus, Morinensis episcopus, apud Ekelsbekam obit. — Terrae motus, aëris insolita commotio, turbines, tempestates, grandines, fulmina, multa multis modis incommoda hominibus inferunt. Quidam etiam homo igni coelesti consumptus est, veste illaesa manente.

Lotharius imperator<sup>3</sup>, partito inter filios regno, abrenuntiat seculo, et in Prunna monasterio habitu monachi suscepto, non multo post dormivit in Domino.

Ludovicus filius ejus, olim a Sergio papa inunctus, imperat annis XXI. Lotharius vero frater ejus Lotharingiam tenet. Normanni Ligerim ingressi, relictis navibus, pedestri itinere urbem Pictavorum adire moliuntur, sed occurrentibus Aquitanis, adeo profligati sunt, ut ultra trecentos pauci evaserint<sup>4</sup>.

Anno DCCCLVI, Rabanus<sup>5</sup>, archiepiscopus Moguntinensis, obiit. Maginradus eremita martyrizatur. Normanni sive Dani vastaverunt Hollandiam, exercentes inauditam crudelitatem, et procedentes destruxerunt maximam urbem juxta Trajectum, in qua triginta ferebantur parochiales ecclesiae fuisse, ubi nunc *Wyck* situm est. Deinde Dani vallaverunt urbem Trajectensem, quam ceperunt, et populum cum clero trucidantes, portas civitatis dejecerunt. Sanctus Iero presbyter a Danis in Hollandia martyrizatur.

Anno DCCCLVII, Nicolaus<sup>6</sup> papa praesidet. Coloniae orta tempestate,

<sup>1</sup> *Lib. Flor.*

<sup>2</sup> Ex MARTINO POLONO. Haec in vet. Cod. Brux. in bibl. Burg. asservato leguntur ad marg., altera sed antiqua manu adjecta.

Notat MIRAEUS, pag. 107, se in nullo Codice SIGISBERTI mentionem reperiisse hujus papissae.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POLONUS, addit: Quindecimo imperii sui anno.

<sup>4</sup> *Chron. Normannor. Lib. Flor.*, fol. 212 v°.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem.* — MART. POLONUS, Nicolao pontif., iisdem verbis.

populo in basilicam sancti Petri confugiente, fulmen subito instar ignei draconis basilicam scidit ac penetravit, et tres homines diversis quidem locis, sed uno ictu occidit, alios etiam sex eodem impetu semivivos reliquit. Normanni<sup>1</sup> quinto kal. Januarii Lutetiam Parisiorum invadunt atque incendio tradunt, basilicam sancti Petri et sanctae Genovefae incendunt, et caeteras omnes, praeter domum sancti Stephani et ecclesiam sancti Vincentii et sancti Germani, praeterque ecclesiam sancti Dionysii, pro quibus, tantummodo ne incenderentur, multa solidorum summa soluta est.

Anno DCCCLVIII, Franci<sup>2</sup> super crudelitate Karoli regis sui apud Ludovicum fratrem ejus exostulant, et eum ad regnandum super se Karolum invitant. Quod ille inconsultus aggressus, turpiter alienis excessit finibus. In parochia Moguntina malignus spiritus multos inquietat, lapides jactando, domorum parietes malleis pulsando, discordias inter homines seminando, manifeste loquendo, furta etiam prodendo.

Normanni, Schaldem fluvium transeuntes, loca populantur undique<sup>3</sup>.

Eodem anno, monasterium sancti Walerici et Samerobicam, Ambianorum civitatem, aliaque circumquaque loca rapinis et incendiis vastant.

Anno DCCCLIX, Dani Angliam infestantes Wyntoniam urbem direptioni dederunt. Principibus Karoli regis inter se discordantibus, Britones destitutam auxilio terram invadentes, usque Pictavum omnia vastando veniunt. Quos redeuntes rex Karolus persecutus Britanniam intrat, et pugna conserta Franci vincuntur. Ethelbertus rex Angliae moritur; frater ejus Ethelredus succedit. Normanni, Noviomam civitatem aggressi, Eminonem, episcopum Noviomensem et Tornacensem, cum populo occidunt<sup>4</sup>.

Anno DCCCLX, corpus sancti Winnoci a *Wormholt*, metu Danorum, transfertur in Sithiu. Humeneus, rex Britonum, dum instaret regnum Francorum depopulari, visum est ei assistere sanctum Maurilionem, Andegavensem episcopum, a quo in capite baculo percussus obiit.

Hoc tempore, Lenculfus, dux Saxonum, corpus sancti Innocentii papae a Roma in Saxoniam transtulit. — Normanni<sup>5</sup> in Somma consistentes, receptis obsidibus, ad Anglos Saxones navigant, a quibus repulsi alias partes petunt. Illi vero qui morabantur in Rodano usque ad Valentiam civitatem

<sup>1</sup> *Chron. Normann. Lib. Flor.*, fol. 215.

<sup>2</sup> *StGISB. GEMB.*

<sup>3</sup> *Chron. Normann.*, an. 819, fol. 215.

<sup>4</sup> *Chron. Normann. Ibid.*, fol. 215.

<sup>5</sup> *Idem.*

vastando perveniunt. Qua deprædata, ad insulam, in qua sedes posuerant, redeunt; deinde Italiam petunt, et Pisas civitatem vastando perveniunt. Reliquiae sancti Hermetis ab Inda transferuntur per Ludovicum ad Rothnacensem ecclesiam in Flandria, pridie nonas Julii.

Anno DCCCLXI, Ethelredus, rex Anglorum, contra Danos et Normannos patriam suam infestantes viriliter dimicat. Pax inter Francos et Britones confirmatur. Normanni<sup>1</sup> Lutetiam Parisiorum et ecclesiam sancti Vincentii martyris et sancti Germani incendio tradunt, negotiatoresque, per Sequanam navigio sursum fugientes, insequuntur et capiunt. Alii quoque Normannorum Tarvanensem sive Morinensem pagum adeunt et devastant, de Anglis revertentes. Deinde, cum duce eorum Welando, cum ducentis navibus Sequanam ascendunt. — Corpora sanctorum Wandregisili et Ansberti, metu Danorum, effodiuntur.

Anno DCCCLXII, Lotharius, rex Lotharingiae, Waldradam<sup>2</sup> pellicem superducens conjugi suae Tietbergæ, consentientibus sibi archiepiscopis Gunthario Coloniensi, et Tietgaudo Treverensi, magnam sibi calamitatem paravit.

Judith, filia<sup>3</sup> Karoli Calvi regis Francorum, vidua Adulphi regis Anglorum, in Silvanecto a Balduino Ferreo capitur, seu ipsa mutato habitu secuta est Balduinum in Flandriam; propter quod Balduinus anathematizatur. Sed pax fit, et insuper corpus sancti Donatiani, Remensis episcopi, Balduino datum, ad Bruggam defertur et illic reservatur.

Anno DCCCLXIII, Hollandia<sup>4</sup> primo coepit habere comitem; est enim pars Frisiae. Karolus Calvus habens partem in ea dedit illam nobili viro Theodorico de Gasconia. Deinde Ludovicus, rex Allamaniae, dedit ei aliam partem, et sic factus est Hollandiae et Zelandiae comes, quam tenuit quinquaginta uno annis.

Guntharius et Thietgaudus archiepiscopi, Romae<sup>5</sup> a papa Nicolao pro adulterio Lotharii regis examinati, cum et suis synodalibus gestis, quae proferebant, et suo etiam ore convicti fuissent, episcopatu et sacris gradibus exordinati anathematizati sunt, eisque tantum laicalis communicatio concessa est.

<sup>1</sup> Chron. Normann.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> Genealogia Comit. Flandriae.

<sup>4</sup> AEG. DE ROYA, p. 11.

<sup>5</sup> Plura de his tradit HINC MARUS in *Annalibus* suis, hoc an., apud PERTZ, tom. I, p. 460 et seq.

Anno DCCCLXIV, Audacer comes Harlebeccensis obiit, et in *Harleke* (sic) juxta patrem et avum sepelitur <sup>1</sup>. — Balduinus Ferreus, filius ejus succedens, Judith, filiam Karoli Calvi regis Francorum, desponsavit. — Sanctus Ansharius Hamburgensis episcopus migravit.

Excommunicata pellice Waldrada <sup>2</sup>, videns Lotharius rex etiam sibi excommunicationem intentari, Tietbergam uxorem recepit; sed id non multum profuit, quia non multo post, ea repudiata, pellicem recepit, nec ab ea ultra ullo correptionis modo separari potuit.

Normanni, mense Januario, per Rhenum versus Coloniam navigio ascendunt, et Dorestadó depopulato, quo Frisii confugerant, occisis multis Frisonum negotiatoribus, et capta populi multitudine, recedunt <sup>3</sup>.

Anno DCCCLXV, Karolus Calvus rex contulit privilegia <sup>4</sup> ecclesiae sancti Bavonis, tempore quo Reynelmus praefuit ecclesiae Noviomensis et Tornacensi, nec non fidelis suus Adelelmus comes, qui largitu suo rector factus est monasterii sancti Petri sanctique Bavonis, quod antiquitus vocatum exstitit Ganda. Innotuerunt enim monachi Karolo a suo genitore Ludovico, glorioso imperatore, caeterorumque suorum praedecessorum confirmationis habuisse praeepta, sed nimia infestatione paganorum nostrisque praepedientibus peccatis ea deperisse ignique cremata fuisse. Data anno regni XXV.

Corpora sanctorum Eusebii et Pontiani dono Nicolai papae ad Gallias translata sunt. — Rex Bulgarum cum gente sua ad baptismum conversus, missis ad eum a sede apostolica presbyteris, ita in fide confirmatus est, ut, filio majore in regnum substituto, monachus efficeretur. Et cum filius ejus ad gentilitatis cultum redire vellet, militiae cingulo et regio cultu resumpto, filium persecutus est et in carcerem eum retrusit, et filio minore in regnum locato, sacrum habitum recepit. — Normanni <sup>5</sup> residentes in Ligerim cum maximo impetu usque ad monasterium Floriacense navigant, illud incendunt, et in revertendo Aurelianis civitatem et ecclesias cremaverunt, praeter ecclesiam sanctae Crucis, quam flamma, cum inde multum laboratum fuerit a Normannis, vorare non potuit. Deinde Pictavium civitatem incendunt.

<sup>1</sup> *Gen. com. Fland.*

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Lib. Flor.* fol. 215.

<sup>4</sup> Ex *Chron. Johannis de Thielrode*, pag. 20.

Vide diploma in *Chartulario sancti Bavonis*, pag. 3-4. Est autem emissum 11 Octob. 864.

<sup>5</sup> *Chron. Norm. Lib. Flor.*, fol. 215.

Anno DCCCLXVI, Herispous<sup>1</sup>, dux Britanniae; a suis perimitur, et Salomon, filius ejus, supra Britones ducatum gerit. Contra quos Karolus cum exercitu vadit. Cui occurrens Salomon confoederatus est. Balduinus Ferreus, cum Judith Romam pergens pro absolutione raptus, a papa Nicolao primo absolutus est.

Anno DCCCLXVII, Tasradus, abbas Gandensis, apud Nigellam<sup>2</sup> obiit, XII kal. Aprilis, et ibidem sepelitur. Cui successit Radulfus, a fratribus Gandensis coenobii abbas electus; quia dicti fratres in praedicta Nigella causa dispersionis degebant.

Eodem anno, inter regem Karolum Calvum et Balduinum Ferreum, foederarium Flandriae, instantia Nicolai papae, concordia facta est, timore, dicunt aliqui, Normannorum, qui terram vastabant, ne tantus princeps Normannis jungeretur. Karolus ergo Calvus dedit consensum in matrimonium Judith filiae suae cum Balduino Ferreo, et fecit eum comitem, ut Flandriam in perpetuam hereditatem obtineret, et omnes villas citra Summam fluvium, ut putarum, Attrebatum, Hesdinium, *Bapalmes*, Morinum, Aream et sanctum Audomarum, quae de Flandria Gallicana dicebantur. Balduinus, Karolo regi homagium faciens, per tempora multa Flandriam gubernavit, et in *Brugstoc* frequentius existens, burgum lapidem domumque scabinorum antiquam fundavit; et tandem parvam capellulam beatae Genitricis deposuit, et ibidem chorum sancti Donatiani fecit, et corpus sancti Donatiani illic locavit.

## RADULFUS XVIII ABBAS.

Octavus decimus abbas Gandensis coenobii, Radulfus praefuit, quanquam non in loco tamen in officio, annis sedecim.

Anno DCCCLXVIII, sanctus Hunfridus, Morinensis episcopus, migravit. Adrianus papa Romae praesidet. Cometes manifestissime apparet. Michael, Graecorum imperator, sensu diminutus, adeo mente excedebat, ut familiares suos juberet occidi, quos tamen ad se rediens sibi praesentari exigebat.

Anno DCCCLXIX, Orbonius, rex Hispaniae, obiit. Cui successit Adelfonsus, secundus filius ejus. Corpus sancti Mauri, asportatum a Glandifolio in Bur-

<sup>1</sup> SIGISE. GEMB.

<sup>2</sup> *Annales sancti Bavonis*, sup. pag. 443.



gundiam, propter timorem Normannorum, transfertur ad Fossatense coenobium, quod construxit sanctus Babolenus, prope Parisius.

Anno DCCCLXX<sup>1</sup>, Lotharius, rex Lotharingiae, Romam ad Adrianum papam se excusatum<sup>2</sup> vadit. A quo dum pro comprobatione innocentiae suae, ad examinationem corporis et sanguinis Domini, tam ipse quam optimates regni invitati essent, et ipse et omnes, qui corpus Domini cum eo temere accipere praesumpserunt, infra ipsum annum perierunt, ipso statim in redeundo Placentiae defuncto.

Corpus sanctae Amelbergae virginis a Tempseca defertur ad Blandinium. Hugo abbas et Gaufridus cum Transsequanis, confligentes cum Normannis in Ligeri residentibus, sexaginta inde interfecerunt, et capientes quemdam apostatum monachum, qui se cum Normannis contulerat, et nimis infestus christianis erat, decollari fecerunt<sup>3</sup>.

Anno DCCCLXXI, Coloniae celebrata synodo<sup>4</sup> a tribus metropolitanis, videlicet Luitperto Moguntino, Bertulfo Treverensi et Williberto Coloniensi, cum ab eis major ecclesia, quae est sancti Petri, deberet dedicari, praecedenti nocte audita sunt voces malignorum spirituum inter se dolendo conquerentium se a possessis diu sedibus debere expelli.

Karolus Calvus, rex Francorum, defuncto fratre suo Lothario, dum Lotharingiam solus usurpare nititur, sed Ludovicus obviat, et sic eam aequaliter inter se diviserunt et tenuerunt annis octo. — Athalbertus fit episcopus Morinensis.

Anno DCCCLXXII, Carolum Calvum domestica calamitas<sup>5</sup> in filiis afflixit. Siquidem Karlomannum, in clericatu usque ad diaconatus officium pro-  
fectum, propter apostasiam cepit et excaecavit. Porro Karolus, alter filius, cum voluisset experiri fortitudinem cujusdam militis, ab eo occisus est igno-  
ranter.

Basilius, imperator Graecorum, inter caetera munera misit Ludovico, regi Germanorum, cristallum mirae magnitudinis, auro gemmisque ornatum, cum parte non modica sanctae crucis.

Karolus Calvus<sup>6</sup> monasterium sancti Cornelii apud Compendium fundat, ipse etiam sudarium Domini ibi esse instituit.

<sup>1</sup> MART. POL. Adriano II pontif.

<sup>2</sup> AEG. DE ROYA, pag. 11.

<sup>3</sup> Chron. Norm., Lib. Flor., fol. 215, verso.

<sup>4</sup> SIGISB. GENE. — AEG. DE ROYA, pag. 11.

<sup>5</sup> Idem. — MART. POL., ad regnum Ludovici II.

<sup>6</sup> MART. POLON.

Elfredus, rex Anglorum, a Danis et Normannis infestationem patitur, ut vix sciret quo tueri deberet.

Anno DCCCLXXIII, Romanae ecclesiae praesidet Johannes VIII.

Karolus junior<sup>1</sup>, filius Ludovici Alemannorum regis, a daemone graviter, praesente patre, arripitur, et id, propter conspirationem adversus patrem excogitatam, evenisse publice confessus est.

Elfredus, rex Angliae, a Danis obsessus, precibus sancti Cuthberti evasit, et se joculatorem simulando ad curiam regis Danorum transivit. Omnia scrutatus rediit; deinde animavit suos, et irruens super Danos, innumerabiles ex eis occidit. Residui eorum cum rege suo dederunt obsides, et christiani sunt effecti. Regi autem eorum Garimundo orientalium Anglorum et Northumbrorum terras dedit. Reliqui autem, qui baptizari noluerunt, cum Hastingo duce mare transierunt.

Anno DCCCLXXIV, in Italia Brixiae<sup>2</sup> tribus diebus et tribus noctibus de coelo sanguis pluisse narratur. — Normanni et Dani Gallias depopulantes, multas civitates supra Sequanam et Ligerim evacuantes, usque ad triennium supra mare grassati sunt. De regno quoque Ludovici<sup>3</sup>, regis Alamannorum, tributum exigunt, sed ab exercitu ejus caesi graviter vincuntur.

Locustae innumerabiles Galliam depopulantur; caeteris locustis majores, sex alarum, sex pedum, duorum dentium lapide duriorum, ut castrorum acies turmatim volantes, duces cum paucis itinere unius diei praemittentes ad metanda loca venturae multitudini, circa horam nonam ad locum provisum venientes, ibique solis ortum exspectantes, per spatium unius diei aërem velabant, ipsum solis splendorem obnubilantes, omnia viridia in herbis et arboribus vastabant, spatium diurni itineris quatuor aut quinque millibus extendentes. Sic ad mare Britannicum pervenientes tandem flatu ventorum in profundum maris mersae sunt. Sed aestu oceani ad littus rejectae, ex putredine sua aëre corrupto, multos perire fecerunt. Secuta fames valida multos consumpsit inedia, ut pene tertia pars hominum consumpta sit.

Anno DCCCLXXV, hyems solito asperior<sup>4</sup> et proluxior, nix et gelu a kal. Novembris usque ad vernale aequinoctium.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.—MART. POLON. iisdem fere verbis, ad regnum Ludovici II. regnum, fol. 27.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.—MART. POLON. ad Ludovici II

<sup>4</sup> Idem.

Ludovico, Allamanorum regi, apparuit in somnis genitor suus, Ludovicus imperator, adjurans eum pro nomine sanctae Trinitatis, ut eum eriperet a tormentis. Ob hoc ad diversa monasteria eleemosynis destinatis, obnixè filius succurrebat patri.

Normanni urbem Andegavis, quasi in ea habitaturi cum suis omnibus, occupant. Ad quam oppugnandam, Karolus, adscito Salomone Britonum rege, multis diebus eam obsedit. Sed cum Normanni ad desperationem adducti fuissent, rex, invito exercitu, pecunia ab eis accepta, egressum eis annuit, eisque hoc pacto pejora faciendi locum dedit.

Anno DCCCLXXVI, cometes solito rutilantior apparuit<sup>1</sup>.

Subita aquarum inundatio in Saxonia quamdam urbem funditus cum hominibus, bestiis, arboribus et aedificiis, cum ecclesia et altari absorbit, ut nullum habitationis remanserit vestigium.

Ludovicus imperator in Italia moritur<sup>2</sup>, et patruus ejus Karolus Calvus, rex Francorum, Romam pergit, et, Johanne papa et Romanis per munera sibi conciliatis, imperator creatur, et imperat annis duobus. Sed ei statim a Ludovico fratre suo bellum paratur, quod, se inconsulto, solus imperium fratruelis usurpaverit. Britones, rege suo Salomone mortuo, pro contentione regnandi intestino inter se colliduntur bello, sicque inviti cessant a Galliae exterminio. — Hugerus, Trajectensis episcopus, obiit.

Eodem anno, imminente Danorum persecutione, monachi apud Broilum degentes corpus sancti Mauronti ad Duacum transferunt.

Anno DCCCLXXVII, Henricus monachus vitam sancti Germani Antissiodorensis, heroïco metro in sex libellis exaratam, Karolo imperatori obtulit<sup>3</sup>.

Johannes Scotus, vir perspicacis ingenii, claret Parisius. Hic transtulit libros beati Dionysii, de *coelesti Ierarchia*, de graeco in latinum, de verbo ad verbum<sup>4</sup>.

Ludovicus, rex<sup>5</sup> Germanorum, moritur relinquens tres filios, Ludovicum juniorem, Karolum, qui non multo post imperavit, et Karlomannum, patrem Arnulfi imperatoris. In Germania ingruente pecorum pestilentia, dum canes undique collecti cadaveribus incumberent, ita disparuerunt, ut nec vivi nec mortui reperirentur.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> MART. POLON. ad regnum Ludovici II et Caroli II.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> MART. POLON. ad regnum Ludovici II.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

Anno DCCCLXXVIII, Karolus Calvus imperator<sup>1</sup>, Romam secundo profectus, Bōsoni, germano uxoris suae, neptem suam, filiam Ludovici imperatoris, uxorem dedit, et data ei provincia in regem eum coronavit, ut etiam regibus imperare videretur. Qui audiens fratruales suos Karlomannum, et Karolum, contra se exercitum adducere, pavore solutus reditum parat, et inter redeundum, a quodam Judaeo<sup>2</sup> male potionatus, Mantuae moritur. Filius ejus Ludovicus, cognomento Balbus, regnat in Francia. Junior vero Karolus, filius Ludovici Germanorum regis, imperium adeptus est, annuentibus sibi quibusdam nobilibus Romanorum. Johannes vero papa favebat Ludovico Balbo, ut esset imperator post patrem, idcirco fugit ad eum in Franciam, fuitque ibidem per annum.

Brabantiam sibi Hugo, filius Lotharii, olim ducis Brabantiae, ex pellice Waldrada, usurpat.

Anno DCCCLXXIX, Normannorum plusquam quinque millia a Francis in Gallia caesa sunt. Hastings, dux Danorum atque Normannorum, dum civitatem Turonensem obsideret, Turonenses corpus beati Martini ad locum debiliorem apportaverunt, innoxque Dani et omnes, qui cum ipsis erant, divinitus perterriti fugerunt. Quos Turonenses usque ad tertium lapidem persecuti sunt, ibique ecclesiam aedificaverunt, ubi corpus steterat.

Hoc tempore, clarebat Milo, monachus sancti Amandi, qui *Vitam sancti Amandi* metrice edidit, et librum de *Sobrietate* ad Karolum Calvum scripsit. Sub hoc Milone adolecebat nepos ejus Hubaldus, qui in septem liberalium artium peritia clarus, egregie in musica claruit et de multis sanctis cantus composuit.

Anno DCCCLXXX, Balduinus, cognomento Ferreus<sup>3</sup>, primus comes Flandriae, obiit. Cujus corpus in monasterio sancti Bertini tumulatum est, sed cor et intestina delata sunt et sepulta in Blandinio. Successit illi in comitatu Flandriae filius ejus Balduinus, qui se Calvum nominari fecit, non quia calvus actu fuerit, sed ut, nomen avi sui Karoli Calvi suscitans, nomen ac generis nobilitatem exaltaret.

Sol, hora diei nona<sup>4</sup>, ita obscuratus est, ut stellae in coelo apparerent. — Ludovicus Balbus, rex Francorum, moritur, uxorem suam gravidam relinquens.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> MART. POLON. addit: Zedechia nomine.

<sup>3</sup> *Chron. sancti Bertini*, pag. 328.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

Francis, cui deberetur regnum, dissentientibus, interim nascitur filius ex uxore, nomine Karolus. Filii tamen Ludovici Balbi ex concubina, Ludovicus et Karlomannus, interim regnum Francorum inter se dividentes, regnant annis quinque.

Normanni<sup>1</sup> incendiis et devastationibus inhiantes, sanguinem humanum siti-entes, ad interitum et perditionem regni, mense Novembrio in Gandensi monasterio sedem sibi ad hyemandum statuunt; et mense Decembrio corpus sancti Vedasti Vallis supra Summam in villa sua defertur. Normanni deinde Tornacum civitatem, et omnia monasteria supra Scaldim fluvium, ferro et igne devastant, interfectis accolis terrae atque captivatis. Deinde sedem sibi mutaverunt et Cortriacum castrum ad hyemandum construunt. Inde Menapios et Suevos usque ad interneccionem deleverunt, quia valde illis infesti erant, omnemque terram juxta flumina consumpserunt. Sigisbertus scribit, quod in silva Franciae carbonaria plus quam novem millia Normannorum a Francis caeduntur.

Anno DCCCLXXXI, Karolus imperator, fratre suo *Karloman* defuncto, et non multo post Ludovico altero fratre suo immatura morte praerepto, post claras de inimicis victorias regnum Germaniae obtinuit<sup>2</sup>.—Normanni<sup>3</sup>, septimo kal. Januarii, Sithiu oppidum ingressi, ipsum cum ecclesiis cremaverunt, excepta sancti Audomari ecclesia, quae Dei providentia bene erat munita. At Normanni, interfectis omnibus quos invenire poterant, omnem terram usque Summam pervagati sunt. Inde Cameracum destruunt, Centulam, monasterium sancti Richarii et sancti Walerici, et omnia loca circa mare, monasteria et vicos; deinde Ambianis civitatem atque Corbeyam pervagantes, multis onusti praedis, ad sua repedavere castra. Postea in Februario Attrebatis venerunt, omnesque quos ibi invenerunt, interfecerunt. Rex Ludovicus collecto exercitu obvius, in pago *Witman*<sup>4</sup> commissum est proelium. Mox Normanni fugam ineunt, et per Gandavum redeuntes, reparatis navibus, terra marique iter facientes, Mosam ingressi sunt, et in *Haslac* sedem firmant ad hyemandum. Eo tempore, Ludovicus rex obiit.

<sup>1</sup> *Chronicon Normannor., Lib. Flor.* fol. 215 verso. Cfr. et *Annales Vedastinos*, annis 879 et 880, apud PERTZ, tom. I, p. 518. Cfr. et *Chron. sancti Bertini*, tom. I, pag. 528-529.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Chron. Norman.* — *Annales Vedast.* anno

881. *Chronicon sancti Bertini*, pag. 519. — *Liber Floridus*, fol. 214, paulo amplius haec enarrat.

<sup>4</sup> *Chron. Norman.* anno 895. *Annal. Vedast.* anno 881, in fol., apud PERTZ, tom. I, pag. 520. *Lib. Flor.*, tom. I.

Balduinus<sup>1</sup> calvus Brugis oppidum construit, tollens lapides de *Aldenborch*, quondam per Attilam, regem Hunorum, destructo.

Corpus sancti Eleutherii, Tornacensis episcopi, ab Heydilone, Noviomensis episcopo, elevatur.

Anno DCCCLXXXII, Karolus Romae a papa Johanne in imperatorem benedicitur<sup>2</sup>.

Normanni, junctis sibi Danis<sup>3</sup>, in multitudine innumerabili de Norwegia gregatim egressi, per diversos exercitus Franciam et Lotharingiam pervagantes, Neomagi palatium igne cremant. Leodium, Trajectum, Tungris, Coloniam Agrippinam, Bunnam cum adjacentibus castellis comburunt. Praeterea monasteria Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prunniam destruunt. Sacri ordinis ministri, ubi poterant opportunius, latebant, et sanctorum corpora et pignora locis tutioribus abscondebant. Ad haec mala Hugo, filius Lotharii regis ex Waldrada pellice, in Lotharingia, et Boso susceptus in Burgundia tyrannizabant<sup>4</sup>.

Eodem anno, Radulfus, abbas Gandensis coenobii, obiit Lauduni<sup>5</sup>, sexto idus Augusti, et in monasterio de Nigella sepelitur. Cui successit Helias a fratribus Gandensis coenobii abbas electus.

## HELIAS XIX ABBAS.

Nonus decimus abbas Gandensis coenobii, Helias praefuit annis quatuordecim, parum plusve minus, semper tamen in exilio.

Anno DCCCLXXXIII, Normanni urbem Treverim incendunt, et Metim usque protendunt, ibique conserto proelio christianos vincunt. In hoc proelio Walo, Metensium episcopus, occisus est<sup>6</sup>. Altum monasterium sanctae Mariae Tronciniensis reaedicatur, et canonici restituti sunt, praecepto Balduini Calvi, comitis Flandriae, et Johannes praepositus factus est.

Anno DCCCLXXXIV, Balduinus Calvus<sup>7</sup>, comes Flandriae, Elstrudem, filiam Elfredi regis Anglorum, accepit uxorem, ex qua postea genuit Arnulfum

<sup>1</sup> *Geneal. Comit. Fland.*

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> Aliter haec enarrantur in *Lib. Flor. sancti Bavonis*. — Iisdem fere verbis a MART. POLON., Carolo III imperante.

<sup>4</sup> *Lib. Flor. et Annal. Vedast.* anno 882, apud PERTZ, loc. cit.

<sup>5</sup> *Annal. sancti Bavonis*, supra pag. 445.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> *Geneal. Comit. Fland.*—AEG. DE ROYA, p. 15.

Vetulum, qui post eum fuit comes Flandriae, et Adulfum, qui comitatum Bononiae habuit a patre. — Karolus imperator<sup>1</sup> a Gallis et Germanis ad auxiliandum contra Normannos descendit, eos in *Haslac* obsedit<sup>2</sup>. Godefridus vero, rex sive dux unus Normannorum, ad imperatorem exiit. Tractavit, quod Frisia sibi daretur, quam olim Borichus Normannus tenuerat, et Gisla, filia Lotharii regis, soror Hugonis ducis Brabantiae sive Lotharingiae, uxor sibi concederetur. Baptizatus est, ab imperatore de sacro fonte susceptus. Sigfridum vero, alterum Normannorum ducem, imperator de regno suo recedere fecit cum reliquis Normannis. Qui mox Franciam repetentes post multas incursiones a Karlomanno, Francorum rege, duodecim millia argenti probati pro tributo exigunt, et sic in duodecim annis pacem promittentes, mare repetunt<sup>3</sup>, prius tamen trans Scaldum cuncta devastant<sup>4</sup>. Pars enim tantum una per Bononiam iter agens mare transivit, et pars altera in Lovanio ad hyemandum castra ponunt.

Karlomannus deinde causa venandi in *Basii* silva veniens, dum aprum vellet percutere, et quidam e suis cum eum vellet iuvare, casu regem in tibia vulneravit, unde die septimo obiit.

Athelbertus, Morinensis episcopus, obiit. Herclandus successit.

Anno DCCCLXXXV, Karlomanno<sup>5</sup> rege Francorum defuncto, Normanni Franciam repetunt, dicentes, se cum rege Francorum non cum Francis pacem pepigisse. Hinc compulsi Franci, Karolum imperatorem ad auxiliandum sibi invitantes, Franciam ei subjiciunt. Qui contra Normannos apud Lovanium castra metatos semel et bis exercitum misit, sed nihil dignum fecit. Regnavit ergo Karolus in Francia annis quinque.

Hinemar<sup>6</sup>, Remorum archiepiscopus, obiit<sup>6</sup>, et Fulco abbas sancti Bertini successit.

Anno DCCCLXXXVI, Romanae ecclesiae Martinus II praesidet<sup>7</sup>.

Apud Constantinopolim Basilio imperatore mortuo, Leo filius ejus imperat. — Hugo, filius Lotharii regis ex Waldrada pellice, paternum Lotharingiae regnum rebellando assequi sperans, Godefrido Normannorum regi, cui soror sua Gisla nupserat, medietate affectati regni promissa, persuadet, ut ab im-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. anno 884.

<sup>2</sup> *Chron. Normann.* *Lib. Flor.*, fol. 241 anno 882.

<sup>3</sup> Hucusque SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> *Lib. Flor.* paulo amplius fol. 241, verso.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> Hucusque SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> *Idem et Annal. Vedast.* an: 885-886.

peratore imperiales fiscos ad libitum suum sibi addi peteret, per hoc utrinque imperatorem circumventum putans. Si daret, Normanni, hostes regni, in visceribus regni intromitterentur; si negaret, justam rebellandi causam habere videretur. Ad quem Karolus imperator Henricum ducem suum mittit. Omnes in Batuam conveniunt, ubi inter agendum Godefridus perimitur, Hugo ab Henrico capitur, excoecatur, ac in monachum Prumiæ attonditur. — Ex hoc tempore, Brabantiam et Lotharingiam Karolus, imperator et rex Francorum simul et Alemanniae, tenuit annis quatuor.

Anno DCCCLXXXVII, Normanni a Lovanio exeuntes Parisius obsident; contra quos Henricus dux exercitum ducens, dum incaute equitat, in foveam a Normannis factam, quam quisquiliis operuerant, lapsus trucidatur<sup>1</sup>. Post haec Sigefridus famosissimam ecclesiam sancti Medardi igne cremavit et palatia regia, interfectis accolis. Normanni vero, qui per Sequanam ascenderant a Parisius cum omni exercitu et suppellectili et navibus, Hyonam fluvium ingressi, Senonas civitatem obsederunt; sed Everardus, ipsius civitatis archiepiscopus, statim cum eis de ereptione civitatis agi coepit, et obtinuit quod voluit.

Dodilo fit Cameracensis et Attrebatensis episcopus, defuncto Rothardo.

Anno DCCCLXXXVIII, Agapitus Romanae ecclesiae praesidet<sup>2</sup>; hic in aliquibus libris non annumeratur.

Karolus<sup>3</sup> imperator cum Normannos nequiret expellere tandem facto foedere concessit eis regiones, quae erant ultra Sequanam, quarum incolae contra se rebellabant. Quae pars Franciae a Normannis Normannia denominata est.

Anno DCCCLXXXIX, Adrianus Romanae ecclesiae praesidet<sup>4</sup>. Karolus imperator zelatus uxorem suam, pro eo<sup>5</sup> quod plus justo familiariter ageret cum Luitwardo, Vercellensi episcopo, protestatur in contentione se nunquam cum ea coisse. Illa vero se virginem esse gloriata, accepto repudio, monasterium petiit.

Anno DCCCXC<sup>6</sup>, Karolus imperator, corpore et animo deficiens, ab optima-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. Cfr. et *Chron. Reginonis* apud PERTZ, tom. I, pag. 596. Alia leg. in *Lib. Flor.*, fol. 215 hoc anno.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POLON. cum omisit.

<sup>3</sup> MART. POL. Carolo III imperante.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> MART. POL. habet: pro eo quod plus multo familiariter ageret cum Vercellensi episcopo protestatur se nunquam eam cognovisse.....

<sup>6</sup> MART. POL. ad ipsius regnum.



tibus regni repudiatur, et Arnulfus, filius Karlomanni regis, fratruelis ejus, in regnum sublimatur et imperat annis duodecim<sup>1</sup>. — Romanum imperium et regnum Francorum misere discerpitur. In Italia namque Berengarius et Wido de regno contendunt. Franci vero, neglecto Karolo filio Ludovici Balbi, puero vix decenni, regem sibi praeficiunt Odonem, filium Roberti ducis, a Normannis occisi. Rodulfus autem, corona sibi imposita, rex Burgundionum statuitur<sup>2</sup>. Brabantiam iterum imperio subjectam tenuit Arnulfus sex annis.

Anno DCCCXCI, Romanae ecclesiae Basilius praesidet<sup>3</sup>; hic in aliquibus libris non invenitur<sup>4</sup>. Normanni, Parisius expugnare non valentes, Burgundiam aggrediuntur, et Senonis urbem oppugnant, sed non expugnant. In Italia Sarraceni castrum quoddam Fraxinctum occupantes magno exitio Italiae esse coeperunt<sup>5</sup>.

Anno DCCCXCII, Elfredus, rex Angliae, moritur et Wintoniae sepelitur. Cui successit Eduardus filius ejus, primus hujus nominis. Normanni a Senonis Parisius repetunt, et inde repulsi, per Maternam<sup>6</sup> fluvium Treca urbem incendunt, et usque Viridunum et Tullum urbes cuncta depopulantur. Wido Berengarium bis victum ex proelio fugat. Odo rex Normannos super Axonam fluvium bello vicit. Rodulfus comes obiit: Balduinus, dictus Balzo, successit. — Fulco, Remensis archiepiscopus, abbatiam sancti Bertini regendam suscepit, quam destructam reperiens nobilissime reparavit.

Anno DCCCXCIII, Arnulphus<sup>7</sup> imperator Zwendeboldo, duci Marahensium, ducatum Bohemanorum addens, per hoc Bohemos sibi infestos fecit, et Zwendeboldo materiam contra se rebellandi dedit. Ad quem debellandum cum non sufficeret, apertis clavis, gentem Hungarorum Deo inimicam regno immisit, eorumque auxilio Zwendeboldum devicit et tributarium fecit. Contra Eduardum regem Angliae rebellat Ethelwaldus, patrum ejus filius, et adjuncta sibi Danorum manu, patriam infestare molitus est. Cum quo congressus rex eum capit et capite punit, caesis Danis quos adduxerat.

Anno DCCCXCIV, Normanni iterum a Parisius repulsi<sup>8</sup> fines Britonum incessunt, et primo victores postea a Britonibus vincuntur in duobus proeliis, duodecim millibus suorum preemptis. Odone rege per consilium Francorum

<sup>1</sup> SIGIS. GEMB. — MART. POL.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> MART. POL. eum omisit.

<sup>4</sup> SIGIS. GEMB.

<sup>5</sup> SIGIS. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem.*

<sup>7</sup> *Idem.*

<sup>8</sup> *Idem.*

in Aquitania demorante, Franci Karolum puerum duodennem, Ludovici Balbi filium, in regnum paternum revocant, et Remis a Fulcone archiepiscopo in regem benedici faciunt.

Anno DCCCXCV, Romanae ecclesiae praesidet Stephanus V<sup>1</sup>, natione Romanus. — Normanni Lotharingiam repetentes circa Leodium cum christianis pugnant et vincunt. Sunderoldus, Moguntinus archiepiscopus, a Normannis Wormatiae martyrizatur. Arnulphus rex, audita caede suorum, a Bojoaria contra Normannos pugnaturus properat cum valido exercitu. Quos supra fluvium, qui Thilia dicitur, pedestri proelio adorsus, tantam ex eis stragem fecit, ut ex innumerabili multitudine vix superesset, qui ad classem adversum nuntium ferret. Tunc residui, qui proelio non adfuerant, transvadata Mosa, Ribuariam et Ardennam vastando trans mare recesserunt<sup>2</sup>. Alii Normanni, qui Galliam attriverant, ante Carnotum virtute beatae Virginis, cujus vexillum sive camisiam supra muros expanderant, excoecati procedere non valentes, a civibus trucidati sunt; tamen Rollo eorum dux evasit<sup>3</sup>.

## DISPERSIO MONACHORUM.

Eodem anno, Helias, abbas Gandensis coenobii, obiit Lauduni quarto idus Decembris, et ibidem in ecclesia sancti Vincentii sepelitur. Post ejus mortem magna exstitit dispersio monachorum, quae plus quam quadraginta annis continue duravit<sup>4</sup>. Hoc tempore, claruit in Burgundia Berno, ex comite abbas Gigniacensis coenobii a se fundati. Qui etiam ex dono avae comitissae construxit Cluniacum monasterium in cellam Gigniacensem. Claruit hoc tempore Remigius Antissiodorensis, in exponendis scripturis divinis et humanis studiosus.

Anno DCCCXCVI, Arnulphus rex Zwendeboldum, filium suum ex concubina, facit regem<sup>5</sup> Lothariensium. Karolus rex opem Arnulphi contra Odonem implorat. Ad cujus auxilium Arnulphus exercitum misit, sed parum commodi contulit. Karolus rex Hundeam, regem Normannorum, baptizari fecit, eumque de sacro fonte suscepit<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POL.

<sup>2</sup> Hucusque SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Lib. Flor.*, fol. 215, paulo amplius.

<sup>4</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 443.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem.*

Sanctus Adalbertus martyr ad monasterium Egmondense transfertur.

Anno DCCCXCVII, Arnulphus rex, a Berengario Italico interpellatus ad auxilium sibi contra Widonem, Zwendeboldum filium suum cum exercitu misit in Italiam. Sed Wido viriliter agens, et primiores exercitus donis corrumpens, eos inefficaces redire fecit<sup>1</sup>.

Anno DCCCXCVIII, Arnulphus rex, Longobardiam<sup>2</sup> potenter ingressus, Pergamum urbem armis cepit, cujus comitem Ambrosium ante portam urbis laqueo suspendens, caeteris urbibus terrore incusso, ad obsequelam suam omnes adduxit. Odo musicus ex clerico Turonensi monachum profitetur sub Bernone abbate. Sanctus Gerardus nascitur<sup>3</sup>.

Anno DCCCXCIX, Odo, rex Francorum, moritur, obtestatus primates, ut Karolum in regnum reciperent. Karolus ergo, dictus Simplex, filius Ludovici Balbi, regno Francorum toto recepto, regnavit annis XXVII. Apud Triburias celebrata synodo contra laicos, qui auctoritatem episcopalem minuere tentabant, plura super statu sanctae ecclesiae decreta sunt<sup>4</sup>.

Anno DCCCC, sanctus Fulco, Remensis archiepiscopus, martyrizatur, et XV kal. Julii, Balduinus Calvus, comes Flandriae, abbatiam sancti Bertini, quam Fulco tenuerat, a rege Francorum, Karolo Simplice, impetravit; et villam Bergas muniens, et ecclesiam illic in honore sancti Martini episcopi construens, canonicos instituit, corpus sancti Winnoci a monasterio sancti Bertini auferens, illic collocavit<sup>5</sup>. Hoc anno, incepit ordo Cluniacensis, cujus primus abbas fuit Odo musicus. Hunc Berno, abbas Gigniacensis, fecit abbatem Cluniacensis coenobii, quod ipse fundaverat; hac conditione, ut ecclesia Cluniacensis annuatim solveret ecclesiae Gigniacensi census duodecim denariorum. — Romanae ecclesiae praesidet Formosus contra voluntatem quorundam Romanorum, qui Sergium diaconum facere voluerunt, sed non praevaluerunt. Arnulphus imperator, a papa Formoso invitatus, Romam venit; sed Romanis eum recipere nolentibus, urbem Leoninam obsedit. Lepusculo vero fortuito ad urbem fugiente, et exercitu cum nimio clamore insequente, Romani timentes se de muro projiciunt, et hostibus per factos acervos murum ascendendi locum faciunt. Sic Roma capta est. Arnulphus eos, qui papam injuriaverant, decollari fecit, et ipse a papa in imperatorem

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Chron. sancti Bertini*, pag. 558.

benedicatur<sup>1</sup>. Sanctus Winnocus revertitur de Sithiu ad Bergas in ecclesiam canonicorum.

Anno DCCCCI, sanctus Radbodus fit XIV Trajectensis episcopus. Guido rex<sup>2</sup> Italiae, Arnulphum imperatorem se usquequaque persequentem non ferens; quippe cui nec urbes nec castra munita resistere poterant, dum se fugiendo tutaretur, imperator ejus uxorem obsedit, quae, jam rebus suis diffidens, per unum ipsius imperatoris familiarem, multa pecunia corruptum, ei poculum mortiferum dedit. Quo hausto, per triduum excitari non potuit, apertis oculis, nil sentiens, nec loqui valens. Quae res eum repedare coegit. Quem recedentem Guido persecutus est, sed a Deo percussus obiit. Cujus filius Lambertus, Italiae regno succedens contra Berengarium, regnat annis duobus. Romanae ecclesiae praesidet Bonifacius diebus quindecim. Post quem Romanus anno uno.

Anno DCCCCII, Arnulphus<sup>3</sup> imperator, longa aegritudine dissolutus, vel ut quidam ferunt, afflictus a pediculis in corpore ejus scaturientibus, ut a nullo medicorum minui possent, moritur, et Ludovicus filius ejus post eum regnavit annis decem. Stephanus<sup>4</sup> Romanae ecclesiae praesidet mensibus quatuor. Hic primum a Formoso papa episcopus Anagniae ordinatus, ipsum Formosum persequitur, et omnes ordinationes ejus irritas esse debere decrevit, et corpus Formosi a sepulcro in concilio protractum, et papali veste exutum, laicali induit, et abscisus duobus digitis dextrae manus ejus, in Tiberim praecipitari fecit<sup>5</sup>.

Anno DCCCCIII, Romanae ecclesiae praesidet Theodorus<sup>6</sup> diebus viginti. Hic contra Stephanum papam saeviens reconciliavit ordinatos<sup>7</sup> Formoso, quos Stephanus exordinaverat, nec tamen praesumpserat eos iterum consecrare. Post Theodorum praesidet Johannes anno uno. Hic etiam<sup>8</sup> ad confirmandam Formosi ordinationem, synodum LXXIV episcoporum, praesentibus<sup>9</sup> Francorum archiepiscopis et rege, apud Ravennam statuit, et coram eis com-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> Idem.

<sup>3</sup> Idem. — MART. POL. eadem narrat verbis parum diversis.

<sup>4</sup> MART. POL. : anno uno mensibus tribus..... episcopus Anagniae. Legitur etiam quod ipse corpus Formosi in concilio positum, et papali veste indutum, laicali induit, et duobus digitis dextrae

ejus abscisus manus ipsius, in Tiberim jactari praecipit.

<sup>5</sup> E *Chronico sancti Bertini*, pag. 540.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> Hucusque MART. POL.

<sup>8</sup> Addit M. POL. : pugnam fecit cum Romanis.

<sup>9</sup> MART. POL. deest : praesentibus Francorum archiepiscopis et rege.

busta est synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat. Lamberto rege filio Widonis mortuo, Berengarius solus in Italia regnat. Ungarorum gens barbara Galliam, Germaniam et Italiam invadit, ut tempestas. Zwendeboldus rex a Lothariensibus in bello perimitur. In qua conspiratione et bello quicumque vulneratus est, aut mortem non evasit, aut nunquam sanari potuit.

Ad collegium sancti Martini in Bergis Balduinus comes sancti Winnoci corpus a monasterio sancti Bertini auferens transtulit.

Sanctus Grimboldus, monachus et praepositus monasterii sancti Bertini, migravit in Angliam, ad quam declinaverat, metu Balduini comitis Flandriae, qui ipsam abbatiam ut abbas regebat.

Franco, Leodiensium episcopus, obiit. Cui Stephanus, vir sanctus et scientia clarus, successit. Conradus comes, pater Conradi, qui post Ludovicum regnavit, perimitur in bello a comite Alberto.

Anno DCCCCIV, Romanae ecclesiae praesidet Benedictus IV<sup>1</sup> anno uno. Ludovicus rex, conserto cum Ungaris proelio, miserabiliter vincitur. Apud Constantinopolim Leone imperatore mortuo, Constantinus filius ejus et Alexander frater ipsius Leonis imperant anno uno. — Karolus, cognomento Simplex, Francorum rex, filiam Eduardi regis Angliae, nomine Ogdivam, duxit uxorem, ex qua genuit Ludovicum, qui postea in Francia regnavit.

Anno DCCCCV, Ungari<sup>2</sup>, superioris anni victoria elati, regnum Ludovici sub tributo redigunt. Apud Constantinopolim Alexandro imperatore mortuo, Constantinus imperat annis XXXIX. Romanae ecclesiae praesidet Leo quintus, diebus quadraginta. Hunc, post XXX dies ordinationis suae, Christoforus presbyter suus capiens et in carcerem trudens, per invasionem rapuit praesulatum.

Anno DCCCCVI, Ungari<sup>3</sup> victos Graecos sub tributo redigunt. Apud Graecos Romanus, humilis quidem genere, sed quia Leonem Ferozem occiderat expertae fortitudinis habitus, et per hoc a Leone imperatore dux navalis exercitus constitutus, volens fieri tutor Constantini imperatoris, qui admodum puer erat, tutorem a patre illi deputatum et omnes principes palatii, ad se extra urbem evocatos, capit et palatio eliminat, et sibi faventes officiis curiali-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POL. habet: annis tribus, mensibus duobus.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Idem.*

bus honorat. Focas autem, qui terrestrem exercitum contra Symonem, Bulgarum regem, duxerat, hoc nuntio perterritus fugit a bello et omnes fugere fecit, et a Romano captus oculis privatur.

Anno DCCCCVII, Sergius<sup>1</sup> Romanae ecclesiae praesidet. Iste est Sergius diaconus, propter Formosum a papatu reprobatus, qui ab eodem Formoso episcopus factus ad Francos se contulit, et eorum auxilio Christophorum invasorem capiens et in carcerem trudens, latenter Romam ingressus, papatum invasit<sup>2</sup>. Apud Graecos Romanus, pater Basileos factus, ut securius ageret, matrem Constantini imperatoris uxorem duxit, suam vero filiam ipsi Constantino despondit. Ungari Bulgares victos tributarios sibi faciunt.

Anno DCCCCVIII, Romanus, tutor<sup>3</sup> imperatoris Constantinopolitani, impetrat a principibus, ut etiam indumenta imperialia et diadema imperii acciperet. Non jam tutor imperatoris, sed super imperatorem videbatur esse. Qui etiam Christophorum filium suum, in imperio adscitum, Constantino imperatori in procedendo praeferebat, sed Christophorus non multo post obiit.

Anno DCCCCIX, Hungaris<sup>4</sup> Italiam depopulantibus, rex Berengarius bello congressus miserabiliter vincitur. Romanus, Graecorum imperator, Bulgares Graecos fortiter debellantes, facto foedere, mitigavit.

Sanctus Meyngoldus, dux et comes Hoyensis, a nequam hominibus sexto idus Februarii martyrizatur<sup>5</sup>.

Anno DCCCCX, Sarraceni<sup>6</sup>, ex Africa a rege suo missi in Italiam, ut Apuliam et Calabriam contra Romanum imperatorem rebellantes sub ditione illius redigerent pugnando, Apulis et Calabris fortiter debellatis, Romam versus gyranes, Galerianum montem occupant, ibique munitione sibi facta, multas Italiae urbes debellarunt. Aldebertus, quidam ex primoribus Austrasiorum, per septennium Ludovico regi rebellis, dolose ad regem reductus per Hattorem Moguntinum, a rege occiditur.

Anno DCCCCXI, Hungari Germaniam vastant<sup>7</sup>. Ludovicus, filius Bosonis,

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> Post ea, MART. POL. repetit eadem quae ad pontif. Stephani VI retulit, sic enarrans: « In ultionem repulsae suae, Formosum, extractum de sepulcro et in sede pontificali sacerdotaliter indutum, decollari praecepit et in Tiberim jactari, et omnes per ipsum ordinatos deordinavit. Quem, a piscatoribus inventum et in basilica

sancti Petri positum, quaedam sanctorum imagines adorasse venerabiliter palam omnibus visae sunt. »

<sup>3</sup> MART. POL.

<sup>4</sup> *Idem.*

<sup>5</sup> Similia SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> *Idem.*

ab Italiensibus invitatus contra Berengarium, a Burgundia vadit in Italiam. Quem Berengarius excipiens bello, jurare compulit, ut, si redire permetteretur, non ultra in Italiam veniret.

Anno DCCCCXII, ecclesia, quae nunc dicitur sanctae Pharahildis, in Gandavo fundatur juxta novum castrum.

Sanctus Gerardus coepit aedificare monasterium Broniense. Ludovicus, rex Germaniae, moritur. Qui propter tyrannorum in Italia insolentiam non meruit imperialem benedictionem<sup>1</sup>. Cui succedens Conradus regnavit annis septem.

Anno DCCCCXIII, Ludovicus, filius Bosonis, secundo invitatus ab Italiensibus, oblitus juramenti sui, contra Berengarium vadit, et, expulso Berengario, regnum Italiae sive Longobardiae accepit, quod vix tenuit tribus annis<sup>2</sup>.

Anno DCCCCXIV, elevatio sancti Gerulphi martyris facta est in Merendra, octavo idus Octobris, ab Aynardo, Noviomensi et Tornacensi episcopo, et a comite Balduino Calvo, et defertur ad monasterium sanctae Mariae, quod dicitur Troncinium.

Contra Conradum<sup>3</sup> regem potentiores regni principes, scilicet Arnoldus de Bajoaria, Burchardus de Suevia, Everardus de Francia, Gisbertus de Lotharingia, et Henricus dux de Saxonia et Turingia, rebellionem meditati, ad gratiam regis recepti sunt; dempto Arnolde de Bavaria, qui ad Hungaros cum uxore et filiis fugiens usque ad mortem regis ibi mansit.

Anno DCCCCXV, Ludovicus<sup>4</sup>, filius Bosonis, Veronae captus a Berengario, a custodibus urbis auro corruptis in urbem inmisso, oculis privatur, et Berengarius regno restituitur. Hungari Berengario confoederati Alemanniam vastant, sed a Bavaris et Alemannis graviter caeduntur.

Anno DCCCCXVI, Karolus<sup>5</sup>, rex Francorum, Brabantiam et Lotharingiam, amoto Gisberto, recepit septem annis. Gisbertus *Luxemborch* obtinuit. Sarraceni, a Fraxincto et Gareliano monte exeuntes, Calabriam, Apuliam, Beneventum, Romanorum quoque urbes ita occupant, ut unamquamque mediam Romani, mediam Sarraceni tenerent, et gravissime Italiam perimebant.

Anno DCCCCXVII, sanctus Gerardus<sup>6</sup> monachus efficitur. Sanctus Radbo-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem.* et AEG. DE ROYA, pag. 15.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB. — Similia MART. POL. ad re-

gnum Ludovici III.

<sup>5</sup> *Idem.* — AEG. DE ROYA, loco cit.

<sup>6</sup> *Geneal. Com. Fland.* — AEG. DE ROYA, loco cit. pag. 15.

us, Trajectensis episcopus, migravit. Balduinus Calvus<sup>1</sup>, comes Flandriae, obiit, et in Blandinio sepelitur. Cui succedit Arnulphus, Vetulus dictus, primogenitus ejus, et Adolphus secundogenitus tenuit Bononiam et abbatiam sancti Bertini. Romanae ecclesiae praesidet Anastasius II<sup>2</sup>, natione Romanus, et post hunc Lando, natione Romanus, duobus annis. Hungari, Alemanniam totam devastantes, usque Fuldam perveniunt.

Anno DCCCCXVIII, Romanus<sup>3</sup>, tutor imperatoris Constantinopolitani, filios suos Constantinum et Stephanum cum domino suo Constantino imperatore imperare facit, ipso Constantino imperatore opere manuum suarum, picturam scilicet pulchre exercendo, sibi victum quaeritante. Hatto, Moguntinus archiepiscopus, cujus dolo Albertus occisus fuerat, quia Henricum Saxonum ducem etiam dolo capere voluit, ictu fulminis interiit. Conradus contra Henricum, ducem Saxonum, exercitum mittit; sed Henricus tantam stragem in exercitu fecit, ut a mimis declamaretur «Ubinam esset tantus ille infernus, qui tantam caesorum multitudinem capere posset.»—Hungari Alemanniam vastantes usque Lotharingiam perveniunt. — Eodem anno, Balduinus Calvus, comes Flandriae, obiit, et in Blandinio sepelitur.

Anno DCCCCXIX, Romanae ecclesiae praesidet Johannes X annis undecim; hic fuit filius Sergii papae<sup>4</sup>. In Bithynia coenobium Dolense fundatum est ab Ebbone, domino castri, ubi corpus beati Gildasii translatum est, atque beatae Brigittae corpus. — Conradus<sup>5</sup> rex moriens, coram principibus regni regem designat Henricum, filium Ottonis, Saxonum ducis.

Anno DCCCCXX, Robertus<sup>6</sup>, dux Burgundiae, frater Odonis olim regis, appetens regnum Francorum contra Karolum Simplicem, omnes quasi primores contra ipsum Karolum incitabat. Henricus rex contra Arnoldum, ducem Bavariae, ab Hungaria egressum cum exercitu, in Bavariam profectus eum ad gratiam suam inflexit. Burchardum quoque, Sueviae ducem suum, ad se inflexit.

Anno DCCCCXXI, Stephanus, Leodiensis episcopus, obiit<sup>7</sup>. Richarius successit, per regem Francorum, auctoritate papae, repudiato Hilduino, qui pecunia data duci de *Luxemborch* ambiebat episcopatum. Sanctus Witbertus

<sup>1</sup> Balduinus Calvus obiit anno 918; ut ipse auctor infra notavit. Tertium habuit filium, Isaacum II, Cameracensium comitem.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POL.

<sup>5</sup> *Idem.*

<sup>6</sup> *Idem.*

<sup>7</sup> *Idem.*



inter principes Lotharingiae claret. Qui Gemblacense coenobium fundavit. Ziptimeus<sup>1</sup>, dux Bohemiae, ad fidem Christi conversus, juste et religiose in Bohemia principatur.

Anno DCCCCXXII, Hungaris<sup>2</sup> Franciam, Alsatiam et Germaniam ac Saxoniam devastantibus, Henricus rex juxta urbem *Meresburch* congressus, vovens Deo, pro adipiscenda victoria, se haeresim simoniacam de regno suo eradicaturum, inaestimabili caede eos usque ad internecionem pene delevit. Idem Henricus fures, latrones aut sicarios manu fortes, indulta eis venia, arma dabat, et legionem ex eis faciens ad debellandos barbaros eos exponebat, edicens, ut civibus tantummodo parcerent. Karolus, rex Francorum, cum auxilio Lothariensium juxta urbem Suessionis pugnans contra Robertum, fratrem Odonis regis, eum cum multis peremit, et se et Franciam Henrico regi submittit, mittens ei pro pignore manum beati Dionysii auro gemmisque inclusam.

Arnulphus, comes Flandriae, uxorem duxit Athelam Heriberti, comitis Viromandiae, ex qua genuit Balduinum juvenem.

Sanctus Geraldus Aurelianus obiit in monasterio, quod ibidem fundaverat.

Anno DCCCCXXIII, Henricus, rex Alemanniae, et Karolus, rex Franciae<sup>3</sup>, apud Bonnam confoederantur, reddiditque Karolus Henrico Brabantiam et Lotharingiam, episcopis et comitibus utrinque consentientibus. — Sanguis Domini crucifixi venit in Angiam, forte ille sanguis, qui de imagine Domini fluxit, cum secundo Dominus in imagine sua a Judaeis priora pateretur. — Sarraceni<sup>4</sup>, qui per munitionem Galeriani montis totam Italiam laniabant, per militiam Johannis papae et per auxilium Romani, tutoris romani imperatoris, conserta cum eis pugna, ita atteruntur, ut ne unus quidem superfuerit, qui non aut trucidaretur aut caperetur, multis testantibus apostolos Dei, Petrum et Paulum, in illo bello fuisse visos ad auxilium Christianorum.

Anno DCCCCXXIV<sup>5</sup>, Eduardus primus hujus nominis, rex Anglorum, moritur. Cui succedit Ethelstannus primogenitus ejus: hic ex concubina dicitur natus, filia cujusdam opilionis.

Henricus<sup>6</sup> rex cum Hungaris in novem annis pacem firmat. Karolus Sim-

<sup>1</sup> MART. POL. sic: Henrici primi tempore Spicigneus, dux Bohemorum, ad fidem convertitur, et licet fuit neophytus, prae caeteris tamen juste ac religiose principatur.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> Eadem aliis verbis refert MART. POL.

<sup>5</sup> Hist. Anglic. *Chronicon Simeon. Dunelm.*, pag. 154. 14.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

plex, rex Francorum, ab Heriberto, comite Viromandiae, captus in custodiam Peronae traditur, ob necem Roberti ducis, ab eo perempti in bello apud Suesionem habito. Rodulphus, rex Burgundionum, ab Italiensibus invitatus contra Berengarium, conserta pugna eoque victo et expulso, regnum Italiae tenuit tribus annis.

DCCCCXXV, Henricus<sup>1</sup> rex urbem Sclavorum *Brennaburch* capit, et victis Sclavis tributum imponit. Rex Henricus agrarios milites recensens edixit, ut octo eorum in agris, nonus vero in urbe moraretur, ut octo et sibi et nono in agris laborarent, nonus vero in urbe tertiam partem omnium frugum reservaret in aedibus, a se ad hoc exstructis, ut in bello nihil alicui eorum deesset, urbesque rebus et viris plenae essent. Berengarius rex ab Italiensibus impie perimitur. Hungari, Salardo duce, Italiam pervagantes Papiam obsident et incendunt.

Anno DCCCCXXVI, sanctus Gerardus presbyter ordinatur. Karolus, rex Francorum<sup>2</sup>, apud Peronam, sub custodia Heriberti, exul et martyr moritur. Filius vero ejus Ludovicus, insidiantes sibi per mare fugiens cum matre, quae soror fuit Ethelstani regis Angliae, transit in Angliam. Rodulphus vero, rex Burgundionum, regnat in Francia duobus annis. Symeon *Bulgar*, qui, ex philosopho monachus, ex monacho miles factus, dominabatur Bulgaribus, Graecos graviter atterit; sed Romanus, Graecorum imperator, ejus insaniam facto foedere mitigavit.

Anno DCCCCXXVII, post mortem<sup>3</sup> Karoli regis, volentibus Latharingis Henrico regi Alemannorum subesse, quidam Lotharingus nomine Christianus, simulata infirmitate, Gislebertum ducem ad se dolo evocatum cepit, regique misit, ut per eum Lotharingiam sibi subjiceret. At rex, inspecta industria et potentia Gisleberti, filiam suam Gerbergam ei despondet, et eum iterum Lotharingiae praeficit, quam tenuit XVI annis. Rodulphus rex ab Italiensibus repudiatur, et Hugo, comes Arelatensium, in regnum sublimatur.

Anno DCCCCXXVIII, elevatio sancti Folquini, Morinensis episcopi<sup>4</sup>, facta est idibus Decembris. Mortuo Rodulpho rege, Ludovicum<sup>5</sup>, filium Karoli Simplicis Franci, ex Anglia revocatum sibi regem statuunt. Qui regnavit annis viginti septem. Hugo, rex Italiae, quosdam Italiensium habens suspectos, consilio et virtute Samsonis comitis, circumventos sibi substravit. Rex Henricus

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB. — *Chron. sancti Bertini*, pag. 545.

<sup>5</sup> *Idem.*

*Gana*, urbem Dalmatiae, cepit, et Dalmaticis tributum imponit. Raterius, Lobiensis monachus, cum Hilduino, qui in Lotharingia episcopatum Leodiensem olim ambierat, in Italiam ad Hugonem regem profectus, Veronae episcopus ab Hugone constituitur, Hilduino Mediolani archiepiscopo ordinato.

Eodem anno, Sifridus Dacus terram Gisnensem<sup>1</sup> occupavit, et Gisnarum oppidum fossato duplici cinxit, inconsulto comite Flandriae. Quam, pace facta, praestans homagium comiti Flandriae, retinuit, et postea Elstrudem filiam Arnulphi impraegnavit, quae peperit Ardolphum, primum comitem Gisnensem.

Anno DCCCCXXIX, lanceam<sup>2</sup> mirandi operis, et clavis Domini nostri Jesu Christi crucifixi confixam et sanctificatam, quae dicitur primi et magni Constantini imperatoris fuisse, donatam Rodulpho, regi Burgundionum et Italiae, a Samsone comite, rex Henricus precibus, minis et muneribus, addita etiam parte provinciae Suevorum, a Rodulpho comite extorquet, et hanc ad insigne et tutamen imperii posteris reliquit.

Anno DCCCCXXX, Johannes<sup>3</sup> papa, a militibus Guidonis marchionis captus et in custodiam trusus, cervicali super os ejus posito, pessime strangulatus est. In cujus loco Johannes XI subrogatus est; sed quia male intravit, inde ejectus, in numero pontificum non ponitur. In cujus loco Leo sextus, natione Romanus, praesidet mensibus quinque<sup>4</sup>. Post quem Stephanus VII, natione Romanus, sedit tribus annis<sup>5</sup>.

Wencezlaus, princeps Bohemiae, a rege Henrico in Praga urbe obsessus, se et urbem regi dedit, et impositum Bohemiae multum tributum solvit<sup>6</sup>. Hucbaldus, Elmonensis monachus, qui reliquias sancti Viti attulerat, obiit.

Anno DCCCCXXXI, sanctus Gerardus, abbas ordinatus, coepit regere cellam sancti Gislani. Henricus rex<sup>7</sup> sive, ut alii scribunt, imperator, reges Normannorum et Abrotidorum christianos facit.

Redarii, usque ad ducenta millia hominum conspirantes, contra Henricum regem rebellant, et regnum ejus graviter infestant; et vicinas gentes ad rebelandum animant, sed a ducibus regis, Bernardo et Tietmaro, gravi bello victi omnes pene perimuntur, aut fugientes in mari demerguntur, et hoc facto

<sup>1</sup> Ex *Chronicis Gisnensibus*. Cfr. et *Chron. sancti Bertini*, pag. 558.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Idem*. — Similia tradit iisdem fere verbis MART. POL.

<sup>4</sup> MART. POL. : mensibus sex, diebus quindecim.

<sup>5</sup> *Idem* : annis duobus, mense uno.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> *Idem*.

vicinae gentes a rebellionē deterrentur. — Arnulphus comes cepit castellum sancti Vedasti<sup>1</sup>. Everardus, qui Bergas condidit, dedit villam *Werhem* sancto Winnoco.

Anno DCCCCXXXII, Arnoldus, dux Bavariae<sup>2</sup>, in Italiam contra Hugonem regem veniens, a Veronensibus suscipitur, et cum Hugone confligens vincitur. Raterius episcopus, a rege Hugone episcopatu pulsus, quia Bavaris faverat, Papiæ exiliatur, ubi librum de suis aerumnis luculenter edidit. Scripsit et alia multa legentibus utilia.

Anno DCCCCXXXIII, Beneventani contra Graecos bellum agentes, quotquot Graecorum capiebant eunuchizabant. Hugo magnus, comes Parisiensis, et Heribertus, comes Viromandiae, contra Ludovicum, regem Francorum, rebellant. Adolphus, frater Arnulphi comitis Flandriae, qui comitatus Bolognensem et Ternensem tenuerat et abbatiam sancti Bertini, obiit<sup>3</sup>, idibus Novembris, sepultus in monasterio sancti Bertini. Sicque Arnulphus utrumque comitatum et ipsam abbatiam suscepit.

Anno DCCCCXXXIV, Hungari<sup>4</sup>, tributum a Saxonibus repetentes, ab exercitu Henrici regis occiduntur aut capiuntur, eisque usque ad interuicium deletis, tributum, quod petebatur, Deo pro gratiarum actione in ecclesiis et pauperibus exsoluitur. — Otto, filius Henrici imperatoris, uxorem ducit Elfginam, filiam quondam regis Anglorum, sororem Ethelstanni. — Johannes, praepositus Troncinensis, obiit. Reynerus successit.

Anno DCCCCXXXV, in Genuensi urbe fons<sup>5</sup> sanguinis largissime fluxit, portendens forte urbis ipsius imminentem ruinam. Quae, eodem anno, ab Africanis cum classe illuc venientibus capta, cunctis civibus, exceptis parvulis et mulieribus, captis aut occisis, etiam thesauris suis est evacuata.

Henricus imperator Danos, qui per piraticam Frisones incursabant, vincit et tributarios facit, et regem eorum baptizari facit.

Anno DCCCCXXXVI, Rodolphus, rex Burgundiae, obiit<sup>6</sup>. Inger, rex Russorum, sciens exercitus Graecorum esse ductos contra Sarracenos et ad insularum custodias dispersos, ad expugnandam Constantinopolim cum mille et eo amplius navibus venit, adeo de victoria jam securus, ut Graecos non occidi,

<sup>1</sup> SIGIS. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 15.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Geneal. Com. Fland.* — Plura in *Chron. sancti Bertini*, pag. 547-548.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Idem.*

<sup>6</sup> *Idem.*

sed capi praecepit. Quibus imperator Romanus cum paucis viriliter occurrens; circum circa graeco igni injecto, pene omnes cum navibus exussit, paucis evadentibus, omnesque captivos decollari jussit.

Heribertus, comes Viromandiae, regem Francorum in venatione insecutus eum capere parat; sed dolo ejus detecto, captus fune, quo regem ligare sperabat, ad arborem suspensus strangulatus est.

Anno DCCCCXXXVII, Walbertus, Noviomensis episcopus, obiit. Transmarus successit. Eodem anno, Arnulphus Magnus, comes Flandriae, hortatu Transmari, Noviomensis episcopi, coenobium Gandense tunc dirutum, quod deserto pene videbatur similis, restaurare coepit et in melius reformare, et sanctum Gerardum dicti Gandensis coenobii constituit abbatem et rectorem<sup>1</sup>.—Sol sereno coelo obscuratur<sup>2</sup>; per fenestras vero domorum radios quasi sanguineos emittebat. Mons, ubi postea rex Henricus sepultus est, flammam multis in locis evomebat. Hominis cujusdam sinistra manus, ferro amputata, post annum ad integrum ei dormienti restituta est. Qui pro signo miraculi linea quasi sanguinea loco conjunctionis notabatur. — Henricus rex moritur, qui licet in vincendis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, ut, effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductivi mercenarii, alter alteri succedentes, imperium dilaniabant, benedictionem imperialem accepisset. Post quem filius ejus Otto ex Mathilda, filia Theodorici ducis Saxonum, imperavit annis triginta sex. Obiit sanctus Odo, primus abbas Cluniacensis. Successit ei Ademar<sup>3</sup>.

GERARDUS XX ABBAS.

Vigesimus abbas Gandensis coenobii, sanctus Gerardus praefuit annis circiter quindecim. Qui dispersos monachos revocavit et monasterium restauravit<sup>4</sup>.

Anno DCCCCXXXVIII, Athela uxor Arnulphi, comitis Flandriae, magnis infirmitatibus gravata, ab episcopis Wicfrido Morinensi et Fulberto Cameracensi accepta licentia, a monachis introducta est in monasterium sancti Bertini, non sine timore magno, quia hoc ipsa prima feminarum praesumpsit, quod antea nulla mulier nec regina aliqua ausa fuerat, scilicet ingredi monasterium, quod sanctus Bertinus vivens vetuerat. Quae ante altari sancti Bertini

<sup>1</sup> *Gen. Com. Fl.—An. S. Bav.*, sup., p. 445.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> *Chron. Thielrod.*

in oratione prostrata, et oratione devote fusa, plenam corporis sospitatem recepit<sup>1</sup>.—Contra Ottonem<sup>2</sup> imperatorem rebellavit Everardus, comes Palatii, et Gislebertus, dux Lotharingiae, qui Gerbergam, sororem ipsius imperatoris, uxorem habebat. Hungari per Austrasiam et Alemanniam, multis civitatibus igni et gladio consumptis, Wormaciae Rheno transito, usque ad oceanum Gallias vastant<sup>3</sup>, et super fluvium Scaldam castra ponentes, Cameracum obsederunt, ubi tandem, occiso quodam de nobilioribus Hungarorum cum praeda multa repedarunt. Sanctus Wenceslaus, princeps Bohemiae, a fratre suo Bolislao martyrizatur; in cujus ultionem Otto imperator Bolislao bellum indixit, et longa inter eos concertatio per XIV annos protracta est<sup>4</sup>.—Bellum inter Analonum et Constantinum, regem Scotorum, et Ethelstanum, regem Angliae, fuit. In quo tandem Analonus, dux Northanhumborum, et Constantinus usque in Hiberniam fugati occisi sunt<sup>5</sup>.

Anno DCCCCXXXIX, corpora sanctorum Bavonis et Pharaïldis<sup>6</sup> cum aliis sanctorum reliquiis de Lauduno cum septem monachis reportantur, et in ecclesia novi castelli, in loco dicto *Herehem*, super ripas Legiae fluminis situata, tertio decimo kalendas Octobris, custodienda collocantur, quia coenobium Gandae nondum plene restauratum fuerat.

Arnulphus<sup>7</sup> marchisus contulit monachis sancti Petri in Blandinio censum, qui accipitur de mansionibus, quae sitae sunt in portu Gandavo, a flumine Scaldae usque ad decursum Legiae fluminis, et decimam, quam pro remedio animarum suarum Deo exsolvere debent in ipso commanentes portu. Naulum quoque, quod a praetereuntibus exigitur, supradicto monasterio concessit, et floralia prati, quae adjacent ipsi portui, illorum cedunt potestati. Caetera omnia, quae in charta Ainardi abbatis scripta habentur, reddidit. Item, ut abbatem praepōnant sibi, cujus hortatu atque regimine animati, terrena postponentes coelestia, studeant meditari; et caetera, quae sequuntur in privilegio. Actum in Blandiniensi coenobio, anno incarnati Verbi nongentesimo tricesimo nono, octavo iduum Juliarum, regnante Ludovico

<sup>1</sup> *Chron. sancti Bertini.*

<sup>2</sup> SIGIS. GEMB.

<sup>3</sup> Eadem in *Annal. Tornac.*, in *Nov. Thes. Anecd.*, tom. III, pag. 1435.

<sup>4</sup> Vide MART. POL. ad regnum Henrici I.

<sup>5</sup> Hist. Anglicanae. *Chron. Simeonis Dunel-*

*mensis*, pag. 135-10. *Brompton*, pag. 837-50.

<sup>6</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 444.

<sup>7</sup> Exstat diploma in *Archivis Flandriae Orientalis* omnino salvum. Accuratissime illud edidit post MIRAEUM, ADR. KLUIT in *Hist. Comitatus Hollandiae et Zelandiae*, tom. II.

anno sexto, filio regis Karoli reclusi monachi. Privilegium vero sic incipit : Arnulphus, marchio Flandriae, monasterio sancti Petri in castro Gandavo, quod Blandinium vocitatum est, sito in pago Curtracensi vel Listringagensi, salutem, tam quod monasterium sanctus Amandus reliquiis beati Petri multorumque sanctorum, quas a Roma secundo rediens secum detulit, solemniter nobilitavit, et monasterium sancti Petri sanctique Bavonis reliquiis et privilegiis honoravit. Quae privilegia et reliquias Martinus papa concessit monasteriis antedictis precibus sancti Amandi, tempore Dagoberti, regis Francorum.

Eodem anno, Hungari a Saxonibus graviter caeduntur<sup>1</sup>. Everardus, comes Palatii, et Gislebertus Henricum, fratrem Ottonis imperatoris, obsessum capiunt, eique suadent imperium sibi magis deberi quam Ottoni. Otto, a caede Bolislai rediens in Alemanniam, Everardum in exilium mittit, omnes Bajoarios sibi subdit, praeter unum filium Arnoldi. Urbem *Magdenburch* construxit. Italiam vexat haeresis Anthropofomitarum, corpoream formam Deum habere dicentium. Hugo, comes Parisiensis, duxit uxorem Athildam, filiam Eduardi, quondam regis Anglorum, ex qua ipse genuit Hugonem *Capet*, qui postea regnavit in Francia.

Anno DCCCCXL, aliquibus sanctorum Bavonis et Pharaïldis reliquiis in ecclesia praedicta novi castelli<sup>2</sup>, super ripam fluminis Legiae sita, ad instantiam et devotam supplicationem Arnulphi comitis Flandriae relictis, tali conditione, quod clerus praefatae ecclesiae, cum supradictis eorum reliquiis, annuam peregrinationem dicto coenobio Gandensi venerabiliter persolveret; sanctorum Bavonis et Pharaïldis corpora cum aliorum sanctorum pignoribus a sancto Gerardo, abbate Gandensi, de saepedicta novi castelli ecclesia, cum innumerable multitudine populorum, ad coenobium Gandense reportantur, et cum ingenti laetitia et tripudio ibidem decenter relocantur. Romanae ecclesiae praesidet Stephanus VIII, duobus annis: hic a quibusdam Romanis fuit mutilatus. Otto imperator<sup>3</sup> in Lotharingiam usque Caprum montem venit. Berengarius junior, timens Hugonem regem Italiae, ad Ottonem imperatorem fugit. Otto imperator Bolislaum, Bohemiae ducem, bello superat. At Bolislaus, securos de victoria circumveniens, principem militiae regis cum multis trucidat. Imperator autem Bohemiam vastat.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 444.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

Sethelstanus, rex Angliæ, moritur. Cui succedit Edmundus frater ejus, regnavitque septem annis<sup>1</sup>

Anno DCCCCXLI, dedicata est primum capella in Gandavo in honore sancti Johannis Baptistae, sancti Vedasti, sanctique Bavonis a Transmaro, Noviomensi et Tornacensi episcopo, ut liquet ex littera<sup>2</sup> ejusdem quae talis est : « Transmarus, Noviomagensis antistes, salutem : precibus Arnulphi marchisi et Gerardi abbatis, corroboravi monasterio sancti Petri in Blandinio mansioniles omnes in portu Gandensi, cum censu earum et cum omni decima, naulum etiam, quod a praetereuntibus exigitur. Capellam insuper, quae in eodem portu constructa nuper populo fuerat, praefati coenobii abbate Gerardo rogante, dedicavi, XVII kal. Maii, in honore sancti Johannis Baptistae et sanctorum confessorum Vedasti et Bavonis, remota ab altario ejusdem capellae omni redemptione et respectu, tam nostro quam successorum nostrorum, ut perpetua libertate ad Blandinium respiceret, sine ulla successorum nostrorum usurpatione. Omnem etiam terram a portu Gandensi, quae adjacet inter decursus duorum fluminum Legiae et Scaldis, usque ad *Sturinghahem* et Langaraca, et exinde in directum usque Legiam; et multa alia, quae continentur in privilegio. Actum Dominicae incarnationis nongentesimo quadragesimo primo. »

Pro praecedentium ampliori declaratione sciendum<sup>3</sup>, quod Otto imperator de Scaldi fossato, ante pontem sancti Jacobi usque in mare extensum, a nomine

<sup>1</sup> Similia traduntur in *Chron. Simeonis Dunelm.* de gestis regum Anglorum, pag. 154-50. Item: in *Chron. Henrici Huntindoniensis*, lib. V, Francofurti, apud Vechel, 1601, p. 555.

<sup>2</sup> *Chron. Johannis de Thielrode*, pag. 75, et *Diploma* apud MIRAEUM.

<sup>3</sup> Quae sequuntur iisdem verbis tradit JOHANNES DE THIELRODE in suo Chronico; sed varia lectione sic incipit (in ed., pag. 10.) :

« Otto imperator de Scaldi fossatum, ante pontem sancti Jacobi usque in mare extensum, a nomine suo Ottingam vocavit. » Addidit ergo auctor Chronici nostri verbum *pagum*, et de *fossatum* in *fossato* correxit, idque in ipso *Codice Thielrodiano* fuisse videtur, cum in hoc colore rubro vocem *fossatum* in *fossato* mutatam videre licet.

In *Codice diplomatico Kluitiano*, pag. 53, locus de fossa Ottoniana sic scriptus invenitur,

anno DCCLXXXVI, ex MS. :

Castellum *novum*, quod ad ripas Legiae, in imperio situm est, non reges Franciae, non comites Flandriae, sed imperatores Romanorum, in *fisco* et libera possessione sancti Bavonis, ad defensionem ipsius monasterii et antiqui castris Gandae, propter divisionem regni et imperii statuerunt: quo scilicet praefatus Otto regni Francorum et imperii orientalium fines determinavit. De quo censum quinque solidorum sancto Bavoni longo tempore comites Flandriae solverunt et nunc solvunt. Huic novo castello, non castellani sed comites praefuerunt. Quibus quatuor villae cum appenditiis suis, *Asnethe*, *Bocholt*, *Axla*, *Hulsta*, cum tota Wasia, subjectae fuerunt. Quidam autem praedictorum comitum Hycmanus exstitit, habens uxorem Lutgardim, filiam Arnulphi Magni, comitis Flandriae.



suo omnem pagum Ottingam vocavit, quo regni Francorum et imperii orientalium fines determinavit. Ante Ottonem, castellum, quod ad ripas Legiae situm est, non reges Franciae, non comites Flandriae, sed imperatores in libera sancti Bavonis possessione propter divisionem regni et imperii statuerunt, de quo censum quinque solidorum sancto Bavoni longo tempore comites solverunt<sup>1</sup>. Huic castello non castellani sed comites praefuerunt, quibus quatuor villae cum appenditiis suis, scilicet *Hasnethe*, *Bocholt*, *Axla*, *Hulsta*, cum tota *Wasia*, subjectae fuerunt. Quidam horum comitum, *Wicmannus* nomine, uxorem suam *Lietgardam* morti vicinam ad oraculum sancti Petri sanctique Bavonis deduxit, eamque statim, fatis urgentibus, mors abstulit. Pro cuius anima non sane sollicitus, villam *Thesselam*<sup>2</sup> sancto Bavoni abstulit, et sancto Petro tradidit; non tamen castellum ad spoliationem ecclesiae sed ad defensionem structum fuit. Quomodo idem castellum de potestate imperiali in manus comitum redactum est eminens dirutae munitionis cumulus, secus villam *Bocholt*, indicat, memoriamque hujus rei posteris repraesentat. Hanc munitionem comes Flandriae, ad vastanda imperialia et capiendum castellum, militum custodiae commiserat, qui crebra per densissimam silvam irruptione castellum casso labore fatigabant. Cumque impensus periret labor, comes, coacto in unum exercitu, in loco, quem *Herehem* novimus, ubi necdum habitatio erat hominum, erectis lodiis fixisque tentoriis, longo tempore obsedit castellum. In sancto sabbato Paschae, petente exercitu discessum et ad sua reditum, monuit comes, ut prius contra oppidanos non segnem facerent impetum. Quo facto oppidani, conscisso in particulas dimidio bachone, quem solum nec quidquam amplius in cibo habebant, foedabant scuta pugnantium. Quae res exanimavit comitem, eo quod eos abundare cibariis nec capi posse, nisi per famem, aestimaret. Itaque, incensis lodiis, discessum est. Quidam *Lambertus*, aliis festinantibus, se subtrahens saepiusque respiciens vidit de suburbio castelli mulierculam cum vase hauritorio ad *Lejam* descendere. Concitato equo, reverti volentem praeripuit, diligenter quid ageretur in oppido sciscitatus. Cumque perterrita diu haereret, promisso et tandem pretio, confessa est nec unius diei cibum eis superuisse. Munerata mox muliere, comitem subsequitur, adjunctisque suis fautoribus, postulat comitem, quod nec habuit nec forte habiturus erat. Conclamantibus aliis id facile et sine damno posse dari,

<sup>1</sup> Addit *Thielrode*: et nunc solvunt.

<sup>2</sup> Addit *Idem*: quae nunc dicitur *Destelberghe*.

quod nec haberetur nec posset haberi, assensum comes praebuit. Igitur Lambertus castellum nondum captum, sibi et posteris hereditario jure, sub hac conditione postulavit, quatenus castelli suo labore acquisiti comes esset comes et dominus, ipse vero procurator et castellanus. Ordinata itaque lege, et quae deinceps inter eos tenenda esset justitia, castellum necdum habitum comes tribuit, Lambertus suscepit. Haec castellania per totam Flandriam sola tunc fuit hereditaria. Lambertus, petitis et acceptis quibusdam militibus, tubisque quasi ad pugnam interciso sonitu clangentibus, revertitur, lodias instaurat, armat in pugnam milites, insultationes magnificat suisque gestibus comitem rediisse et adesse insimulat. Oppidani, capti fame nec ullum sperantes subsidium, maxime timore comitis, quem reversum arbitrabantur, perterriti, accepta pace et libertate egrediendi, castellum reddiderunt. Comes castello potitus abbatiam sancti Bavonis plurimum attenuavit. Nam homines sancti Bavonis de villa Gandensi transmigrant in *Herehem*<sup>1</sup>; quia abbatia sancti Bavonis et villa Gandensis fuit desolata suo defensore, scilicet castello Gandensi. Comes ergo Arnulphus in *Herehem* portum statuit, locumque ecclesiae sancti Petri in Blandinio assignavit, ut supra patuit.

Eodem anno, Gislebertus, dux Brabantiae, et Everardus, comes Palatii, amicitiam Ludovici, regis Francorum, contra Ottonem exposcunt, quorum ductu rex Ludovicus, per Lotharingiam veniens, Alsatiam processit. Ei Brizagum, per milites Gisleberti et Everardi, cepit et munivit. Tunc quoque Tanginarus<sup>2</sup>, frater Ottonis, se eis jungit, et inter caetera mala *Herersburch*, castrum regis, cepit, ibique a rege conclusus telis intra ecclesiam confossus periit.

Analo<sup>3</sup>, dux Northanhumborum, iterum ex Hibernia egressus, adversus regem Edmundum rebellat. Contra quem Edmundus procedens trans Humbrum ipsum cum Rainaldo, filio regis Scotiae, victum ad deditionem coegit; et civitates trans Humbrum dedit, ac se fieri christianum promisit. In quo proposito non diu permanens, sed iterum rebellans, perpetuo exilio vitam fini-

<sup>1</sup> Hucusque e Chron. — *Johannes de Thielrode* addit hic sequentia: Et comes Arnulphus portum ibi statuit, locumque ecclesiae sancti Petri in Blandinio assignavit. Taceo de silva *Merehold*, quam sibi portariam fecit; taceo de *Loe*, de *Jucte*, de *Thesseldonk*, de *Thorenselc*, de *Sprinchendunc*, quas villas castello adjecit, hominesque vectigales fecit. Capta urbe, et abbatia sancti

Bavonis, suis tutoribus desolata, abbates tam ex suis quam ab extraneis hominibus tribulationes et angustias et id genus miseriarum saepe diuque perpessi sunt.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Analo*, id est *Auluf*, vel *Onlaf*, rex Northumbriae: de quo vide *Chron. Simeon. Dunelmensis*, pag. 154-28, et *Brompton*, loco cit. pag. 357-42.

vit. Sanctus Gerardus, abbas Gandensis, receptus in Blandinio ab Arnulpho comite, abbas ordinatur, et canonicos ejiciens, monachos introduxit, indictione prima, rege Ludovico regnante anno sexto.

Anno DCCCCXLII, Romanae ecclesiae praesidet CXXXII<sup>us</sup> Marinus, natione Romanus<sup>1</sup>. Ad hunc sanctus Udalricus Romam veniens, ab eo agnovit se futurum episcopum Augustae Windelicorum, quod post annos quindecim factum est. Gislebertus et Everardus<sup>2</sup>, cum Henrico fratre imperatoris, juxta Rhenum contra imperatorem bellum parantes, milites imperatoris offendunt, et multi, cum paucis congressione facta (interim imperatore in alio Rheni littore ante clavos Domini lanceae suae infixos in oratione prostrato), victi terga dederunt, Henrico in brachio insanabiliter vulnerato. Orta dissensione inter principes de varietate legis, utrum deberent, avis superstitibus, filii filiorum post patres defunctos hereditare, an, exheredatis fratruelibus, deberet hereditas ad patruos redire, ex regis Ottonis omniumque principum sententia, cognitio veritatis commissa est gladiatorio judicio, cessitque victoria iis, qui censebant fratrum filios cum patribus hereditare.

Anno DCCCCXLIII, rex Otto<sup>5</sup> obsedit Brisagum, oppidum Alsaciae, quod Ludovicus, rex Francorum, per milites Everardi et Gisleberti tenebat. In qua obsidione, suasu Frederici, Moguntini episcopi, qui animo jam ab imperatore defecerat, multi ab imperatore defecerunt, eaque re aliis territis, solus rex interritus manet. Interim fideles imperatoris, Udo videlicet et Conradus, frater Hermanni Suevorum ducis, Everardum et Gislebertum, praedando regno secure intentos, juxta Rhenum inopinately aggressi acerrime debellant. Everardo gladiis perempto, Gisleberto autem Rheni undis submerso, caeterorum vix aliquis fugit, qui non aut trucidaretur aut caperetur. Hoc nuntio infideles regis corde franguntur, et Ludovicus ab Alsatia discedit, et rex et fideles ejus cum ipso gratulantur. Uxorem Gisleberti Gerbergam, sororem scilicet Ottonis imperatoris, Ludovicus rex Francorum duxit uxorem. Unam vero filiarum ejusdem Gisleberti imperator dedit Bertaldo, duci Bajoariorum: aliam, Ogivam nomine, Balduino comiti Flandriae dedit; ex qua genitus est Balduinus Pulchra Barba. Mortuo Gisleberto, successit ei in ducatu Otto filius ejus, uno anno. — Ademarus, Cluniacensis abbas, substituit sibi abbatem Majolum<sup>4</sup>. — Eodem

<sup>1</sup> SIGISB. GENB.: CXXXII<sup>us</sup>.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> SIGISB. GENB.

<sup>4</sup> *Idem.*

anno, Wilhelmus, dux Normannorum, filius Rollonis, XVI kal. Januarii, ab Arnulphi, comitis Flandriae, militibus occiditur.

Anno DCCCCXLIV, adventus corporum sanctorum Wandregisili, Ansberti et Wulfranni in Blandiniensi monasterio<sup>1</sup>, procurante sancto Gerardo abbate, et patrocinate Arnulpho, comite Flandriae. Otto, dux Lothariensis, obiit<sup>2</sup>. Conradus, gener regis Ottonis, succedit, quem tenuit tredecim annis. Stephanus et Constantinus imperatores, filii Romani imperatoris, aegre ferentes se, iusta patris sui severitate, a juvenili levitate coerceri, dispositis in palatio insidiis, ignorante altero Constantino, Leonis imperatoris filio, patrem de palatii solio deponunt, et tonso ei, ut moris est, capite, ad vicinam insulam, in qua coenobitae philosophabantur, transmittunt. Sol horribilem eclipsim passus est, feria sexta, hora diei tertia. Quo die, in Hispania *Addaram*, rex Saracenorum, a Radamiro, christianissimo rege Galiciae, in bello superatus est. In Italia cometa mirae magnitudinis apparuit, portendens famem, quae secuta est. Rex Otto corpus Innocentii martyris in urbem *Magdenburch* transfert.

Anno DCCCCXLV, sanctus Gerardus abbas ordinatur in monasterio sancti Bertini, Arnulpho, comite Flandriae, qui pro abbate se gesserat, resignante<sup>3</sup>. Otto imperator<sup>4</sup> totam Lotharingiam sibi subjugavit, resistente sibi solo Metensium episcopo, Adelberone, fratre ducis Frederici. — Stephanus et Constantinus videntes post patris sui depulsionem Constantinum, filium Leonis imperatoris, ab omnibus sibi praeferri et se jam vix in secundis haberi, cum deliberarent hoc, quod de patre fecerant, etiam de Constantino facere, publicato eorum consilio per diabolinum incentorem hujus consilii, cum ad convivium ex condicto consedissent, et de prioratu sedendi inter se consulto decertarent, dato signo, a viris Constantini ambo fratres solio deturbantur, et tonsis capitibus ad idem monasterium, ad quod patrem transmiserant, et ipsi ad philosophandum cum monachis transmittuntur. Ita evacuato palatio abusivis imperatoribus, ipse Constantinus et Romanus, filius ejus ex filia Romani imperatoris, imperant annis XVII. Otto Burgundiam sibi subjugat<sup>5</sup>. Regi Francorum, Ludovico, Hugo comes Parisiensis nimis adversatur<sup>6</sup>. Richarius, episcopus Leodiensis, obiit. Cui Hugo successit.

Anno DCCCCXLVI, coenobium Gandense cum congregatione fratrum a

<sup>1</sup> Sic in *Cod. Lipsiensi Sigisberti*.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Chron. sancti Bertini*, pag. 551.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Chron. sancti Bertini*, pag. 552.

<sup>6</sup> *Idem*, pag. 555.

sancto Gerardo abbate reaedificatur et in melius exaltatur<sup>1</sup>. Romanæ ecclesiae Agapitus praesidet<sup>2</sup>. Henricus, frater imperatoris, in urbe *Meresbuch* a fratre obsessus, projectis armis, ad pedes ejus procidens et misericordiam implorans, in custodia includitur. Fredericus etiam, archiepiscopus Moguntia, a civibus excluditur. Otto imperator multos contra se rebellare molientes aut capit aut occidit. Mortuo Bertaldo, duce Bajoariorum, Otto dat fratri suo Henrico ducatum Bavariae, et sic eum reprimat a rebellione.

Anno DCCCCXLVII, Transmarus<sup>3</sup>, Noviomensis episcopus, ad rogatum Arnulphi, comitis Flandriae, ecclesiam sancti Petri in castro Gandae super Scaldim et Legiam sitam, quae dicitur coenobium Gandae, privilegiavit et liberam fecit. — Hugo, Leodiensis episcopus, obiit. Sarabertus successit. — Hugo, rex Italiae, videns Berengarium ab Italiensibus, se deserto, recipi, Lotharium filium suum, ut saltem Berengario conregnet, Italiensium fidei commendat; ipse vero Arelatum, unde venerat, repetit. Lotharius ergo solo nomine in Italia regnat, Berengarius vero actu et potentia<sup>4</sup>.

Edmundus, rex Angliae<sup>5</sup>, cum festum beati Augustini, Cantuariensis episcopi, ageret, et in convivio latronem quemdam, quem ante sex annos patria eliminaverat, inter convivas sedere vidisset, caeteris in vina spumantibus, rex latronis accepit capillos et ad terram eum projecit. Latro cultrum evaginans in pectus regis suprajacentis infixit, ex quo vulnere mortuus est. Cui successit in regnum Edredus, frater ejus, tertius filius Edvardi, regnavitque novem annis.

Anno DCCCCXLVIII, rege Hugone mortuo<sup>6</sup>, Lotharius, filius ejus, in Italia solo nomine regnat. Berengarius, actu et potestate rex, et cunctis acceptus, per Italiam tyrannizat. Henricus, dux Bajoariae, frater Ottonis imperatoris, Aquileiam in Italia capit, Hungaros bis superat, Tycinum transit et cum multis navibus redit.

Ludovicus rex Francorum, a ducibus suis circumventus, a Normannis capitur, et consilio Hugonis, comitis Parisiensis, Lugdunum missus custodiae publicae traditur. Karolus vero, major filius ejus, a Normannis abductus, Rothomagi moritur<sup>7</sup>.

<sup>1</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 444.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 444.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Chron. Johannis Brompton*, inter Historiae

Anglicanae script. Londini, 1652 ed., pag. 858.

— Cfr. etiam *Chronicon Wilh. Thorn*, ibidem, pag. 1779-22.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> *Idem*.

Anno DCCCCXLIX, Transmaris, Noviomensis et Tornacensis episcopus, obiit. Rodolphus successit. Taxis<sup>1</sup>, rex Hungarorum, decem modios nummorum a Berengario pro reditu accepit. Otto imperator, audiens Ludovicum captum, pro ejus liberatione cum triginta duabus legionibus in Franciam venit. Quod Hugo audiens Ludovicum relaxavit. Nihilominus imperator Lugdunum cepit, Hugonem intra Parisius conclusit, civitatem Remensem accepit, Hugonis nepote, qui archiepiscopatum usurpaverat, expulso, legitimum archiepiscopum restituit. Deinde usque Rothomagum accedens, urbibus et castellis, quas Hugo occupaverat receptis, Ludovico reddidit, et sic in Saxoniam recessit<sup>2</sup>. Rex Anglorum Edredus Northanhumbros sibi rebellantes subdit, eorum provinciam igne ferroque devastans<sup>3</sup>.

Anno DCCCCL, per loca<sup>4</sup> Germaniae et Galliae terrae motus magni facti sunt. Otto imperator in Bohemiam contra Bolislaum proficiscens eum sibi reconciliatum in subjectionem et fidelitatem accepit. Deinde secundam expeditionem in Franciam parat contra Hugonem. Cujus virtutem Hugo non ferens ei juxta fluvium Charum occurrit, et pacto pacis secundum nutum imperatoris facto, manus ei dedit<sup>5</sup>.

Iste est decimus nonus jubileus christianorum.

Anno DCCCCLI, Reinerus, praepositus Troncinensis, obiit. Cui successit Albertus, qui et Ascelinus, Parisiorum episcopus.

Moguntia<sup>6</sup> ab Ottone imperatore obsessa est. Fredericus archiepiscopus captus et in custodiam trusus, non multo post in gratiam imperatoris receptus, relaxatus est. Otto imperator Liudolphum, filium suum ex Ethilda Eduardi regis Anglorum quondam filia, post se regem designat Alemanniae. Balduinus<sup>7</sup> Juvenis, filius Arnulphi Vetuli comitis Flandriae, Mathildem, filiam Hermanni ducis Saxonum, duxit uxorem, ex qua genuit Arnulphum Juniorem.

Anno DCCCCLII, Liudolphus<sup>8</sup>, filius Ottonis imperatoris, instinctu Conradi ducis Lotharingiae, contra patrem rebellat et *Remersburch* capit, et multas alias urbes et principes a patre ad se avertit. Contra quem pater motus intra Moguntiam cum exercitu inclusum obsedit.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> Cfr. ROGER. DE HOVEDEN, *Annalium Pars prior*, ed. Wechelius, 1601., pag. 423.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem.*

<sup>7</sup> *Geneal. Comit. Flandriae.*

<sup>8</sup> SIGISB. GEMB.

Anno DCCCCLIII, sanctus Gerardus, abbas Gandensis, resignavit<sup>1</sup>, et per Arnulphum, comitem Flandriae, et Rodulphum, Noviomensem episcopum, Hugonem Gandensis coenobii abbatem sibi substituit. Bellum<sup>2</sup> gestum est inter Conradum, ducem Lothariensium, et Raginerum, comitem Hannoniensium. Mortuo Wicfrido, Coloniensem episcopatum tenuit Bruno frater imperatoris.

## HUGO XXI ABBAS.

Vicesimus primus igitur abbas Gandensis coenobii, Hugo, praefuit annis circiter duodecim. Eodem anno, Womarus ordinatur abbas a Folberto, episcopo Cameracensi, in Cameracò, in monasterio sancti Petri Blandiniensis, et rexit annis viginti octo. Sarabertus, episcopus Leodiensis, obiit. Cui Ratherius successit, per Brunonem Coloniensem institutus. Rodolphus, Noviomensis et Tornacensis episcopus, obiit. Cui successit Fulcherus, spurius filius principis coquorum regis Franciae; praefuit mensibus octodecim. Qui a pediculis glomeratim de corpore ejus ebullientibus suffocatus mortuus est.

Anno DCCCCLIV, Otto imperator<sup>3</sup> secundam duxit uxorem relictam Ludovici olim Italiae regis, filii Bosonis, et per eam, urbem Papiensem accepit.

Anno DCCCCLV, Liudolpho<sup>4</sup>, filio imperatoris Ottonis, ad gratiam patris reducto, Conradus, dux Lotharingiae, Dei et imperatoris transfuga, ad Hungaros fidei christianae inimicos se conferens, eos in Lotharingiam usque ad Carbonariam silvam perduxit, et virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa, ultra prodire prohibiti impune redeunt<sup>5</sup>. — Ludovico Francorum rege mortuo, Lotharius, filius ejus ex Gerberga sorore imperatoris, regnavit annis XXXI.

Berengarius rex Italiae in Germania ad Ottonem imperatorem venit, seque illi et filium suum committit. Bajoarii prospere contra Slavos pugnant.

Anno DCCCCLVI, Ratherio, Leodiensi episcopo, ab episcopatu juste dejecto, Baldricus successit, annuente avunculo suo Raingero, comite Montensi. — Lapis<sup>6</sup> mirae magnitudinis, in Italia tonitru et tempestate turbulenta de coelo jactus, ingens miraculum videntibus praebuit. Tempa plerisque in locis valida tempestate concussa sunt, utriusque ordinis sacerdotes ictu fulminis interie-

<sup>1</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 444.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 16.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 16.

<sup>5</sup> *Annales Tornac.*, pag. 1455.

<sup>6</sup> *Idem.*

runt, et plura horrenda dictu portenta monstrata sunt. Frederico, Moguntiae archiepiscopo mortuo, Wilhelmus filius Ottonis imperatoris substituitur <sup>1</sup>.

Rex Anglorum Edredus moritur. Cui successit Edwinus, filius Edmundi superioris regis, juvenis petulans, qui regnavit quatuor annis <sup>2</sup>.

Anno DCCCCLVII, Columbanus <sup>3</sup>, abbas Hibernensis, vir sanctissimus inclusit se in cimiterio Gandensis coenobii quarto nonas Februarii, sanctamque ibidem ducens vitam. Liudolphus <sup>4</sup>, filius Ottonis imperatoris, in Italia moritur.

— Hungaris iterum regnum Ottonis imperatoris ductu Conradi ducis depopulantibus, imperator eos bello exceptit. Quo bello in tantum sunt Hungari victi et attenuati, ut nullus aut rarus eorum evaderet. Tres autem reguli Hungarorum in bello capti suspendio perierunt. Bruno frater Ottonis, archiepiscopus Coloniensis, ducatum Lothariensium post Conradum adeptus, coenobium sancti Pantaleonis Coloniae construxit. Henricus, dux Bajoariae, frater regis Ottonis, moritur.

Anno Domini DCCCCLVIII, Baldricus, Leodiensis episcopus, obiit, Evrardus successit. Wiemannus, a facie Ottonis imperatoris fugiens, trans Albiam Sclavos in regnum imperatoris conduxit, quos imperator fortiter debellavit, occiso regulo eorum cum multis, et septingentis captivis capite caesis. Bruno <sup>5</sup>, archiepiscopus et dux Lotharingiae, plures Normannorum cum principibus eorum baptizari fecit. — Athela comitissa, uxor Arnulphi marchisi, obiit, et Blandinio in capella beatae Mariae sepelitur.

Anno DCCCCLIX, sanctus Gerardus, Broniensis coenobii <sup>6</sup> fundator, quondam abbas Gandensis coenobii, migravit ad Dominum.

Eodem anno <sup>7</sup>, Columbanus, abbas Hiberniensis, vir sanctissimus et Gandensi ecclesiae sancti Bavonis inclusus, XV kal. Martii, obiit, et in crypta beatae Mariae ante altare beati Andreae parum remotius sub arcu lapideo sepultus requiescit. Epitaphium ejus est :

Iste Columbanus, qui sub primo jure columbae

Nomine censetur, nam sine felle fuit.

Hoc patre fulgebat concordia, Ganda resultat

Laudibus ipsius, quae prece digna fuit.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> BROMPTON, pag. 862-60; ROGER DE HOVEDEN, pag. 425.

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 444.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Idem* — AEG. DE ROYA, pag. 16.

<sup>6</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 444.

<sup>7</sup> *Ibidem*, pag. 444.



Inclusus mundum seclisit : gaudia, pompam  
 Mundi despexit, plenus amore Dei.  
 Hunc mundo Martis ter' quinis usa kalendis  
 Abstulit alma dies inseruitque polo.

Romanae ecclesiae CXXXIV<sup>us</sup> praesidet Johannes XII<sup>1</sup> annis quatuor. Bruno, archiepiscopus et archidux Lotharingiae, Raginerum, Montensem comitem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valencenas evocatum cepit, et irrevocabili exilio damnavit, pro eo quod regnum bellis inquietabat. Filii ejus Raginerus et Lambertus ad Lotharium, regem Francorum, confugerunt. — Cruces sanguineae super vestes hominum apparuerunt. Wicfridus, Morinensis episcopus, obiit. David successit.

Anno DCCCCLX, per industriam Ottonis imperatoris meliorato imperii et ecclesiae statu, multa monasteria aut restaurantur aut ampliantur aut aedificantur. Evrardus, episcopus Leodiensis, duo in urbe monasteria construxit ad titulum sancti Pauli apostoli et ad titulum sancti Martini episcopi<sup>2</sup>. — Edwinus<sup>3</sup>, rex Anglorum, moritur. Cui succedit Egarus, frater ejus, juvenis annorum undecim. Quo nascente, Dunstannus, abbas Glasconiensis, vocem angelicam audisse fertur dicentem : « Pax Angliae, quamdiu puer iste regnaverit et Dunstannus vixerit ! » Qui regnavit octodecim annis. Prima capella in oppido de *Roedenborch* dedicatur<sup>4</sup> in honore sancti Bavonis, egregii confessoris.

Anno DCCCCLXI, Romanus, Constantinopolitanus<sup>5</sup> imperator, cum audisset Persarum regem omnem Mesopotamiam occupasse, et maxima manu armorum bellum adversus Syriam et Asiam dirigentem, ivit obviam illi, et captus vivus regi Persarum praesentatus, quoties bibeat sub altero pede regis Persarum guttur habebat. Tandem liberatus ad suos rediens oculis privatus interiit, et Nychephorus in imperio successit annis decem. Otto imperator, Gallia atque Germania pacata, intendens etiam Italiam pacare, praesertim ad hoc eum vocantibus Johanne papa caeterisque Italiae episcopis, ut eos liberaret de manibus tyrannorum Berengarii atque Adalberti, filium suum Ottonem, puerum septennem, Aquisgrani die Penthecostes in regem inungi

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 16. —  
 MART. POL. : annis octo, mensibus decem, diebus  
 quinque.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> Cfr. ROGER DE HOVEDEN, pag. 425-426.

<sup>4</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 445.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

fecit, eoque commendato archiepiscopis fratri Brunoni et filio Wilhelmo, ad Italiam tendit.

Anno DCCCCLXII, Wigmannus comes sancto Bavoni villam Thessala, quae nunc dicitur *Desselberghe* cum silva, aqua et omnibus appenditiis diripuit, et in Blandinio sancto Petro tradidit pro anima uxoris suae Lietgardis, filiae Arnulphi comitis Flandriae, sepultae Blandinii in capella beatae Mariae<sup>1</sup>. Sanctus Wichbertus, fundator Gemblacensis coenobii, apud Gorziam, ubi Deo militabat propter amorem ferventis ibi sanctae religionis, in Christo dormivit. Corpus ejus relatum est ad coenobium Gemblacense. Arnulphus<sup>2</sup>, comes Flandriae, nimio gravatus senio, Balduino juveni filio suo resignat comitatum; sed ipse ante patrem ex variolae morbo mortuus est. Hugo, comes Parisiensis, sub Lothario dux efficitur.

Anno DCCCCLXIII, Otto<sup>3</sup> imperator, Italia pugnata, et tyrannis Italiae majestate nominis sui ita exterritis, ut in locis natura munitis latitent aut Sarracenorum patrocinia quaerent, Romae a Johanne papa in imperatorem benedicatur: tyranni a Johanne papa et a Romanis abjurantur. Eo reparante, Adelbertus a papa Johanne a Fraxineto Romam revocatur, sed imperatore redeunte refugiunt. Congregatur concilium; accusatur Johannes papa, deponitur. Leo adhuc laicus papa efficitur; sed imperatore in Lombardiam secedente, Johannes a Romanis revocatur, et Leo deponitur. Otto iis auditis Romam redit, sed Romani, a Johanne papa pecunia illecti, imperatorem occidere nituntur. Qui defensus ab exercitu plures Romanos occidit. Leo relocatur, sed imperatore abscedente, cum Leo insidias sibi parari videret, ad imperatorem fugit. Interim papa Johannes, se cum uxore cujusdam oblectans, a diabolo percutitur et sine viatico moritur. Romani, contra juramentum imperatori factum, Benedictum in papam eligunt, qui sedit septem mensibus. Imperator hoc audiens Romam obsidet; Romanos caede et fame adeo afflixit, ut Leonem papam se recepturos promitterent. Benedictus ergo, ejectus non solum papatu, sed etiam sacerdotio, a Leone exordinatur et ab imperatore in Saxoniam ductus in exilio mortuus est.<sup>4</sup>

Anno DCCCCLXIV, Arnulphus<sup>5</sup> Magnus, comes Flandriae, restaurator Gan-

<sup>1</sup> *Chron. Johannis de Thielrode.*

<sup>2</sup> *Geneal. Comit. Flandriae* — AEG. DE ROYA, pag. 16.

<sup>3</sup> SIGSB. GEMB.

<sup>4</sup> Haec verbis omnino diversis refert MARR. POL.

<sup>5</sup> *Geneal. Comit. Fland.* — AEG. DE ROYA, pag. 16.

densis coenobii et Blandiniensis, obiit, et in Blandinio in capella sanctae Mariae sepelitur, postquam Flandrensibus imperaverat annis XLVIII.

Alberone<sup>1</sup>, Metensium episcopo, mortuo, Deodericus, consobrinus Ottonis imperatoris, episcopus subrogatur. Hic inspiciens primas litteras nominum omnium Metensium episcoporum, quas angelus Domini dicitur dedisse sancto Clementi, primo Metensium episcopo, et notans alias auro, alias argento, alias viliori metallo, pro meritorum qualitate esse annotatas, cum videret etiam litteram sui nominis argento esse pernotatam, dixisse fertur se in episcopatu tanta bona facturum, ut ipsa sui nominis littera merito deberet auro annotari. Cujus bonae intentionis initium ostendit in coenobio sancti Vincentii, levitae et martyris, fundato in ipsius urbis insula.

WOMARUS XXII ABBAS.

Anno DCCCCLXV, Hugo, abbas Gandensis coenobii, resignavit<sup>2</sup>, et eodem anno obiit, IX kal. Julii. Cui successit venerabilis Womarus. Vicesimus secundus abbas Gandensis coenobii factus, Womarus anno aetatis suae XLIV praefuit in regimine annis octodecim, sive circiter. Otto<sup>3</sup> imperator Penthecosten Aquisgrani celebravit, concurrentibus ibi a Francia sororibus suis, regina scilicet Francorum, Gerberga matre Lotharii regis et Karoli ducis, et Hadvide, uxore Hugonis Parisiorum comitis, quorum filius fuit Hugo, qui post regnavit in Francia. Otto Italiam repetit. Bruno, dux et archiepiscopus, in Franciam pergens ad pacificandos nepotes suos, Lotharium regem et filios Hugonis, ubi Compendium venit, febre correptus Remis redit. Ibi quidquid habuit in re mancipi per testamentum ecclesiis legans mortuus est. Corpus ejus a Theodorico, Metensi episcopo, Coloniam refertur. Cui in ducatu Lotharingiae successit Fredericus, filius Gisleberti, olim ducis, duodecim annis.

Anno DCCCCLXVI, Wilhelmus<sup>4</sup>, filius Ottonis imperatoris, archiepiscopus Moguntiae, moritur. Hoc tempore<sup>5</sup>, Danis, qui Christum Jesum et idola simul colebant, cum Poppone clerico in convivio altercantibus super cultura Dei et idolorum, Danis asserentibus, Jesum Christum quidem esse Deum, deos vero majores et antiquiores illo esse, Poppone contra affirmante, Jesum Chris-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 448.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> EX MART. POL. pontif. Leone VIII.

tum solum verum Deum esse, unum in substantia, trinum in personis. Rex Danorum Araldus condixit clerico, ut fidem propositam probaret testimonio veritatis; quod annuente clerico, ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus ejus ferendum imponitur. Quod cum clericus ad placitum<sup>1</sup> omnium tulisset absque ulla laesione, rex penitus abjecta idololatria se suosque ad colendum solum verum Deum convertit. Clericus vero ad episcopatum promotus est.

Otto imperator, anno regni sui XV, imperii nono, precibus abbatis Womari et monachorum<sup>2</sup>, cambivit eis villam de *Holthem* et *Felthem* cum appenditiis pro *Nortrewic* et *Ydenghem* erga quemdam militem, cujus *Holtem* et *Felthem* primo fuit.

Anno DCCCCXVII, Lotharius rex Francorum, cujus mater Gerberga, uxor ejus Emma, contulit<sup>3</sup> privilegia ecclesiae sancti Bavonis et confirmationes multorum bonorum, data regnante Lothario, anno XII, tertio nonis Maii.

Johannes XIV Romanae ecclesiae praesidet annis septem<sup>4</sup>.

Wigmannus<sup>5</sup>, diu contra imperatorem Ottonem rebellis, a Misacha, Slavorum regulo, imperatoris amico et milite, perimitur. Hoc tempore, Bulgaribus dominantur filii Symeonis, Petrus et Bajanus, quorum Bajanus in arte magica adeo valebat, ut, quoties vellet lupus vel quaelibet fera fieri, videretur. Hoc anno, Lotharius rex Francorum graviter Flandriam vexat.

Anno DCCCCLXVIII, Otto minor<sup>6</sup>, a patre evocatus Romam, a Johanne papa in imperatorem benedicitur. Otto imperator Beneventanos duces potentia sua ad subjectionem sui inflexit. Otto imperator in Saxonia primus venas auri et argenti aperuit sua industria.

Anno DCCCCLXIX, quidam comes<sup>7</sup> Ottonis imperatoris, Romae ante oculos omnium a diabolo arreptus, ita ut se ipsum dentibus decerperet, jussu imperatoris ad Johannem papam adductus, ut catena sancti Petri collo ejus circumdaretur, dum a fallacibus clericis semel et bis alia catena furenti adhiberetur, nec quidquam remedii provenit, ubi nihil erat virtutis, tandem vera sancti Petri catena allata, diabolus multum spumans et clamans abscessit. Quam catenam Theodoricus, Metensis episcopus, arreptam cum diceret

<sup>1</sup> MART. POL. ad palatium.

<sup>2</sup> Ex *Chron. Johannis de Thielrode*, pag. 21.  
Diploma non exstat in Arch. Gand.

<sup>3</sup> Ex *Chron. Johannis de Thielrode*, pag. 20,  
Diploma hujus confirmationis accuratissime edi-

tum est in *Chartulario sancti Bavonis*, pag. 6-8.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POL. mensibus octo.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem.*

<sup>7</sup> *Idem.*

se eam nisi manu abscissa non dimissurum, tandem imperator, sedato litigio, a papa Johanne obtinuit, ut annulum hujus catenae exsectum episcopus mereretur. Imperator Otto dum partem exercitus ad Graecos misisset, ut uxorem Ottoni filio suo acciperent, Graeci super eos irruunt, castra diripiunt, plures occidunt et Constantinopolim mittunt. Ad hoc dedecus vindicandum imperator Otto eminentiores ex suis in Calabriam mittit, qui Graecos aggressi plures occidunt, plures naribus truncatis dehonestant, et per Apuliam et Calabriam a Graecis tributum exigunt. Constantinopolitani, audientes a suis male pugnatum esse in Calabria, contra imperatorem suum Nicephorum insurgunt.

Anno DCCCCLXX, Theodoricus<sup>1</sup>, Metensis episcopus, imperatori sanguine dilectione familiaritateque conjunctior, dum in Italica expeditione sub eo militaret, multa corpora et pignora sanctorum de diversis Italiae locis collegit, primum a Marsia sanctum Elpidium confessorem, cujus socium Euticium imperator jam abstulerat, ab Amiternis Euticetem martyrem, cum reliquiis Maronis et Victorini sociorum ejus, a Fulginis Felicianum, episcopum et martyrem, a Perusio Asclepiotatum martyrem, a Spoletó Serenam martyrem, cum Gregorio Spoletano martyre, a Corduno pignora Vincentii martyris et levitae, ab Hispania olim a duobus monachis Capuam, a Capua vero illuc deportata, a Mevania alterum Vincentium, episcopum et martyrem, a Vincenia Leontium episcopum et martyrem, a Florentia Miniatem martyrem, ab urbe Tudertina Fortunatum, episcopum et confessorem, a Corsinio Luciam, Syracusanam virginem et martyrem, a Farvaldo, duce Spoletinorum, olim a Syracusis illuc translata, a Sabinis partes corporum Parthi et Jacinti martyrum. Haec omnia, cum parte catenae sancti Petri, cum aliis multis sanctorum pignoribus, praesul Theodoricus in Galliam hoc anno transtulit, et in ecclesia sancti Vincentii martyris, a se in insula urbis constructa, locavit.

Anno DCCCCLXXI, Evrardus, Leodiensis episcopus, migravit. Rotgerus successit. — Apud Constantinopolim<sup>2</sup> Nicephorus imperator timens a filiis suis imperio expelli, quia senex erat, volebat eos eunuchizare. Quorum mater regina, quia nullo alio modo poterat eos liberare, suasit Johanni Nicephorum occidere et imperare. Johannes itaque occulte cum funibus intravit palatium, et occiso Nicephoro imperavit. — Hugo<sup>3</sup> Magnus, comes Parisiensis

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem.*

et dux Francorum, moritur, et filius ejus Hugo *Capet*, dux Francorum sub Lothario efficitur.

Anno DCCCCLXXII, monasterium in *Gladbach* ordinis Benedicti fundatur a Gerone, Coloniensi archiepiscopo. Otto imperator Romae Ottoni coimperatoris suo neptem Johannis, Constantinopolitani imperatoris, Theophaniam nomine, a Johanne papa coronatam, legitimo matrimonio sociavit<sup>1</sup>.

Anno DCCCCLXXIII, Wencezlaus<sup>2</sup>, princeps Bohemiae, a fratre suo Bolislao martyrizatur. — Sanctus Udefridus, Augustensis episcopus, anno aetatis suae LXXXIII migravit. Otto imperator obiit<sup>3</sup>, cujus vitam Winthicundus monachus descripsit, qui etiam historiam Saxonum usque ad hunc annum conscripsit. Raginerus et Lambertus, filii Ragineri, comitis Montensis, a Francia revertentes, contra Garnerum et Rainaldum, qui comitatum patris occupabant, bello apud Peronam pugnant, eosque cum multis perimunt, et super Hagnam fluvium, castello Buxidè munito, Lotharingiam infestant<sup>4</sup>, sicque Raginerus cum Lamberto fratre Hannoniam obtinet octodecim annis. Balduinus, filius Rodulphi comitis, cognomento Balzo, obiit.

Anno DCCCCLXXIV, David, episcopus Morinensis, obiit. Framericus successit. Balduinus, cognomento Pulchra-Barba, filius Arnulphi comitis Flandriae, uxorem duxit Ogivam, sororem Frederici ducis Brabantiae, filiam Gisleberti olim ducis, de qua genuit Balduinum Pium<sup>5</sup>. Ratherius, de quo est hoc monasticum :

Veronae praesul, sed ter Ratherius exul<sup>6</sup>,

apud Lobias moritur.

Contra Ottonem imperatorem rebellat patruelis ejus, Henricus, dux Bajoariorum. Otto imperator castellum Buxidis obsidet, captum diruit, captos in exilio mittit; nec tamen Raginerus a rebellionem desistit.

Anno DCCCCLXXV, ecclesia monasterii sancti Petri Blandiniensis ab Alberone, Remensi archiepiscopo, dedicatur<sup>7</sup>. Gelu magnum a kalendis Novembris usque ad aequinoctium vernale. Otto imperator Henricum ducem sibi subjugat.

Anno DCCCCLXXVI, Otto imperator contra Slavos proficiscitur<sup>8</sup>. Raginerus<sup>9</sup>

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> Hucusque SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Geneal. Comit. Flandriae.* — AEG. DE ROYA,

pag. 17.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> *Idem.*

<sup>8</sup> *Idem.*

<sup>9</sup> AEG. DE ROYA, pag. 17.

et Lambertus, fratres comitis Hannoniae, auxilio Karoli fratris Lotharii, regis Francorum, Arduennae comitem Godefridum bello lacesunt, et Arnulphum, comitem Flandriae, qui comitatum Montensem invaserat, multisque utrinque in conflictu fuis, obsidio remota est, nam Castrilocom obsidebant. Victoria diu anceps fuit, cessit tamen palma Godefrido et Arnulpho<sup>1</sup>. Tandem pace facta Godefridus Ardennensis accepit uxorem Mathildem, relictam Balduini comitis Flandriae, quae ei postea peperit tres filios, Gozelonem ducem, Godefridum et Hezzelonem<sup>2</sup>.

Anno DCCCCLXXVII, gens Leuticiorum ad idololatriam revolvitur. Ducatus<sup>3</sup> Lothariensis datur Karolo, fratri Lotharii regis Francorum. Raginerus, comes Hannoniae et Montensis, Habbidam, filiam Hugonis *Capet*, accepit uxorem; Lambertus vero frater ejus Gerbergam, filiam Karoli ducis. Et sic in terra patrum suorum auxilio Francorum revocati sunt.

Anno DCCCCLXXVIII, pacato regno, cum Otto<sup>4</sup> imperator Aquisgrani moraretur, Lotharius rex Francorum subito ad invadendam Lotharingiam contendit, et cedente imperatore, quia ad pugnam imparatus erat, rex post multam vastationem repatriavit. Quem cum inaestimabili exercitu imperator persecutus, kalendis Octobris Franciam intravit, quam usque kalendas Decembris pervagatus, fines Remensium, Laudunensium, Suessionum et Parisiensium diversa clade vastavit, ecclesiis tamen Dei omni immunitate concessa, in redeundo tamen circa Axonam fluvium partem impedimentorum amisit. Igneae acies visae sunt in coelo per totam noctem, quinto kalendas<sup>5</sup> Novembris.

Etgarus rex Angliae moritur. Succedit ei Eduardus secundus, filius ejus ex Elfrida, quam, abrepto velo suo, lecto copulaverat.

Anno<sup>6</sup> DCCCCLXXIX, Romanae ecclesiae praesidet Bonifacius septimus. Hunc Romani, suffocato Benedicto, papam fecerunt. Qui post nolens<sup>7</sup> in urbe subsistere, depraedata ecclesia sancti Petri omnibus pretiosis, fugit in Constantinopolim. Tandem Romam veniens cum magna pecunia, cum proficere non posset, Johanni diacono cardinali oculos eruit, ipse deinde subito extinctus fuit. Sigebertus scribit<sup>8</sup>, quod hoc anno complentur mille anni a nativitate Christi, qui secundum cyclum Dionysii, anno abhinc vicesimo primo, finiuntur.

<sup>1</sup> AEG. DE ROYA, pag. 17.

<sup>2</sup> *Geneal. Comit. Flandriae.* AEG. DE ROYA, ib.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, ib.

<sup>4</sup> *Idem.*

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB., anno 979.

<sup>6</sup> EX MART. POL.

<sup>7</sup> *Idem*, non valens.

<sup>8</sup> SIGISB. GEMB., anno 979.

Anno DCCCCLXXX, corpora sanctorum Landoaldi<sup>1</sup>, praesulis et in ecclesia Romana archipresbyteri et cardinalis, Amantii archidiaconi sui, Adriani martyris, ad regem Hildericum sui internuntii, Vincianae virginis, ejusdem sancti Landoaldi sororis, et Landradae, virginis inclytæ Belisiensis abbatissae, de *Winterhove*, Hasbaniae vico, ad Gandensis castri coenobium cum multa miraculorum gloria sunt delata.

Otto<sup>2</sup> imperator et Lotharius, rex Francorum, convenientes super Karum fluvium pacificantur, datis invicem sacramentis, et rex Lotharius Lotharingiam abjurat. Otto imperator Italiam petit.

Anno DCCCCLXXXI<sup>3</sup>, Stephanus Romanae ecclesiae praesidet. Otto imperator Apuliam et Calabriam, Italiae provincias ad jus regni Graecorum appendentes, transferre ad imperium Romanorum conatur, maxime propter affinitatem, quam per uxorem suam Theophaniam cum imperatore Graecorum habebat<sup>4</sup>. Hugus, Theophaniae frater, fuit beatus Gregorius, qui fundavit monasterium de Porceto juxta Aquisgranum, ubi et sepultus est.

## WIDO XXIII ABBAS.

Anno DCCCCLXXXII, elevatio sancti Landoaldi sociorumque ejus, a Liudulpho, Noviomensi episcopo, in coenobio Gandensi coram infinita populi multitudine solemniter celebrata est, idibus Julii, domino Womaro abbate, qui hanc sanctorum elevationem fieri diligentissime procurabat, ibidem tunc praesente similiter et Arnulpho Juniore, marchiso Flandriae. Qui Womarus, abbas Gandensis coenobii necnon et Blandiniensis, obiit sexto kal. Septembris. Cui Wido levita successit, qui eodem anno sponte resignavit, et Odwinus abbas ordinatur<sup>5</sup>. Graeci infensi, quod imperator Otto<sup>6</sup> provincias Graecorum invaderet, conducto sibi Sarracenorum auxilio, imperatori bello congregiuntur, in quo bello omnes Romanorum copiae usque ad interneccionem pene deletae sunt. Imperator<sup>7</sup> natando evadere nitens a nautis ignorantibus eum capitur et a quodam eorum, qui negotiator Slavorum erat, agnitus nec

<sup>1</sup> *Annal. sancti Bavonis*, supra., pag. 445.  
THIELRODE, pag. 80, ubi legendum 980 pro 880.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> Nullus circa hunc annum reperitur papa nomine Stephanus in MART. POL.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Chron. Johannis de Thielrode*, pag. 20.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> Haec narrat MART. POLON. verbis omnino diversis.



proditus. Per illum ré delata ad imperatricem et Theodoricum, Metensium episcopum, qui in civitate *Rhosan* rei eventum praestolabantur, difficulter per Slavum et episcopum liberatur. Nautis quippe ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus, imperator ascenso equo vix evasit. Omnibus pro infortunio reipublicae animo consternatis, sola imperatrix feminea et graeca levitate insultabat eis, quod ab exercitu suae nationis victi essent Romani, ac per hoc coepit primatibus exosa haberi<sup>1</sup>.

Sanctus Edwardus, rex Angliae, sic transfossus obiit, pluraque miracula secuta sunt. Cui successit frater ejus Egelredus, filius Etgari et Elfredae<sup>2</sup>.

ODWINUS XXIV ABBAS.

Vicesimus quartus abbas Gandensis coenobii, postquam Wido XXIII abbas resignavit, Odwinus succedens praefuit circiter sedecim annis.

Anno DCCCCLXXXIII, Otto<sup>3</sup> secundus, imperator Romanorum, qui societatem fraternitatis fratrum Gandensis coenobii olim adeptus fuerat, et ob hoc plurima bona dicto monasterio, a malignis injuste direpta, gratanti animo restituerat, et super iis privilegia et confirmationes privilegiorum dicto coenobio concesserat, Romae<sup>4</sup> moritur, taedio et angore animi deficiens; et de imperatore substituendo inter primates dissentitur, aliis filio ipsius Ottoni imperium deberi certantibus, aliis odio imperatricis a filio ejus imperium transferre volentibus ad Henricum ducem, filium Henrici, qui fuit frater primi Ottonis. Hic Henricus ipsum Ottonem puerum factiose raptum in custodiam tenebat, sed principes puerum de manu Henrici extorquentes in regno sublimant, et regnavit annis viginti.

Anno DCCCCLXXXIV, corpus sancti Mederici abbatis Parisius levatum est. Lotharius<sup>5</sup>, rex Francorum, ad invadendam Lotharingiam rursus laborans, urbem Viridunum et Godefridum ipsius urbis episcopum capit. Theodoricus, Metensium episcopus, obiit. Cui Adelbero, vir sanctus et nobilis, filius Frederici ducis, successit.

Anno DCCCCLXXXV, reliquiae<sup>6</sup> sanctorum Pancratii et Barbarae cum

<sup>1</sup> Hucusque SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Chron. Simeon. Dunelm.* loc. cit. pag. 159.  
Ibidem, *Radulphi de Diceto*, pag. 459-60. Ibidem,  
*Roger de Hoveden*, pag. 427.

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 445.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Idem.*

<sup>6</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 445.  
— Johannes de THIELRODE, pag. 80, ubi legendum 985 pro 885.

plurimis sanctorum reliquiis de urbe Roma per venerabilem Eremboldum, tunc monachum sed postea abbatem, ad coenobium Gandense sunt delatae. Eodem anno, inchoatum est in majori excellentia majus aedificium ecclesiae et chori Gandensis coenobii, die kalendarum Aprilis, sub Odwino abbate.

Lotharius<sup>1</sup>, rex Francorum, videns Ottonem imperatorem virtute militum suorum proficere, urbem Viridunum et Godefridum comitem reddidit. Piratae Angliam infestant. Corpus sancti Yvonis, longo tempore incognitum, revelatur.

Anno DCCCCLXXXVI, Lotharius, rex Francorum, moritur. Cui successit Ludovicus filius ejus, anno uno.

Egelredus<sup>2</sup>, rex Anglorum, duxit uxorem Emmam, filiam Richardi ducis Normanniae, ex qua genuit Edwardum III, qui postea regnavit in Anglia.

Anno DCCCCLXXXVII, Ludovico Francorum rege mortuo<sup>5</sup>, Francis regnum transferre volentibus ad Karolum ducem, fratrem Lotharii regis, dum ille rem ad consilium defert, regnum Francorum usurpat Hugo, filius Hugonis Parisiensis ex Hadvide, sorore primi Ottonis imperatoris, et regnavit annis novem. Et sic in isto cessavit progenies Karoli Magni.

Anno DCCCCLXXXVIII, Arnulphus Junior, comes Flandriae nepos Magni Arnulphi, obiit et in Blandinio sepelitur. Cui successit Balduinus Barbatus filius ejus<sup>4</sup>. Sanctus Dunstannus, Cantuariensis episcopus, migravit. — Inundatio<sup>5</sup> aquarum frequens et ultra solitum ac diutinâ. Aestas postea ferventissima ac pluribus perniciosa, unde et fruges minoratae sunt. Karolus, dux Francorum, ex paterna et avita successione sibi debitum contra Hugonem regem suum nepotem repetit, eumque bello perurgens Laudunum urbem capit. Hugo rex Karolum in Lauduno obsidet, sed secundo obsidionis mense obsessi prosilientes castra obsidentium incenderunt, et ipse rex Hugo, plurimis suorum interemptis, turpiter fugiens vix evasit. — Balduinus Barbatus<sup>6</sup>, Flandriae comes, accepit uxorem Ogivam, filiam Gisleberti comitis de *Lucenborch*, ex qua genuit Balduinum. Theodoricus, secundus comes Hollandiae, moritur. Cui successit filius ejus Arnoldus.

Anno DCCCCLXXXIX, siccitas<sup>7</sup> magna vernalis, unde et satio primitiva

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Chron. Radulphi de Diceto*, loc. cit. pag. 461-50. Ibidem, *Brompton*, pag. 883-54. Ibidem, *Knyghton*, pag. 2513-38.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> *Geneal. Comit. Flandriae*.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Geneal. Comit. Flandriae*.

<sup>7</sup> SIGISB. GEMB.

impedita et fames magna secuta est. Annona de coelo in Hasbania pluisse fertur, similiter et pisciculi; nix nimia cecidit, imber postea continuus, qui autumnalem sationem omnino denegaret. — Karolus dux<sup>1</sup> Montem Acutum expugnat, Suessionis usque vastando accedit, inde Remis occupat, archiepiscopum, quem Hugo statuerat, Lugdunum relegat, et loco sui Arnulphum, nepotem suum instituit, deinde cum multa praeda Lugdunum revertitur. Framericus, Morinorum episcopus, obiit. Balduinus successit.

Anno DCCCCXC, Hugo, rex Francorum, cernens quod difficulter<sup>2</sup> ducem Karolum vincere posset, cum Anselmo, episcopo Laudunensi, consiliario ipsius Karoli, consilium habuit, et tradidit ipse episcopus Karolum nocte, cunctis dormientibus, et ductus est Karolus Aurelianis et ibi captivitate detentus. Eodem anno, unctus est Hugo in regem Francorum, non enim antea ungi potuit, resistente ei Karolo.

Anno DCCCCXCI, Karolus dux Aurelianis in captivitate moritur<sup>3</sup>, duos filios et duas filias relinquens. Hugo, rex Francorum, Remis congregato concilio, Arnulphum, nepotem Karoli, deponi fecit ab archiepiscopatu, eo quod de illegitimo thoro fuit. Excommunicatur etiam Aldegarius presbyter, qui portas Karolo aperuit et urbem illi prodidit. Fecit ergo Hugo archiepiscopum Remensem Gerbertum, monachum Floriacensem, philosophum<sup>4</sup> nigromanticum, eo quod Roberti filii sui magister fuisset. Sed quibusdam causam ventilantibus<sup>5</sup>, non potuisse degradari Arnulphum nisi auctoritate papae, missis legatis a papa, iterum Arnulphus restituitur archiepiscopus Remensis. Gerbertus<sup>6</sup> depositus ad Othonem imperatorem se contulit. Quem imperator primo Ravennae archiepiscopum et postea constituit papam Romanum. Unde est illud ejus monasticum :

Scandit ad R. Gerbertus, ad R. post, papa viget R.

Anno DCCCCXCII, Odilo<sup>7</sup>, Cluniacensis abbas, post Majolum praeficitur, qui per annos LVI praefuit egregia pietate insignis. Qui cum reprehenderetur,

<sup>1</sup> AEG. DE ROYA, pag. 17.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> MART. POL. addit : imo potius.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB., anno 992.

<sup>6</sup> Sic in MART. POL. ad pontif. Benedicti VII : Gilbertus vero, archiepiscopatu Remensi deposi-

tus, ad Othonem imperatorem se contulit, quem et ipse scientia erudierat. Qui, nacta opportunitate, primo Ravennae in archiepiscopum, post Romanum pontificem, diabolo instigante, fieri procuravit.... Unde versus :

Scandit in R. Gilbertus, ad R. post, papa vigens R.

<sup>7</sup> Similia SIGISB. GEMB. anno 993.

quod in precantes misericordior justo esse videretur : « Si damnandus sum, inquit, malo damnari de misericordia quam de duritia. » — Otto in imperatorem benedicitur.

Anno DCCCCXCIII, Hebertus, Treverensis archiepiscopus, obiit. Ludolphus succēssit. Arnoldus, comes Hollandiae<sup>1</sup>, contra Frisones progrediens ab eis occiditur, et succedit Theodoricus filius ejus.

Anno DCCCCXCIV, sanctus Wolfgangus, Ratisponensis episcopus, migravit. Dani, Angliam repetentes<sup>2</sup> cum rege suo Analapho, plurima damna patriae inferunt. Londonia ab eis est obsessa, sed a civibus fortiter defensa.

Anno DCCCCXCV, Romanae ecclesiae praesidet Gregorius V, natione Saxo. Otto imperator Romam veniens a Gregorio papa in imperatorem coronatur; de hinc per Apuliam ad Sanctum-Angelum transiens, inde per Beneventum reditum faciens, corpus sancti Paulini episcopi Romam secum detulit, et, ordinata Italia, per Galliam in Saxoniam reversus est.

Anno DCCCCXCVI, Richardus, dux Normanniae, moritur. Cui successit filius ejus Richardus II, qui fundavit Fiscanense coenobium. Hugo, rex Francorum, moritur. Successit ei filius ejus Robertus<sup>3</sup>, qui habuit uxorem Constantiam, filiam comitis Arelatensis.

Anno DCCCCXCVII, sanctus Adalbertus, episcopus Pragensis, martyrizatur. Sanctus Heribertus ordinatur Coloniensis archiepiscopus. Raginerus<sup>4</sup>, comes Hannoniae, moritur. Cui successit Raginerus filius ejus.

Anno DCCCCXCVIII, Odwinus, XXIV abbas Gandensis coenobii, obiit, XVI kal. Julii. Cui Eremboldus praefatus successit.

## EREBOLDUS XXV ABBAS.

Vicesimus quintus abbas Gandensis coenobii factus Eremboldus, qui reliquias Pancratii et Barbarae a Roma attulerat, praefuit viginti annis. Hoc tempore, quidam religiosus ab Hierosolymis rediens, in Sicilia reclusi cujusdam humanitate aliquandiu recreatus, didicit ab eo inter caetera, quod in illa vicina essent loca eructantia flammaram incendia, quae loca vocantur ab incolis Ollae Vulcani, in quibus animae reproborum luant diversa pro merito-

<sup>1</sup> AEG. DE ROYA, pag. 17.

<sup>2</sup> Chron. Simeon. Dunelm. pag. 162-52. Ibidem, Roger. de Hoveden, pag. 419.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> MART. POL. Similia ad regnum Othonis II. — AEG. DE ROYA, pag. 17.

rum qualitate supplicia, ubi etiã audivisse dicebat voces, iras et terrores daemonum ibidem deputatorum et ejulatus plangentium, quum animae damnatorum eriperentur de manibus eorum per eleemosynas et preces fidelium, maxime monachorum Cluniacensium orantium indefesse pro defunctorum requie. Quod cum idem religiosus Odiloni abbati retulisset, constituit per omnia monasteria sibi subjecta, in crastino omnium sanctorum celebrari memoriam omnium fidelium defunctorum.

Anno DCCCCXCIX<sup>1</sup>, Crescentius, urbis Romanae praefectus, contra Othonem imperatorem et contra Gregorium papam nisus est rebellare. Nam Gregorium ab urbe expellit, fecitque papam Johannem Placentinum episcopum. Quo audito, venit imperator Romam, praefectum vi cepit et jumento everse imponens, per urbem sic eum circumduci fecit, ac tandem membratim truncari; Johannem vero papam oculis privari fecit ac etiam membris debilitari; et ita Gregorio in sede dignitatis pristinae recollocato, omnibusque dispositis, in Saxoniam reversus est.

Anno Domini millesimo, multa prodigia<sup>2</sup> visa sunt: terrae motus factus est, cometes apparuit. Sancta Adaleïda, imperatrix et vidua sanctissima, migravit. Romanae ecclesiae praesidet Gerbertus, qui dictus est Silvester II<sup>3</sup>, et praefuit quatuor annis.

Anno MI, Otto imperator, iterum Italiam petens, Romam venit, de regni Italiae ac ecclesiae statu tractaturus. Deinde coepit Romae aedificare palatium quoddam in palatio Juliani, dudum imperatoris. Sed Romanis reclamantibus<sup>4</sup>, cessavit ab inceptis.

Anno MII, Susanna regina, uxor Roberti Francorum regis, obiit, et in Blandinio juxta Arnulphum Juniorem, Flandriae comitem, suum priorem maritum, sepelitur. Haec prius dicebatur Rozala, cum esset uxor Arnulphi; post cujus obitum, accepto Roberto rege, Susanna dicta est. Otto imperator Romae degens<sup>5</sup> dum cum Romanis remissius ageret, tractans qualiter jura regni et ecclesiae ad antiquum statum reformaret, Romani illico contra eum conspirant, et peremptis aliquibus de militibus suis in palatio, ipsum imperatorem obsident; unde per industriam Henrici, ducis Bajoariae, et Hugonis, marchionis

<sup>1</sup> MART. POL. similia.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.— Item, *Chron. sancti Bertini*, pag. 569.

<sup>3</sup> MART. POL.

<sup>4</sup> MART. POLINUS addit: Imperator, multis persecutionibus illatis, per paucos dies vitam finivit.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

Italiae, simulato pacto, vix extractus a Roma discessit cum Silvestro papa. Et quia uxor Crescentii praefecti, spe regnandi, imperatorem ad amorem suum pellexerat, dolens pro ejus discessu, venenum ei misit, quo ille consumptus inter remeandum in Italia moritur. Milites transalpini corpus imperatoris defuncti cum insignibus imperii ad Galliam referentes, crebris Italorum incursibus lacessiti armis sibi viam parant. Sed cum jam res in tuto esse putaretur, dux Bajoariae Henricus, injuriato Heriberto, Coloniensi archiepiscopo, a cujus ore omnes pendebant, insignia regni violenter ab eo extorsit, quasi jure hereditario sibi competentia. Erat quippe filius Henrici ducis, qui fuit genitus de Henrico, fratre primi Ottonisi mperatoris. Henricus ergo, conciliatis sibi animis quorundam principum regni, ungitur in regem a Willigiso Moguntiae archiepiscopo, et imperavit annis XXII<sup>1</sup>.

Anno MIII, inchoatum est occidentale opus Gandensis coenobii, septimo kal. Maii, sub Eremboldo abbate<sup>2</sup>.

Inundatio aquarum facta est kal. Augusti. Henricus imperator potentiores regni, bella sibi concitare volentes, celeriter devincit, et reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui *Windi* dicuntur, tributarios sibi facit. Abbo, Floriacensis abbas, in Wasconia martyrizatur<sup>3</sup>.

Anno MIV, Gerardus, Cameracensis episcopus, et Adelboldus, Trajectensis episcopus, magni in ecclesia et in palatio habentur. Henricus imperator Bambergensem ecclesiam episcopalis sedis honore sublimat, et quia liberis carebat, eam omnium suarum rerum heredem facit<sup>4</sup>.

Anno MV, cometes horribili specie flammas huc illucque jactans in australi parte visus est<sup>5</sup>. Mortuo Ottone duce, sine liberis, ducatus Lotharingiae datur ab imperatore Henrico Godefrido, filio Godefridi Ardennensis<sup>6</sup>. Chilpericus librum de *Ratione compoti* hoc anno scripsit<sup>7</sup>.

Anno MVI, fames<sup>8</sup> et mortalitas tam graviter per totum orbem invaluit, ut, taedio sepelientium, vivi adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Castrum Valenchianas<sup>9</sup>, quod Balduinus comes Flandrensium invaserat, imperator Henricus obsidet; sed concurrentibus ad comitem Balduinum Ro-

<sup>1</sup> SIG. GEMB.

<sup>2</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra pag. 445.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> *Idem.*

<sup>5</sup> *Idem.*

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> *Idem.*

<sup>8</sup> *Idem.*

<sup>9</sup> AEG. DE ROYA, pag. 18.

berto, rege Francorum, et Richardo, duce Normanniae, Henricus inglorius ab obsidione discessit et rediit<sup>1</sup>.

Anno MVII, in coenobio Gandensi adventus<sup>2</sup> corporum beatissimi Livini, archiepiscopi et martyris, et sancti Briccii, infantis et martyris, cum multis miraculorum insignibus, maxima Gandensis populi multitudine obviam sibi concurrente, diversisque laudibus jugiter psallente; sed propter miraculum, quod contigit prope *Holthem* et in monte sancti Pancratii, conventum fuit sancto Livino per juramentum perpetuo observandum, quod quolibet anno in vigilia Petri et Pauli apud *Holthem* reportaretur. Henricus imperator, quia de obsidione Valenchiensi inefficax redierat<sup>3</sup>, contra Balduinum comitem Flandriae profectus, Gandavum invadit, et depopulata terra aliquot Flandrensium primores capit; unde Balduinus perterritus imperatori satisfacit, Valenchanas reddit<sup>4</sup>, datisque obsidibus cum sacramento fidelitatis, manus ei dedit. Postea imperator, seditione coactus suorum, Valenchanas reddit Balduino. Beneficiavit, ut sibi contra motus suorum auxilio esset, postea etiam ei Walachrias addidit.

Notgerus, Leodiensis episcopus, obiit. Baldricus successit.

Henricus<sup>5</sup> imperator, ne regnum nobile et imperium per reges degeneraretur, statuit, ut imperator eligeretur per officiales imperii, qui sunt septem. Unde exstant ii versus :

Moguntinensis, Treverensis, Coloniensis,  
Quilibet imperii fit cancellarius horum.  
Marchio praefectus camerae, pincerna Bohemus,  
Et Palatinus dapifer, dux portitor ensis.

In regno etiam Francorum ordinati sunt duodecim pares, sex duces et sex comites, qui continentur iis versibus :

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB., annis 1006 et 1007.

<sup>2</sup> *Annales sancti Bavonis* supra pag. 445. THIELRODE, pag. 81.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB., anno 1007. Vide A. KLEIN, loc. cit., tom. II, pag. 97.

<sup>4</sup> AEG. DE ROYA, pag. 18.

<sup>5</sup> In MART. POL. legitur haec varia lectio, ad finem regni Othonis III : Institutum fuit ut per officiales imperii eligeretur imperator, qui sunt septem, videlicet : tres cancellarii ( scilicet

Maguntinus, cancellarius Germaniae, Treverensis Galliae, et Coloniensis Italiae); marchio Brandenburgensis camerarius, Palatinus dapifer; dux Saxoniae ense portans, pincerna rex Bohemiae. Unde versus :

Moguntinensis, Treverensis, Coloniensis,  
Quilibet imperii fit cancellarius horum;  
Et Palatinus dapifer, dux portitor ensis,  
Marchio praepositus camerae, pincerna Bohemus.  
Hi statuunt dominum cunctis per secula summum.

No., Catha., Belva., Tholo., Campania, Flandria sunt co. [comites]  
Lingo., Remi., Laudu., Nor.; Aqui. Burgundia sunt du. [duces].

Anno MVIII, Burchardus, qui in scripturis studiosus fuit, fit Wormacensis episcopus. Mathildis, comitissa dudum Flandriae, obiit.

Dani, duce Tarquillo, Angliam infestant, et quasi nullo eis resistente eam ad nihilum redigunt. Et hanc Angliae plagam praedixerat sanctus Dunstannus.

Anno MIX, eclipsis solis facta est, hora diei secunda. Henricus imperator Metim urbem obsidet; tamen post multam obsidionem pace convenit. Normanni Frisiam infestantes, *Tyle* oppidum incendunt.

Anno MX, translatio<sup>1</sup> prima beati Bavonis, egregii confessoris, per Eremboldum abbatem in coenobio Gandensi facta est, in kalendis Augusti. Bruno episcopus martyrizatur.

Normanni<sup>2</sup>, sive Dani, Frisiam repetunt, Ultrajectum oppidum incendunt. Gens Hungarorum, hactenus idolatriae dedita, hoc tempore ad fidem Christi convertitur per Gislam, sororem imperatoris Henrici, quae, nupta Hungarorum regi, ad hoc sua instantia regem adduxit, ut se et totam Hungarorum gentem baptizari expeteret. Qui in baptismo Stephanus est vocatus.

Anno MXI, in coenobio Gandensi advenit<sup>3</sup> beatus Macharius peregrinus, vir nobilissimus et Anthiochenae sedis archipraesul. In Lotharingia juxta montem Castrilocom fonticulus aquae multis saluberrimus in sanguinem versus est. Edricus, comes Merciorum, quia mortem fratris ulcisci non potuit, ad Danos confugit eorum auxilia perquirens, et in totius Angliae exitium eos invitat.

Anno MXII, sanctus Macharius<sup>4</sup>, archiepiscopus Anthiocenus, mortiferam Gandensibus pestem precibus et lacrymis continuis redimens, eademque peste se divinitus affligi obtinens, in coenobio Gandensi quarto idus Aprilis obiit, ibidem et in crypta beatæ Mariae ante altare sancti Pauli apostoli miraculis plurimis coruscans sepelitur.

Henricus imperator<sup>5</sup> Godefridum, ducem Ardennensem, cum exercitu in fines Bratuspantium mittit ad obsidendum castrum Lovanium; sed inefficax<sup>6</sup> rediit, quia Lambertus, comes Lovaniensis, una cum Raginero, comite Hannoniae, viriliter restitit<sup>7</sup>.

<sup>1</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 446.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 446.

<sup>4</sup> *Idem*, supra, pag. 446. — THIELRODE,

pag. 80.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> Hucusque SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> AEG. DE ROYA, pag. 18.



Hoc anno, Anglia a Danis invasa multis damnis et plagis est afflicta, Cantuaria capta, et sanctus Elphegus martyrizatus<sup>1</sup>.

Anno MXIII, Henricus imperator<sup>2</sup>, Italiam petens ut subveniret suis, quos Graeci premebant, circa Beneventum, Salernum et Capuam debacchantes, Trojam civitatem capit. Baldricus, Leodiensis episcopus, cum in villa Hugardis castrum muniret, Lambertus, comes Lovaniensis, eum aggreditur, et episcopus, Lamberto vincente, multis suorum captis et occisis, gravi atteritur infortunio<sup>3</sup>. Terrae motus factus est maximus circa meridiem, XIV kal. Decembris.

Rex Anglorum Egelredus<sup>4</sup>, Danis totam Angliam, excepta Londonia, occupantibus, pulsus in Normanniam fugit ad Richardum socerum suum; Londonienses vero, proprii domini destituti auxilio, sese sicut caeteri Danis dederunt. Sic Dani totam Angliam caedibus et rapinis devastant.

Anno MXIV, Henricus<sup>5</sup> rex Romae a papa Benedicto octavo<sup>6</sup> in imperatorem benedicitur. Baldricus, Leodiensis episcopus, coenobium sancti Jacobi, quod in insula Leodiensi exstat, fundavit. Dux Godefridus Gerardum comitem, multis modis regnum inquietantem, bello vicit, in quo, filio ejus cum multis occiso, complices ejus deterruit.

Rex Danorum Suanus<sup>7</sup> cum totam jam Angliam incendiis, caedibus et rapinis vastasset, moritur. Creant illico Dani Chutonem filium ejus in regem Danorum et Anglorum. Angli vero regem suum Egelredum a Normannia revocant, qui veniens Danos cum rege eorum exire compulit. Inundatio maris facta est.

Anno MXV, Godefridus dux<sup>8</sup> comitatum Montensem depopulatur. Quem Raginerus cum patruo suo, Lamberto Lovaniensi, insecutus apud Florinas pugnam conserunt, ubi plus quam XL viri occisi sunt, et ipse Lambertus occubuit. Ubi res mira contigit. Cum Lambertus spem victoriae jam haberet (habebat quippe philacterium, a collo usque ad pectus pendens, sanctorum reliquiis refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebatur), instante enim termino vitae, philacterium a collo ejus exiens super tumulum campi exilivit, et mox comes antea invictus perimitur. Quidam militum

<sup>1</sup> BROMPTON, pag. 889. — GERVASIUS, *Acta Pontific. Cantuariens.*, pag. 1649—ROG. DE HOVEDEN, pag. 432.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> AEG. DE ROYA, pag. 18.

<sup>4</sup> SIMEON DUNELM, pag. 170. — ROG. DE HOVE-

DEN, pag. 432.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> MART. POLON. : a Benedicto IX.

<sup>7</sup> SIMEON DUNELM, pag. 171, 10-40. — ROGER. DE HOVEDEN, pag. 432. — HENR. HUNTINDON, p. 362.

<sup>8</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 18.

philacterium accipiens in caliga abscondit, sed coxa ejus et crure intumescente, rem prodidit, et philacterium domino suo Etheloni, fratri ducis, dedit.

Anno MXVI, Edmundus<sup>1</sup>, dux Northanhumborum, opportunum factu arbitrans, si civitates, quae a rege defecerant, recuperaret, in hoc Veredum quemdam adduxerat; sed Cutho eorum consilium praevenit, nam Northanhumbriam ingressus Veredum comitem jugulari fecit, Edmundum vero persequi non destitit, donec eum Londoniam fugisse cognosceret.

Anno MXVII, cometes solito mirabilior<sup>2</sup> in modum trabis maximae per quatuor menses apparuit. Eodem anno, Eremboldus, abbas Gandensis coenobii, obiit.

Anno MXVIII, defuncto Baldrico, Leodiensi episcopo, Walbodo ortus ex Flandria, qui antea fuerat Henrici imperatoris capellanus, fit Leodiensis episcopus. Theodoricus, comes Hollandiae<sup>3</sup>, in vindictam patris sui Arnulphi, a Frisonibus occisi, Frisones debellat. In cuius auxilium Godefridus dux ab imperatore mittitur. Partibus autem ad proelium paratis, audita est vox, cujus ignoratur clamantis: « Fugite, fugite! » Cunctis fugientibus, multi a paucis Frisonibus perimuntur, dux Godefridus ibidem captus est, et in carcere detentus<sup>4</sup>.

Rex Danorum cum Londoniam obsideret, Egelredus rex mortuus est. Angli Edmundum, filium ejus ex concubina, in regem eligunt, repudiato Eduardo<sup>5</sup>, legitimo ejus filio, qui Danos quinque bellis valde humiliavit.

## OTHELboldus XXVI ABBAS.

Anno MXIX, Othelboldus ordinatur vicesimus sextus abbas Gandensis coenobii, et praefuit circiter sedecim annis.

Godefridus dux<sup>6</sup>, impetrata Frisonibus ab imperatore totius injustitiae impunitate, a captivitate solvitur, et non multo post moritur. Frater vero ejus Gozelo successit XXV annis.

In Anglia Edmundus rex, cum Danis confligens, vincitur, et fugiens, iterum congregato exercitu, ad pugnam venit vocavitque Cuthonem regem ad sin-

<sup>1</sup> SIMEON DUNELM., pag. 172.—ROGER DE HOVEDEN, pag. 453.—HEN. HUNTINDON, pag. 526.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> AEG. DE ROYA, pag. 18.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> ROG. DE HOVEDEN, pag. 454.—HENR. HUNTINDON, pag. 565.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 18.

gulare certamen, sed Cutho noluit, imo partitionem regni suasit. Et sic partitum est regnum; verum, recedente Edmundo, Edricus, comes Merciorum, fecit eum clam occidi, et sic totum regnum ad Cuthonem<sup>1</sup>, devenit. Edricus autem quia confessus est, quod Edmundum regem occidisset, in Tamesim per tumultum demersus est. Regnavitque Cutho viginti annis<sup>2</sup>.

Anno MXX, secunda incursio Henrici regis<sup>3</sup> in Gandavum, ubi Eppo et Cono occisi sunt. Rodulphus<sup>4</sup>, rex Burgundiae, insolentis Burgundionum irritatus, regnum Burgundiae Henrico imperatori dare tractat, sed eum ab hac intentione revocat simulata Burgundionum satisfactio. Eodem tempore, duae mulieres incantatrices, in via Romana habitantes, transeuntes, in quas formas volebant, transmutabant. Serpentes ex circumquaque regionibus juxta Tornacum convenerunt, et ibidem sese interemerunt. Hierosolyma ab im-mundis Turcis capta est; sepulcrum autem Domini nec comburere nec destruere potuerunt.

Anno MXXI, sanctus Heribertus, Coloniensis archiepiscopus, XVII k. Aprilis, migravit. Pelegrinus ei succedit. Henricus imperator, cum dominica quinquagesimae ivisset venatum, a suis derelictus venit in quamdam ecclesiam. Veniens, militem se dicens, rogat sacerdotem missam cantare; at ille se confestim parat. Imperator interim cogitabat, quare Deus, a quo cuncta formosa, procedunt, tam deformem hominem conficere sacramenta sua sineret. Ventum est ad illum versum tractus: *Scitote quoniam ipse est Deus*. In quibus verbis dum discordaret puer presbyteri, sacerdos concitatori voce respondit quasi imperatori cogitanti: *Ipse fecit nos et non ipsi nos*. Quo dicto percussus imperator, et propheticum virum existimans invitum fecit eum episcopum. Walbodo, Leodiensis<sup>5</sup> episcopus, vir sanctus, migravit. Durandus successit: quod quasi fabula in theatro mundi fuit, quod vir ex humillimo et pauperrimo servilis conditionis genere dominis suis cardinalibus dominabatur.

Anno MXXII, Aquisgrani<sup>6</sup> conventu regali et synodali per aliquot dies celebrato, tanta siccitas et tempestas aëris excanduit, ut multi prae nimio ardore deficerent, etiam et animalia, pavimento et marmoreis columnis tanto madore sudantibus, ut aqua esse respersa crederentur a nescientibus.

<sup>1</sup> ETHELREDUS, abbas Rievallis, pag. 364 et seq. Eadem SIGISB. GEMB. in *Cod. Lipsiensi*.

<sup>2</sup> HENR. HUNTINDON, pag. 364.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Idem*.

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis*, sup., pag. 446. —

<sup>6</sup> *Idem*.

Cutho<sup>1</sup>, rex Anglorum et Danorum, in Suevos bellum vertit, sed primo in insidiis acceptus plurimos suorum amisit. Postea viribus relictis, ad dedicationem Suevorum regulos coegit; deinde Cutho, consummata victoria, rediens Norwegiae regnum subegit.

Anno MXXIII, Balduinus, comes Flandriae, canonicos sancti Martini Bergensis expulit, eo quod<sup>2</sup> canonicas horas nocte non persolvebant. Quod comes experiri volens, quadam nocte, dum custos ad matutinas pulsaret, habitu mutato, ecclesiam quasi oraturus intravit. Custos, pulsatis matutinis, ecclesiam claudere voluit, et comitem, quem plebeum aestimabat, exire compulit. Quo dicente, se velle audire matutinas, respondit totum esse completum, nec canonicos ad matutinas surgere solitos. Sic comes certificatus bona collegii monasterio a se in monte constructo applicuit, et ibidem corpus sancti Winnoci abbatis reposuit, unde hodierno tempore sancti Winnoci appellatur.

Henricus imperator<sup>3</sup> et Robertus, rex Francorum, super Carum fluvium apud Evosium conveniunt de statu ecclesiae, regni et imperii tractaturi, et condito, ut super iis confirmandis etiam papam Romanum simul ambo Papiam convenirent, imperator regem et suos multos etiam, qui tantum ad demirandam imperatoriam majestatem conveniant, tanta liberalitate donavit, ut opibus regum Persarum aut Arabum posset comparari imperatoris munificentia.

Anno MXXIV, Henricus imperator<sup>4</sup>, consulentibus se principibus super substitutione regni, designans Conradum, virum regii generis, moritur, III idus Julii, et apud Bambergensem ecclesiam tumulatur miraculis fulgens. Cujus vitam Adelboldus, Ultrajectensis episcopus, descripsit. Cuius dux praepotens cum ad imperium aspirare vellet, repudiatur, et Conradus ad imperium sublimatur. Qui imperavit annis quindecim.

Richardus, dux Normanniae, moritur. Cui succedit Richardus, tertius filius ejus, anno uno<sup>5</sup>. Robertus, Francorum rex, jam aetate confectus, Hugonem filium suum consortem regni facit, et cum eo regnavit annis sex.

Anno MXXV, Johannes, Portuensis<sup>6</sup> episcopus, frater Stephani papae nuper defuncti, praesidet Romae factus papa, annis novem. Huic Stephanus papa frater suus apparens dixit, se infernalibus poenis cruciari, sed sperare se in-

<sup>1</sup> Id est *Chnuto*; cfr. HENR. HUNTINDON, pag. 565-564.

<sup>2</sup> ADRIANI DE BUDT, *Chron. Flandriae*.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> ROG. DE HOVEDEN, pag. 437.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

terventu Odilonis abbatis veniam posse consequi. Raginardus Leodiensium episcopus ordinatur. Qui Leodii in monte coenobium beati Laurentii instituit.

Anno MXXVI, Robertus, rex<sup>1</sup> Francorum, ad invadendum Lotharingiam animum intendit, sed cito ab hoc conatu destitit, Gozelone duce, qui propter privatum odium gravabat regnum Conradi; et aliis principibus ad pacis unitatem adductis, regi prosperitas et regno accrevit tranquillitas.

Heymericus, filius Stephani regis Hungariae, virgo miraculis coruscans.

Anno MXXVII, Conradus rex<sup>2</sup> filium suum Henricum adhuc puerum Aquisgrani in regem sublimat. Ipse in Pascha Romae in imperatorem consecratus, quorundam Itolorum contra se saevientium motus compescuit.

Balduinus<sup>3</sup> Pulchra Barba, comes Flandriae, filio suo Balduino, qui postea dictus est Pius, Athelam, filiam Roberti regis Francorum, accipit uxorem. Ex qua nati sunt Balduinus Montensis et Robertus Friso et filia Mathildis, quae postea nupsit Wilhelmo, filio Roberti ducis Normanniae, qui postea in Angliam transfretans eam debellavit.

Anno MXXVIII, sanctus Olavus, rex Norwegiae, martyrizatur. Florent hoc tempore plures sancti et famosi abbates, per quos ecclesiastica religio in Francia et Lotharingia vigeat. In Italia quoque Guido Aretinus musicus<sup>4</sup>, qui per flexuras digitorum manus notas sex ordinavit.

Anno MXXIX, Henricus, comes Lovaniensis, obiit<sup>5</sup>. Cui successit filius ejus Lambertus, qui postea juxta Tornacum occisus est. Conradus imperator, Sclavis rebellantibus, ad eos proficiscitur; deinde eodem anno ad Hungaros debellandos transiit. Herimannus comes obiit.

Anno MXXX, comes Flandriae Balduinus Barbatus, congregatis marchisiae suae sanctorum corporibus Bavonis, Wandregisili, Amandi, Vedasti, Bertini, Winnoci, cum innumerabilibus aliorum sanctorum reliquiis, praesente Hugone, Noviomensi episcopo, cum aliis pluribus episcopis et abbatibus, congregatis totius regni sui primatibus apud Aldenardum, pacem ab omni populo conjuratam firmari fecit<sup>6</sup>. Ecclesia sanctae Walburgis Furnensis fundatur. Roberto Francorum rege mortuo<sup>7</sup>, Henricus filius ejus regnat in Francia annis triginta. Hoc tempore, jussu Conradi imperatoris, regali et synodali

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Geneal. Com. Fland.* — AEG. DE ROYA, pag. 18.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> AEG. DE ROYA, pag. 18.

<sup>6</sup> *Codex Lipsiensis SIGISB. GEMB.* — Ed. MIRAEI, pag. 449.

<sup>7</sup> SIGISB. GEMB.

conventu apud Triburias, inter caetera episcopi hoc capitulum decernere voluerunt, ut si quando jejunium primi mensis eveniret infra hebdomadam, qua caput jejunii in quarta feria constat, amborum jejuniorum celebritas unius officii expletione completeretur. Sed Gerardus, Cameracensis episcopus, et pauci cum eo huic decreto contradicentes obtinuerunt, ut jejunium primi mensis in altera hebdomada, in qua habetur officium, celebretur secundum antiquorum consuetudinem.

Anno MXXXI, Aribo, Moguntinensis archiepiscopus, obiit. Sanctus Bardo successit<sup>1</sup>.

Robertus<sup>2</sup> *Wiscard*, ex nobilibus Normanniae et Franciae ortus, miles insignis, cum fratre Richardo et aliis fere quindecim militibus ex Francia et Normannia, pro stipendiis promerendis Italiam petivit, et Italis inter se dissidentibus, dum alteri contra alterum auxilium praestant, hac opportunitate fortiter Italos debellant, et successus urgendo suos, nomen suum dilatant et futurae prosperitatis sibi viam parant.

Anno MXXXII, episcopi Franciae, congregatione facta, multas novitates statuere voluerunt. Unus eorum<sup>3</sup> dixit, coelitus sibi delatas esse litteras, quae pacem monerent renovandam in terra. Quam rem mandavit caeteris, et haec tradenda dedit populis: « Arma quisquam non ferret, direpta non repeteret, sui sanguinis vel cujuslibet proximi ultor minime existens, percussoribus cogereetur indulgere, jejunium in pane et aqua, omni sexta feria, observarent, et in sabbato a carne et liquamine abstinerent, soloque hoc contenti jejunio in omnium peccatorum remissionem, nullam sibi scirent aliam adjiciendam poenitentiam, et haec se servare sacramento firmarent. Quod qui nollet christi-  
nitate privaretur, et exeuntem de seculo nullus visitaret, nec sepulturae traderet. » Alia quoque quamplura dedere mandata. Hanc mandatorum novitatem cum multi cupidi novarum rerum libentius amplecterentur, Gerardus Cameracensis, qui solus Lothariensium appendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad haec suscipienda; sed singula capitula refellebat, dicens « genus humanum ab initio trifarie esse divisum, in oratoribus, pugnatoribus et agricultoribus, ac unum duorum et duos unius egere auxilio; ideo debere arma ferri et rapinas reddi per auctoritatem legis et gratiae, ultorem percussi vel occisi non exacerbari cogendo, sed secundum

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem*, anno 1055.

Evangelium ei reconciliari; jejunium in sexta vel septima feria nec omnibus unum esse imponendum, quia non est omnibus una possibilitas; nec omnes hoc uno jejunio contentos esse, quia non est una omnibus poenitendi qualitas; haec sacramento firmare vel sacramenti violationem perjurio augere; non esse utile iis contradicentes excommunicari; infirmis visitationem vel mortuis sepulturam negari esse detestabile; sufficere authentica patrum decreta et super iis neglectis impositum congruenter poenitentiae modum. »

Anno MXXXIII, Frederico Mosellanorum duce mortuo<sup>1</sup>, quia mares filios non habebat, quibus ducatus competeret, Gozelo dux impetravit ab imperatore etiam Mosellanorum ducatum, sicque in Lotharingia potentius principatur. — *Eyham* castrum Balduinus, comes Flandriae, destruxit.

Anno MXXXIV, Othelboldus<sup>2</sup> Gandensis abbas coenobii, obiit kal. Januarii: Othelboldus iste ad Otgivam, comitissam Flandriae, scripsit epistolam, cujus tenor talis est<sup>3</sup>.

*Breviarium de thesauro sancti Bavonis, quod invenerunt fratres remansisse post Normannicam infestationem<sup>4</sup>.*

Invenimus de thesauro sancti Bavonis remansisse post reversionem de Monte regio: imprimis calicem aureum cum patena, et calicem alterum cum patena deaurata et calicem unum de crystallo et calices septem de argento, cum patenis octo, lignum Domini, duas de auro cruces, tres de auro et unam de argento, offertorium unum, thuribulos duos de argento; bustiam unam, candelabra duo de argento, lampades tres de argento, evangelia duo de auro et argento parata; pallia sex meliora et alia septem, casulas septem et cappas tres, dalmaticas octo, roccos tres, stolam unam auream et alias duas cum auro, manipulas duas cum auro et alias duas, flastulas tres, facitergula tria, corporalem unum, tabulas duas, capsas octo cum auro et argento paratas; fustes XV cum argento paratas; tabulas de argento, XX libris quinque una; crucifixum unum de argento, altare marmoreum de argento paratum; columnas XIX, coronas duas de argento, cortinas duas, tabulas de sepulcro XXIII,

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB., anno 1054 — AEG. DE ROYA, anno 1033.

<sup>2</sup> *Ann. S. Bavon.*, sup., p. 446. Anno 1024.

<sup>3</sup> Cum haec epistola accuratissime edita sit

in *Chartulario sancti Bavonis* cum variis lectionibus e *Chronicis sancti Bavonis* collatis, inutile duximus eam hoc loco repetere.

<sup>4</sup> Ex *Chronico Johannis de Thielrode*.

crucifixum majorem unum, crucem unam; albam unam. Desunt autem plurima pretiosa, quae fuerunt ornamenta, ut est crux illa aurea, quae Bruggis fuit ad servandum missa, nec postea reversa; et alia multa, proh dolor! direpta, sicut fuerunt cappae XXIV de palliis, et campanae XV cum circulis deauratis et catenis argenteis, sicut retulerunt, qui viderunt et in sancto ministerio habuerunt. Reliquiae de ligno salutiferae crucis, et roseo ejus infusae cruore, de spinea corona Domini nostri, auro gemmisque contextum per sanctum Eligium episcopum; de sudario Domini, de spongia Domini, de minutiis sanctae crucis, quando Helena mater Constantini fecit secari serra; de lapide, super quem expandit Christus sanguinem suum in Gulgota, de lapide super quem steterunt pedes Jesu, quando ascendit ad coelos, de mensa Domini, de praesepio Domini, de tunica Domini, de sepulcro Domini, de pannis, in quibus involutus erat infans Christus in praesepio; de lapide in quo stetit crux Christi, de rupe Calvariae, de ostio monumenti Domini, de candela, quam accendit angelus Domini. Reliquiae sanctae Mariae Dei genitricis: de lacte sanctae Mariae, digitale cyrotecae sanctae Mariae, de vestimentis ipsius. Reliquiae sancti Johannis Baptistae: de sanguine ejus, de cerebro ejus, de pulvere corporis ejus, de veste ejus. Reliquiae sancti Petri apostoli: dens ejus, de capillis ejus, hoc est, de barba ejus, de cruce ejus, de operculo ligneo, quod super corpus ipsius positum fuit in sepulcro, baculum ejus et ferrum ipsius baculi, de cathedra ejus, de mensa ejus. Reliquiae sancti Pauli: de sanguine ejus et de cerebro ipsius. De capillis sancti Bartholomaei apostoli. Reliquiae de sancto Matthaeo apostolo; reliquiae sancti Barnabae apostoli; reliquiae sancti Lucae evangelistae; de brachio sancti Simeonis; reliquiae sanctorum innocentium; reliquiae multae de ossibus sancti Stephani, protomartyris Christi, duo dentes ipsius et dimidius, de sanguine ejus, qui est in ampulla vitrea; item de ejus vestimento sanguine ejus perfuso; reliquiae diversae de sancto Laurentio, Christi martyre, hoc est, de ejus corpore os magnum, item de eodem dens unus, item de ejus craticula et de carbonibus, qui sub eo ardebant; reliquiae sancti Dionysii martyris; reliquiae sancti Quintini martyris; reliquiae sancti Marcelli, papae et martyris; reliquiae sancti Prothasii martyris; reliquiae sancti Leodegarii martyris; reliquiae sancti Chrysogoni martyris; reliquiae sanctorum Johannis et Pauli; reliquiae sancti Praejecti martyris; reliquiae sancti Victoris martyris; reliquiae sancti Gengulfi martyris, reliquiae sancti Marcellini et



Petri; reliquiae sanctorum septem dormientium; reliquiae sanctorum Speusippi, Eleusippi et Meleusippi; reliquiae sancti Lambertii martyris; reliquiae sancti Sixti martyris; reliquiae sancti Blasii martyris; item sancti Christophori martyris; reliquiae sancti Hippolyti martyris; reliquiae sancti Silvestri papae; reliquiae sancti Martini confessoris; reliquiae sancti Nicolai confessoris: de ossibus ejus; dens ejus unus et de oleo tumbae ejus; reliquiae sancti Egidii confessoris; reliquiae sancti Godardi confessoris; reliquiae sancti Ambrosii confessoris; dens sancti Audoeni confessoris; reliquiae sancti Eleutherii confessoris; reliquiae sancti Audomari confessoris; reliquiae sancti Materni confessoris, Trevericae civitatis archiepiscopi; reliquiae multae et diversae de sancto Remigio, Remorum archiepiscopo; reliquiae sancti Medardi confessoris; reliquiae sancti Eligii confessoris; reliquiae sancti Pricochi confessoris de Britannia; reliquiae sancti Germani confessoris; reliquiae sancti Remacii confessoris; reliquiae sancti Adalberti confessoris; reliquiae sancti Gregorii papae; de capillis sancti Wandregisili abbatis; reliquiae sancti Gisleni confessoris; reliquiae sanctae Mariae Magdalенаe, de capillis ipsius; reliquiae multae undecim millium virginum, et de ferro, quo fuerant trucidatae; reliquiae sanctae Agathae, virginis et martyris: de ossibus ejus, de mamilla pectoris ejus et de velo ejus; reliquiae sanctae Gertrudis virginis; reliquiae sanctae Katherinae, virginis et martyris: de corpore ejus, de peplo ejus, oleum quod de ossibus ejus stillare consuevit, de sepulcro ejus; reliquiae sanctae Aldegundis virginis; reliquiae sanctae Eufemiae virginis; reliquiae sanctae Scolasticae virginis; reliquiae sanctae Nathaliae; reliquiae sanctae Brigittae virginis; reliquiae sanctae Margaretae virginis; oleum quod de corpore sanctae Walburgis sudando exivit; reliquiae sanctae Ceciliae virginis; reliquiae sanctae Drohildae; reliquiae sanctae Amalbergae virginis; reliquiae sanctae Elizabeth. Iis Dominus ad laudem sui nominis adaugeat pluriora. Amen.

## LIDWINUS XXVII ABBAS.

Vicesimus septimus abbas, defuncto Othelboldo, successit Lidwinus Atrebatensis, et duobus tantum annis praefuit; incepit autem anno Domini MXXXIV. Eodem anno, obiit sanctus Stephanus, primus rex Hungariae christianus. Burgundionibus<sup>1</sup> non desistentibus a consueta contra regem suum inso-

<sup>1</sup> SIGISE. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 19.

lencia, rex Rodolphus regnum Burgundiae Conrado imperatori tradidit, quod a tempore Arnulphi imperatoris per annos plus quam centum triginta gentis suae reges tenuerant. Sicque Burgundia iterum redacta est in provinciam.

Cutho, rex Anglorum, Romam proficiscitur et multas largitates facit. Robertus, dux Normanniae, Jerusalem abiens, Wilhelmum septennem relinquit in tutelam Henrici regis Franciae. Qui, Roberto patre ejus apud Nicaeam mortuo, factus est dux Normanniae XXX annis, postea rex Angliae.

Anno MXXXV, Balduinus Barbatus, gloriosus comes Flandriae, obiit et in monasterio Blandiniensi sepelitur, et Balduinus filius ejus successit<sup>1</sup>. Odo Campaniensis<sup>2</sup>, regnum Rodulphi avunculi sui a Conrado imperatore nepote suo repetens, ut sub eo regat Burgundiam, efflagitat, et dux Burgundiae primus efficitur. Lambertus, comes Lovaniensis, juxta Tornacum occiditur. Cui succedit Henricus filius ejus.

Anno MXXXVI, sanctus Godehardus, episcopus Hildenshemensis, ipso die, Ascensionis migravit. Hic fertur ante praesulatum fuisse curatus in Herrika, villa pagi Casletensis in Flandria.

Henricus rex, filius Conradi<sup>3</sup>, uxorem duxit filiam Cuthonis, regis Anglorum, Gunhildem. Odo, dux Burgundiae, contra imperatorem bellans, Lotharingiam incursat, castella oppugnat, urbem Leucorum, quae Tullus dicitur, obsidet, et in nullo furori suo temperat.

Lidwinus, abbas Gandensis, resignavit. Hic primus reperitur resignasse<sup>4</sup>. Cui Rumoldus Bergensis successit.

## RUMOLDUS XXVIII ABBAS.

Vicesimus octavus abbas Gandensis coenobii. Rumoldus factus abbas duobus annis praefuit paulo plusve minus.

Anno MXXXVII, defuncto Pelegrino, Hermannus Coloniensis ordinatur archiepiscopus. Odo<sup>5</sup>, dux Burgundiae, Barum castrum obsidet et capit. Quod Gozelo, dux Lotharingiae, aegre ferens occurrit Odoni cum Lotharingis, et conserto proelio apud Barum Odo perimitur, et Francorum exercitus gravi caede attritus a Lotharingia fugere compellitur.

<sup>1</sup> *Geneal. Comit. Flandriae.*

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB., anno 1036; — AEG. DE ROYA, anno 1035, pag. 19.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, loc. cit.

<sup>4</sup> Fefellit scriptorem memoria; narravit enim supra (pag. 532) Widonem resignasse.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 19.

Anno MXXXVIII, Robertus Wiscardi cum caeteris Normannis in Apulia, copiis ejus paulatim adauctis a Normannia, ad invadendam Apuliam fortitudine sua et Italorum imbecillitate animatus, castellis et urbibus aut dolo aut virtute captis, fortiter agit et terrorem sui nominis vicinis gentibus incutit<sup>1</sup>. Rumoldus, abbas Gandensis, deponitur; et in sequenti anno Folbertus abbas ordinatur<sup>2</sup>. Non fit officium pro Rumoldo et ignoratur sepultura ejus, sicut et de aliquibus abbatibus praescriptis et subsequenter: causa forte est propter destructionem monasterii, vel propter nova aedificia, sive quia in regimine abbatiae non obierunt, sed destituti. Henricus, comes Lovaniensis<sup>3</sup>, in domo sua perimitur a quodam captivo, Hermanno nomine. Cui successit filius ejus Otto, cui immatura morte praevento successit patruus ejus Baldricus, qui et Lambertus.

## FOLBERTUS XXIX ABBAS.

Anno Domini MXXXIX, factus est abbas XXIX Gandensis coenobii Folbertus, qui praefuit annis XXVIII. Septimo idus Aprilis visa est coelo ignea trabes<sup>4</sup> mirae magnitudinis. Conradus imperator Italiam adit, ut rebellionem meditantibus debellaret, maxime Lombardos, qui conjuraverant neminem in dominum suscipere, qui aliud, quam ipsi vellent, contra se ageret. Quosdam episcopos in vincula jecit, et quia episcopus Mediolanensis fuga lapsus est, imperator suburbia Mediolani incendit. Die Penthecostes, cum imperator in parva ecclesia secus urbem ad missam coronaretur, tam gravia fuerunt tonitrua et fulgura, ut aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. Bruno vero episcopus, qui missam canebat, et secretarius imperatoris cum aliis tribus dixerunt, se inter missarum solemnias vidisse sanctum Ambrosium imperatori comminantem indignando. Imperator ergo ab Italia decessit. Pridie idus Maii, eclipsis solis fuit, et pridie nonas Junii imperator obiit. Post quem Henricus filius ejus imperavit annis septemdecim.

Obiit etiam Theodoricus, comes Hollandiae. Cui successit Theodoricus filius ejus<sup>5</sup>.

Anno MXL, Henricus<sup>6</sup> imperator ad debellandum Bohemos vadit, sed

<sup>1</sup> Similia SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 446.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB. ex *Codicibus Gembl. et Aquincinct.* — AEG. DE ROYA, pag. 19.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Chron. Egmondanum*, edid. KLUIT, pag. 45, — AEG. DE ROYA, pag. 19.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

Bohemis fortiter resistentibus, inefficax rediit. Mathildis<sup>1</sup>, soror Lamberti, olim comitis Lovaniensis, nubit comiti Bononiae, unde nascitur comes Bononiae Eustacius, pater Godefridi de *Bullon*.

Anno MXLI, sanctus Walterus abbas apud Pontisaram migravit. Henricus imperator, per orationes sanctorum virorum auxilio Dei sibi procurato, superioris anni infortunium ultus, Odelricum, ducem Bohemiae, subjugat.

Anno MXLII, inundatio<sup>2</sup> maris, quarto nonas Junii, facta est. Inter Hungaros bello intestino moto, Petrus rex, ab eis depulsus regno, auxilium Henrici imperatoris interpellat. Qui potenter ei patrocinans Hungariam devastat. Guato, alias Wazo, fit Leodiensis episcopus.

Haroldus<sup>3</sup>, rex Anglorum, moritur. Cui succedit Herdechutus, Cuthonis filius, qui vix regnavit uno anno.

Anno MXLIII, ad deportationem sancti Gudwali visa est inclinare imago Crucifixi. Henricus<sup>4</sup> imperator, secundo Hungariam ingressus, Obbonem regem de bello fugat, et lanceam, insigne regis, recepit. Petrum verum, quem Obbo expulerat, Hungarorum regno restituit, Hungariamque sibi tributariam facit.

Herdechutus<sup>5</sup>, Anglorum rex, ad insolentiam versus, tributum importabile Anglis imponit. Qui cum exosus esset populo suo, inter pocula spiritum exhalat. Godwinus autem comes Eduardum, filium Egelredi, fratrem Herdechuti matre Emma, filia Richardi olim ducis Normanniae, a Normannia per nuntios accersit, qui in Angliam veniens, rex Angliae factus est, et filiam Godwini Egitham accepit uxorem, quam nunquam cognovit, regnavitque XXI annis.

Anno MXLIV, Hugo, Noviomensis et Tornacensis episcopus, obiit. Balduinus successit. Fames valida<sup>6</sup> Galliam et Germaniam profligat. Gozelo dux obiit. Cui succedit Godefridus, filius ejus XXVI annis. Hic, cum ducatus Mosellanorum, quem pater ejus tenuerat, ab imperatore negaretur, contra imperatorem rebellavit.

Anno MXLV, Godefridus dux<sup>7</sup>, hortatu quorundam fidelium ad recuperandam imperatoris gratiam ad imperatorem ductus, ab ipso imperatore capitur et custodiae mancipatur, sed filio suo obside dato, relaxatur. Quo defuncto

<sup>1</sup> AEG. DE ROYA, ib.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMBL.

<sup>3</sup> HENR. HUNTINDON, pag. 363. — ROG. DE HOVEDEN, pag. 438.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> HENR. HUNTINDON, pag. 363. — ROG. DE HOVEDEN, pag. 439.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB. anno 1043.

<sup>7</sup> *Idem*, anno 1046. — AEG. DE ROYA, anno 1043, pag. 19.

in obsidatu iterum ad rebellandum grassatur. Benedictus, simoniace papatu invaso, cum<sup>1</sup> esset rudis litterarum, ad vices ecclesiastici officii exequendas secundum papam consecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tertius superducitur, qui solus vices duorum implet.

Anno MXLVI, ecclesia sanctae Gertrudis Nivellensis<sup>2</sup>, quae ante aliquot annos propter negligentiam et incuriam effusi sanguinis Domini concremata fuerat, in novam reaedificata benedicitur, praesente Henrico imperatore, Romae<sup>3</sup> uno contra duos et duobus contra unum de papatu altercantibus, Henricus rex contra eos Romam vadit, et eis canonica et imperiali censura depositis, Sindigerus<sup>4</sup> Bambergensis episcopus, qui et Clemens II dictus est, praesidet, et ab eo rex Henricus in imperatorem benedicitur, jurantibus Romanis, se sine ejus consensu nunquam papam electuros.

Balduinus, comes Flandriae, instinctu Godefridi ducis contra imperatorem rebellat<sup>5</sup>. Theodorico Metensium episcopo defuncto, succedit Adelbero, fratruelis ejus<sup>6</sup>.

Anno MXLVII, Popo<sup>7</sup>, qui Damasus, Romanae ecclesiae praesidet. Henricus imperator contra Balduinum, comitem Flandriae, venit. Intrans per Cameracum terram comitis Balduini, per ante Attrebatum usque ad *Arkas*, villam sancti Bertini, processit, putans saltem illic posse ingredi Flandrias. Comes vero Flandriam vallo et aggere et palo fixo contra eum munierat. Caesar ergo inefficax rediit. Quem comes usque Rhenum est insecutus, et castrum ejus sive palatium apud Noviomagium combussit, et rediit cum suo exercitu<sup>8</sup>.

Nix tanta in Occidente cecidit, ut silvas frangeret<sup>9</sup>. Wilhelmus, dux Normanniae, uxorem duxit Mathildem filiam Balduini comitis Flandriae, quae postea peperit ei Wilhelmum, postmodum regem Angliae.

Anno MXLVIII, religiosi<sup>10</sup> et sancti viri plures obierunt: Odilo, abbas Cluniacensis, cui Hugo successit; Poppo Stabulensis; Guatho, episcopus Leodiensis, cui successit Deoduinus; Olbertus, abbas Gemblacensis. Albertus, qui

<sup>1</sup> MART. POLON. ad pontif. Benedict. IX iisdem verbis.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB. anno 1047.

<sup>3</sup> Ex MART. POLON. ad pontif. Benedict. IX.

<sup>4</sup> *Idem*: Sindigerum, Balbergensem episcopum, qui et Clemens dictus est, in papatum per vim substituit, a quo Henricus coronatur imperator, Romanis sibi promittentibus et jurantibus...

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 19.

<sup>6</sup> *Idem*.

<sup>7</sup> *Idem* anno 1048.

<sup>8</sup> *Geneal. Comit. Flandriae.* — AEG. DE ROYA, anno 1046, pag. 19.

<sup>9</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>10</sup> *Idem*, anno 1048. — AEG. DE ROYA, pag. 19.

ducatum Mosellanorum Godefrido negatum suscepérat, a Godefrido perimitur; ducatum ejus Gerardus de Alsatia; alterum vero ducatum Fredericus obtinet. Bruno, Leucórum episcopus, fit papa et Leo IX dictus est, vir sanctitate plenus.

Anno MXLIX, Theodoricus, comes Hollandiae, ab inimicis suis apud Dor-dracum perimitur<sup>1</sup>. Cui successit frater ejus Florentius. Leo papa<sup>2</sup> in Gallias veniens, ut motus inter imperatorem et Godefridum ducem et Balduinum, comitem Flandriae, sedaret, Godefridum quidem imperatori reconciliavit. Balduino pertinacius agente, contra eum imperator exercitum duxit, et ad vallum, quod dicitur Bulliens-rivus, veniens Tornacum invasit, et captis aliquibus nobilibus rediit. Tandem intervenientibus nuntiis condito die, Balduinus Aquis venit, imperatori reconciliatur; captivos recipit et Brachantum (sic) sub homagio de imperatore in feodum tenuit.

Anno ML, sanctus Tietbaldus<sup>3</sup> inter Franciae nobiles non infimus claret. Leo papa, dum Robertum Wiscardi et Normannos ab Italia expellere satagit, cum multis capitur. Qui relaxari noluit nisi etiam suis relaxatis. Bardo, episcopus Moguntiae, obiit, cujus sanctitas per multam miraculorum gratiam patuit.

Anno MLI, monasterium juxta Brugas ordinis regularium, vulgariter *Eecholt* dictum, fundatur. Francia<sup>4</sup> turbatur per Berengarium<sup>5</sup> Turonensem, qui asserebat Eucharistiam revera non esse corpus et sanguinem Christi, sed figuram corporis et sanguinis Christi. Balduinus, comes Flandriae, defuncto Hermanno, comitatum Hannoniae invasit<sup>6</sup>, et relictam ejusdem Hermanni, Rikildim comitissam, filio suo Balduino copulat, et iterum imperatori rebellat; sicque Hannonia subjicitur comitibus Flandriae. Maga quaedam in Anglia a daemonibus in corpore et anima, cunctis videntibus, post mortem aufertur.

Anno MLII, sanctus Wolfgangus, Ratisponensis episcopus, similiter et sanctus Gerardus, Tullensis episcopus, a papa Leone canonizantur. Rex Hungariae<sup>7</sup> ab imperatore dissentit. Pro quo reconciliando, Leo papa ad impera-

<sup>1</sup> *Chr. Egm.*, anno 1048 — AEG. DE ROYA, ib.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB., anno 1049. — AEG. DE ROYA, pag. 19.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, ib.

<sup>5</sup> MART. POLON. ad regnum Henrici II.

<sup>6</sup> AEG. DE ROYA, pag. 20.

<sup>7</sup> SIGISB. GEMB.

tozem venit, sed amicis discordiae returbantibus, id frustra fuit. Balduinus Montensis, filius Balduini Flandrens<sup>1</sup>, cum Rikilde uxore sua ab Ingelberto Cameracensi episcopo, eo quod incestum commisisset ducendo relictam Hermann<sup>2</sup> cognati sui, excommunicatur, sed a papa Leone, ipsius Rikildis avunculo, absoluti indulgentiam meruerunt.

Corpus sancti Bertini abbatis a terra levatur.

Anno MLIII, Balduinus, comes Flandriae, terminos Lotharingiae incurans, Hoyum oppidum incendit<sup>2</sup>. Godefridus dux iterum rebellat, quia ducta uxore Bonifacii marchionis, jussu imperatoris a Longobardia excluditur.

In Anglia<sup>3</sup> magna dissensio inter regem et Godwinum et filios ejus orta est, ita quod Godwinus cum filio in Flandriam fugeret, alter vero filius ejus in Hiberniam transiret: tandem omnes, tam pater quam filii, regi reconciliati sunt.

Leo<sup>4</sup> papa, Vercellis habito concilio contra Berengarium, ipsum excommunicavit, ac dogma ejus anathematizavit; ibi etiam liber Johannis Scoti de Eucharistia damnatus est. Graecis<sup>5</sup> in haeresim multiformem declinantibus, auctore Michael<sup>6</sup> patriarcha Constantinopolitano et Leone Acridano, Bulgarum archiepiscopo, Leo, propter errores eorum redarguens, scribit contra eos librum firmis Scripturarum testimoniis roboratum. Nicetas etiam, monachus Constantinopolitanus, qui agnominabatur Pectoratus, scripsit contra Romanos librum plenum erroris et stultitiae, praetitulatum *de Azymo, de Sabbato, de Nuptiis sacerdotum*.

Anno MLIV, Henricus<sup>6</sup> imperator, Henrico filio suo adhuc puero Aquisgrani in regem sublimato, contra Balduinum, comitem Flandriae, proficiscitur, et Scaldam fluvium pertransito, Balduino fugiente, Lambertum comitem, satellitem Balduini, cum multis perimit, et multos Flandrenses primatos, intra urbem Tornacum obsessos, capit.

Leo papa<sup>7</sup>, per epistolam ad imperatorem Constantinum scriptam animum ejus sibi concilians, apocrisarios suos, Himbertum videlicet, cardinalem epis-

<sup>1</sup> *Geneal. Comit. Flandriae* — AEG. DE ROYA, pag. 20.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 20.

<sup>3</sup> HENR. HUNTINDON., pag. 366. — ROG. DE HOVEDEN, pag. 443.

<sup>4</sup> MART. POLON. eadem sed aliter, Nicolao pontifici., atque etiam ad regnum Henrici II.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem.*

<sup>7</sup> *Idem.*

copum, Fredericum quoque, septimum levitam et cancellarium, Constantinopolim mittit ad confutandas Graecorum haereses, qui, ut Simoniaci, donum Dei vendebant; ut Valesii, hospites suos castratos etiam ad episcopatum promovebant; ut Arriani, rebaptizabant Latinos baptizatos in nomine sanctae Trinitatis; ut Donatistae, in sola Graecia orthodoxam esse ecclesiam jactabant; ut Nicolaitae, nuptias sacerdotibus concedebant; ut Severiani, maledictam dicebant legem Moysi; ut Pneumatomachi, professionem Spiritus Sancti a symbolo absceidebant; ut Nazareni, Judaismum observabant: parvulos morientes ante octavum a nativitate diem baptizari, mulieres in partu vel in menstruo periclitantes communicari, vel si paganae essent, baptizari prohibebant; Latinos vocabant Azymitas, et eos nimis persequentes, eorum ecclesias claudebant; de fermentato sacrificabant, in filiis suis Romanam ecclesiam anathematizabant, eique ecclesiam Constantinopolitanam praeponabant. Ab imperatore ergo benigne habiti Nicetam monachum ante eum vicerunt, adeo ut librum, quem contra Romanos scripserat, anathematizaret et incenderet. Michaële patriarcha nolente eis colloqui, charta excommunicationis coram clero et populo super altare sanctae Sophiae posita, recedunt. Michaël chartam ipsam corrumpens populoque legens, illos ab imperatore revocatos ad synodum absente imperatore, convocavit, ut a populo lapidarentur. Quod imperatore prohibente, Michaël commovit populum contra eum, sed convictus chartam excommunicationis falsasse, Michaël omnesque sui a gratia et palatio imperatoris amoti sunt.

Anno MLV, Leo papa moritur. Cui succedit Victor, prius dictus Gebahardus<sup>1</sup>, Eistediensi episcopus. Anno ordinatur Coloniae episcopus<sup>2</sup>.

Sanctus Eduardus, rex Angliae, nonas Januarii migravit. Imperatore in Italia constituto, milites ejus Sclavis et Lutitanis bello congressi, multi capiuntur aut perimuntur. Balduinus, comes Flandriae, cum Godefrido, avunculum suum Fredericum ducem intra Andoverpum obsidet, sed, concurrentibus Lotharingis, ab oppugnatione desistit<sup>3</sup>. Romae corpus Pallantis gigantis, filii Evandri, integrum repertum est cum epitaphio tali:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni  
Militis occidit, more suo jacet hic.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem* — AEG. DE ROYA, pag. 20.



Vulnus lanceae quatuor pedes cum dimidio habebat, ardens lucerna ad caput inventa est, quae nulla arte exstingui potuit, donec, subtus facto foramine, ventus et aër intravit.

Anno MLVI, canonici Insulis in ecclesia sancti Petri a Balduino, comite Flandriae, fundata instituuntur. Victor papa<sup>1</sup>, in Gallias veniens, gloriose ab imperatore suscipitur, et, eo praesente, non multo post imperator moritur. Post quem, filius ejus Henricus quartus imperat annis quinquaginta. Godwinus, comes Merciorum, moritur: nam cum ad mensam regis sederet, et sermo de Elfredo, fratre regis, cujus mors ei imputabatur, incidisset, ipse Godwinus intulit: « Tu rex ad omnes memoriam fratris tui rugato, ut video, vultu aspicias, sed non patiatur Deus, ut hanc offam deglutiam, si fui conscius alicujus rei, quae spectabat ad ejus periculum et tui incommodum. » Quo dicto, offa, quam in os miserat, suffocatus oculos invertit ad mortem. Inde ab Haroldo filio suo, qui regi adstabat, sub mensa extractus est mortuus.

Anno MLVII, templum sancti Petri in *Aldenborch*, septimo kal. Maii, inchoatur. Generali conventu Coloniae<sup>2</sup> habito, Balduinus, comes Flandriae, et Godefridus dux, mediante papa Victore, ad pacem et gratiam imperatoris reducuntur, et omnes bellorum motus sedantur.

Rex Angliae Eduardus, in diē Paschae ad mensam sedens, visionem de reversione septem dormientium a latere dextro in sinistrum vidisse dicitur. Winfredus, dux Apuliae, moritur. Cui cum filius succedere vellet, Robertus Guiscardus ejus cognatus dominium arripuit, suum nepotem expellens.

Anno MLVIII, facta est secunda translatio sancti Bavonis<sup>3</sup> a Balduino, Noviomensi episcopo, et abbate Folberto, sexto idus Maii. Ad cujus fere trum honeste decorandum, quidam, nomine Bruno, dedit sancto Bavoni novem marcas auri et dimidiam, pro pretio et praebenda aurificis quatuordecim libras. Dedit etiam crucem, dimidiam marcam auri et pondus decem et octo denariorum, continentem, duos calices cum patenis quinque marcas habentes, duas casulas, duas cappas et duo pallia. Haec sunt quae praedictus Bruno pro remedio peccatorum suorum sancto Bavoni contulit, commonefaciens praesentis et futuri temporis seniores pariter et juniores, ut ipsius

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.—AEG. DE ROYA, loc. cit.

<sup>3</sup> *Ann. sancti Bav.*, supra, pag. 446.

memoria non deleatur, sed per omne temporis aevum in commune fraternarum precum memorialis habeatur.

In Frisonia<sup>1</sup> captis ab Henrico imperatore aliquibus castellis, Frisones a rebellionem refraenantur: — Padeburna, Germaniae civitas, combusta est cum majori ecclesia. In monasterio autem monachorum, Scotus quidam monachus, nomine Paternus, multo tempore reclusus, qui etiam hoc incendium saepe praedixerat, propter propositum reclusionis exire nolens, se comburi passus est.

Turonis concilio episcoporum congregato, ab Hildebrando, ecclesiae Romanae archidiacono, Berengarius condemnatus est. Qui postea ita se correxit, ut a quibusdam sanctus habeatur. Adventus sanctae Lewinnae virginis de Anglia ad Bergas monasterium sancti Winnoci.

Anno MLIX, Romanae<sup>2</sup> ecclesiae Stephanus papa praesidet; hic prius Fredericus dicebatur: Gozelonis ducis filius, quia exosus erat imperatori Henrico, pro odio fratris sui Godefridi ducis, post legationem Constantinopolitanam apud Cassienses monachus et postea abbas factus, electione Romanorum pervenit ad papatum.

In pago<sup>3</sup> Brachatensi (sic) juxta Tornacum, multitudines colubrorum altrinsecus congregatae, prodigioso praelio inter se cucurrerunt, et multis utrinque occisis, victa pars fugiens in cavo arboris se abscondit; altera pars, vincentium more insequens, cum sibilo circumstrepebat, donec circumjecto ab hominibus igne omnes crematae sunt.

Anno MLX, Henricus, rex Francorum, obiit. Philippus filius ejus regnavit post eum annis XLIX<sup>4</sup>. Qui cum esset adhuc infantilis aetatis, Balduinus Pius, comes Flandriae, avunculus ejus et tutor, regnum gubernavit, donec rex esset habilis ad regendum<sup>5</sup>. Cometes apparuit. Romae mortuo Stephano papa, succedit Benedictus mensibus decem. Post quem sedit Nicolaus II annis quatuor; hic prius Gerardus dictus est, episcopus Florentinus.

Anno MLXI, Marcianus<sup>6</sup> chronographus claret, qui a Scotia in Gallias veniens, Coloniae factus monachus, primo apud Fuldam, postea apud Moguntiam reclusus est. Portentum visum est: nam fuit una mulier duo habens

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 20.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> *Idem.*

<sup>5</sup> *Geneal. Comit. Flandriae.* — AEG. DE ROYA, loc. cit.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB., ubi recte appellatur Marianus.

capita, quatuor brachia et omnia duplicia usque in umbilicum, ab umbilico inferius erat simplex et una.

Anno MLXII, Anno<sup>1</sup>, Coloniensis archiepiscopus, consilio primorum regni indigne ferentium, per Agnetem matrem imperatoris Henrici regnum non viriliter gubernari, puerum violenter et industrie captum sub tutela sua accepit, et imperii regimen a matre ejus amovit, et de hac re coram cunctis ratione reddita, gratiam domini sui imperatoris recepit, et per ipsum filium ad gratiam matris ejus rediit. Florentius<sup>2</sup>, comes Hollandiae, postquam de inimicis suis, qui fratrem suum Dordraci occiderant, triumphaverat, cum crederet pausare sub quadam arbore, ab eis incaute circumventus occiditur. Post cujus mortem, uxor ejus tenuit comitatum duobus annis, postea nupsit Roberto Frisoni, filio Balduini Pii, comitis Flandriae, qui propterea Friso dictus est.

Anno MLXIII, indictione prima, Balduinus, comes Flandriae, et Athela, uxor ejus, fundarunt monasterium sancti Salvatoris Eyhamensis juxta Alde-nardum<sup>3</sup>. Hoc anno finitur<sup>4</sup> magnus cyclus DXXXII annorum, continens cyclos decennovennales XXVIII.

Balduinus<sup>5</sup> Pius, comes Flandriae, Robertum filium suum ad sancta Dei evangelia jurare fecit, nunquam ad comitatum Flandriae manum appositurum, et sic dedit ei comitatum Hollandiae, Zelandiae, ac partem Frisiae cum uxore Florentii comitis, salva hereditate filiorum ejusdem Florentii, dum comitatus ad eos rediret.

Exercitus multus a Galliis in Hispanias ad debellandos Sarracenos proficiscitur, sed omni regione a Sarracenis vastata, urgente fame inefficax revertitur.

Ecclesia sanctae Pharaïldis virginis consecratur.

Anno MLXIV, Alexander, Lucensis episcopus, Romanae ecclesiae praesidet. Contra quem Cadulus, Parmensis episcopus, papatum ambiens, magno scandalo ecclesiae fuit, quia longa inter eos concertatio etiam usque ad homicidia prorupit.

Balduinus comes Robertum jurare fecit hoc anno<sup>6</sup>, quod in praecedenti erronee ponitur.

Anno MLXV, mortuo Frederico<sup>7</sup>, qui partem in Lotharingia habebat,

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> AEG. DE ROYA, pag. 20.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB., ex *Cod. Lipsiensi*.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> *Geneal. Comit. Flandriae*.

<sup>6</sup> AEG. DE ROYA, anno 1064, pag. 20.

<sup>7</sup> SIGISB. GEMB.

Godefridus, cognomento Audax, ducatum integrum recepit. Multi, usque ad septem millia, orandi voto Hierosolymam petentes, ab Arabicis in parasceve, in quodam castello obsessi sunt, et tot occisi aut vulnerati, ut de septem et eo amplius millibus vix duo millia reversi sunt. Eduardus, rex Anglorum, obiit, eique Haraldus succedit<sup>1</sup>.

Anno MLXVI, Fölbertus, abbas Gandensis coenobii, obiit septimo idus Martii, sepultusque est ante basilicam sancti Benedicti. Cui Sygerus successit. Cometes<sup>2</sup> apparuit tota Paschali hebdomada.

Haricnuth, rex Nordanhymbrorum, cum mille pene navibus venit in Angliam regnaturus, et in urbe Eboraci plus quam mille laicos, centum presbyteros de Anglis occidit. Cui Haraldus, rex Anglorum, cum septem legionibus superveniens, eum cum multis occidit. Interim Wilhelmus, comes Normannorum, cum Francis Angliam intrat, et conserto cum Anglis praelio Haraldum cum multis millibus perimit, et regnat in Anglia annis XXVI.

Obiit sanctus Theobaldus, in Vincentia Venetiae urbe reclusus. Normanni, duce Roberto Guiscardi, in praejudicium papae Apuliam occupantes, fines Campaniae invadunt. Quos Godefridus, dux Spoletanus, et comitissa Mathildis de Campaniae finibus expulerunt.

SYGERUS XXX ABBAS.

Tricesimus abbas Gandensis coenobii, defuncto, ut praemittitur, Folberto succedens, Sygerus praefuit annis circiter octo, et postea absolvitur.

Anno MLXVII, Cono<sup>3</sup>, qui et Conradus, Primicerius Coloniensis, ab imperatore Henrico ad suscipiendum archiepiscopatum Trevirorum missus, a Theodorico, Trevirorum comite, martyrizatur. Robertus Guiscardi Barum Apuliae terra marique obsedit, pontes in mari faciens, et cepit. Elevatio sancti Macharii<sup>4</sup>, Antiochenae sedis archiepiscopi, facta est in coenobio Gandensi a Balduino, Noviomensi episcopo, et Liethberto, Cameracensi episcopo, septimo idus Maii; praesentibus abbatibus plurimis et monachis, cum sanctorum suorum corporibus ex ipsorum coenobiis ibidem secum allatis; praesentibus etiam Philippo, rege Franciae, Balduino Insulano, Flandrensium comite, et filio ejus Balduino, Hannoniensium comite aliisque principibus

<sup>1</sup> ROG. DE HOVEDEN, pag. 456-457.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> *Annales S. Bavonis*, supra, pag. 447.

et magnatibus quamplurimis, cum innumerabili utriusque sexus populo ibidem tunc congregato. In crastino autem praedictae elevationis, praesentibus supradictis episcopis, abbatibus, principibus et magnatibus dedicata est Gandensis ecclesia in Christi nomine omniumque sanctorum honore cum ingenti gloria et honore. Balduinus Pius<sup>1</sup>, sive Insulanus, comes Flandriae, obiit, et in ecclesia sancti Petri Insulensis sepelitur. Cui succedit Balduinus filius ejus, dictus Hannoniensis, eo quod duxerit Rikildem, comitissam Hannoniensem, et tenuit utrumque comitatum Flandriae, scilicet et Hannoniae, tribus annis in tanta pace, ut non esset opus arma portare, ostia claudere. Ideo Bonus Comes dictus est.

Anno MLXVIII, Balduinus, Noviomensis episcopus, obiit. Cui successit Radbodo. Theodoricus, comes Treverorum, de martyrizato Conone reus, exiliatur ab imperatore, et suscepta peregrinatione Hierosolymam eundi, quid de eo et de omnibus, qui in comitatu ejus pergebant, actum sit nescitur.

Angli, qui Wilhelmo regi obedire noluerunt, hinc Scotis, hinc Normannis, hinc Francis infestantibus, fame consumuntur: multi eorum in castris clusi etiam carnibus humanis vescuntur.

Anno MLXIX, fluminibus<sup>2</sup> glaciali rigore constrictis, imperator Henricus terram Lutitanorum ingressus eos nimia caede prosternit et terram nimium depopulatur. Henricus<sup>3</sup>, comes Lovaniensis, moritur. Cui succedit filius ejus Henricus, qui filiam Roberti Frisonis postea accipiens in uxorem, genuit ex ea Godefridum cum Barba, ducem Brabantiae.

Anno MLXX, Gerardus<sup>4</sup>, dux Mosellanorum, moritur. Cui succedit filius ejus Theodoricus. Hungari contra regem suum Salomonem rebellionem meditantur, sed terrore Henrici imperatoris, cujus soror nupserat Salomoni refraenantur. Godefridus, dux Lotharingiae, moritur. Cui succedit filius ejus Godefridus, gibbosus et corpore exiguus: animo tamen eximius fuit<sup>5</sup>.

Balduinus, comes Flandrensis et Hannoniensis, deferri fecit corpora omnium sanctorum Flandriae et Hannoniae ad dedicationem ecclesiae Hasnonensis. Post quam dedicationem, idem Balduinus, vix quadraginta dies vivens, Brugis obiit, sed Hasnone tumulatur. In hac dedicatione fuit abbas Sygerus cum corpore sancti Bavonis. Defuncto ergo Balduino comite, succe-

<sup>1</sup> *Geneal. Comit. Flandriae* — AEG. DE ROYA, pag. 20.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> AEG. DE ROYA, pag. 20.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> AEG. DE ROYA, ib.

dit ei Arnulfus filius ejus cum Rikilde matre in comitatu Flandriae. Baldunus autem, alter filius ejus, comitatum Hannoniae tenuit<sup>1</sup>, ut heres proprius, XXVIII annis; et Arnulfus, comitatum Flandriae duobus annis. Robertus autem Friso petiit partem in Flandria, sed non obtinuit; quare de Frisia exiens, tradito sibi castello, quod Casletum dicitur, idus Februarii Flandriam invadit, Arnulpho puero, nepote suo, tunc forte cum Rikilde matre sua Corbeiae apud curiam regis Franciae Philippi commorante. Rex autem, hoc audito, cum Arnulpho puero, collecto exercitu, venit ad expellendum Robertum. Exorta autem pugna X kal. Martii, Arnulfus puer in primo conflictu occiditur, multique potentes viri cum eo trucidantur. Rex fugatur, Richildis comitissa capitur, ad ultimum vero ipse Robertus ab Eustachio, comite Bolo-niensi, intercipitur; sed paulo post pro Rikilde Flandrensibus redditur.

Godeleva martyrizatur.

Anno MLXXI, Treveris<sup>2</sup> corpus sancti Paulini, episcopi et confessoris in crypta subterranea a Felice episcopo reperitur, et cum eo multa corpora sanctorum. — Robertus Guiscardi, Baro Apuliae capto, Panormium obsidet, et anno sequenti capit.

Godefridus, dux Brabantiae, cognomento Gibbosus, ultiores Frisones bello aggressus, eos pene ad interneccionem delet.

Collegium canonicorum in Casleto, in honore sancti Petri, per Robertum Frisonem fundatur.

Anno MLXXII, ecclesia parochialis<sup>3</sup> in castro Gandensi sita, quae vulgari-ter nominatur ecclesia sancti Christi, sive *Christikerka*, dedicata est in honore sanctae crucis sanctique Bavonis a Radbodo, Noviomensi episcopo, abbate Sygero, cum omni congregatione fratrum sibi commissa, haec honorifice procurante. Translatio sancti Gerulfi martyris ab eodem Radbodo facta est. Monasterium Watinense canonicorum regularium fundatur.

Anno MLXXIII, portiones<sup>4</sup> reliquiarum sancti Bavonis sanctaeque Pharaïldis a sancto Gerardo, abbate Gandensis coenobii, Arnulpho Magno, comite Flandrensium, gratiose dudum concessae, in ecclesia novi castelli supra ripam fluminis Legiae in fisco Gandensis coenobii sita et in praefatorum sanctorum Bavonis et Pharaïldis olim honore consecrata, translatae sunt per Radbodum,

<sup>1</sup> AEG. DE ROYA, pag. 20.—ADR. DE BUDT *Ch. Fl.*

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 447.

<sup>4</sup> *Ibidem*, pag. 447.

Noviomensem episcopum, praesentibus Sygéro Gandensium et Folcardo Blandiniensium abbatibus. Coenobium Molisminum in diocesi Lingonensi construitur.

Alexander papa moritur, et Hildebrandus, qui Gregorius septimus dictus est, praesidet<sup>1</sup>. Hermannus Leódiensis fit episcopus Metensis.

Rex Francorum Philippus<sup>2</sup> dolens suam confusionem, apud Casletum a Flamingis illatam, cum majori exercitu Flandriam repetit. Ad sanctum Audomarum veniens suburbana incendit, villam capit et depraedatur. In territorio Viromandensi vacca crucem quotidie, eundo ad pascua et redeundo, adoravit. Sygerus, abbas Gandensis, sponte sua absolvitur, et Stephanus de Echmundis vi introducit<sup>3</sup>.

STEPHANUS XXXI ABBAS.

Tricesimus primus abbas Gandensis Stephanus factus, tribus circiter annis abbatizavit.

Anno MLXXIV, reliquiae<sup>4</sup> diversae sanctorum et sanctarum translatae sunt per Stephanum, abbatem Gandensis coenobii, et ipsius fratrum congregationem in ecclesia parochiali sanctae crucis sanctique Bavonis, et in novum scrinium decenter collocatae. Altare summum ecclesiae de *Eckerghem* consecratur. Gregorius<sup>5</sup> papa, celebrata synodo, Symoniacos anathematizat, uxoratos sacerdotes a divino officio removet, et laicis missas eorum audire interdicat, ut multis visum est, inconsiderato praejudicio contra sanctorum patrum sententiam. Ex qua re tam grave oritur scandalum, ut nullius haeresis tempore sancta ecclesia graviori schismate discissa sit.

Anno MLXXV, Henricus<sup>6</sup> imperator Saxones gravissimo bello vicit, eosque iterata expeditione perurgens ad deditionem coegit. Hungari contra imperatorem rebellant, regemque suum Salomonem regno deturbatum sub diutina custodia excruciant. Deoduinus, episcopus Leódiensis, obiit. Cui successit Henricus, vita et genere nobilis. Anno, episcopus Coloniensis, vir sanctus, migravit.

Robertus<sup>7</sup> Friso Jerusalem pergens, porta templi ei se clausit. Qui confusus delictum suum cuidam viro sancto confessus, iterum veniens, porta

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> AEG. DE ROYA, pag. 21.

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 447.

<sup>4</sup> *Ibidem*, pag. 447.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem*.

<sup>7</sup> AEG. DE ROYA, p. 21.

sibi patente, ingressus visiones aliquas habuit, deinde rediit ad patriam.

Anno MLXXXVI, Gregorius papa in imperatorem invehitur<sup>1</sup> animosque plurimum ab eo avertit. Godefridus Gibbosus, dux Brabantiae, moritur per servum suum, dum ad necessaria naturae transiret, gladio in fundamento perfossus<sup>2</sup>. Gelu magnum a kal. Novembris usque medium Aprilis duravit. Lietbertus, Cameracensis episcopus, obiit. Gerardus successit<sup>3</sup>. Balduinus, comes Hannoniae, volens vindicare mortem Arnulfi fratris sui, in Flandriam venit, sed turpiter fugatus ad propria remeavit<sup>4</sup>.

Stephanus, abbas Gandensis, deponitur. Cui Wichmannus successit<sup>5</sup>.

WICHMANNUS XXXII ABBAS.

Tricesimus secundus abbas Gandensis coenobii, Wichmannus, praefuit in regimine pene annis septemdecim.

Anno MLXXVII, Folcardus, praepositus Troncinensis, obiit, et Folcro Gandensis successit. Ordo Grandimontensis incepit in Mureto, juxta Lemovicas, per beatum Stephanum eremitam.

Henricus imperator<sup>6</sup>, coacto WORMATIAE concilio XXIV episcoporum et multorum primatum, omnia decreta Gregorii papae et facta irrita esse debere decernit, ibique omnes praeter paucos Gregorium abjurant. Gregorius papa imperatorem Romae excommunicat. Henricus imperator, in Lombardiam veniens et Gregorio papae occurrens, nudis pedibus absolutionem suam impetrat. Omnes, qui prius Gregorium abjuraverant, imperatorem abjurant et Rodulfum, Burgundionum ducem, super se regem statuunt. Cui missa est corona a papa, cui erat inscriptum :

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulfo.

Hunc Sigifridus, archiepiscopus Moguntiae, in regem benedixit, et facta a Moguntinis seditione contra eos, Rodulfus cum archiepiscopo noctu aufugit.

Robertus<sup>7</sup> Friso Senior, comes Flandriae, moritur, et apud Casletum in

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> AEG. DE ROYA, pag. 21.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>4</sup> AEG. DE ROYA, ib.

<sup>5</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 447.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> *Geneal. Comit. Flandriae*.



ecclesia sancti Petri sepelitur. Post quem Robertus Friso Junior, filius ejus, comitatum tenuit XXXIV annis.

Anno MLXXVIII, Robertus Guiscardi Beneventum obsidet, sed ex praecepto papae destitit. Henricus imperator Sueviam pervagatus castella frangit<sup>1</sup>, et omnia depopulando, multos, qui a se desperando defecerant, ad se trahit. Hermannus<sup>2</sup>, favens Gregorio et imperatori displicens, urbe Metensi pellitur.

Theodoricus<sup>3</sup>, comes Hollandiae, episcopum Trajectensem bello superat. Michaël, imperator Constantinopolitanus, ab Alexio expellitur. Drogo, episcopus Morinensis, obiit, anno episcopatus XLIX. Hubertus successit.

Anno MLXXIX, inceptum est coenobium in insula, quod dicitur Aquincinctus<sup>4</sup>. Templum sancti Audomari incensum est<sup>5</sup>. Turci<sup>6</sup> in oriente super Arabes invaluerunt, et Anthiochiam capiunt. Henricus imperator, in Penthecoste conventu habito, Moguntiae decernit Gregorium a papatu esse depouendum, et Longobardiam petens, Guibertum<sup>7</sup>, Ravennae archiepiscopum, papam designat.

Anno MLXXX, translatio reliquiarum<sup>8</sup> sanctorum Pancratii et Barbarae, martyrum Christi, cum multis aliorum sanctorum reliquiis, facta est in coenobio Gandensi per dominum Wichmannum abbatem, primo die kalendarum Augusti. Folcro, praepositus Troncinensis, obiit. Amandus presbyter successit. Gregorius<sup>9</sup> papa dixit, sibi divinitus esse revelatum, falsum regem hoc anno esse moriturum, per falsum regem Henricum intelligens. Sed non sic fuit; nam rex Henricus cum Saxonibus gravi proelio congressus, falsus rex Rodolphus cum multis Saxoniae principibus exstinguitur. — In Moguntia maximus exstitit terrae motus.

Mirabile accidit de campanili beatae Mariae Aldenborgensis, in aëre elevato, et per sex dies et noctes sic permanente, ac iterum relicato. Coenobium Aquincinctense concrematur per incuriam fratrum. Sanctus Stanislaus, episcopus Cracoviensis, a rege Poloniae martyrizatur.

Anno MLXXXI, Moguntia ex maxima parte incendio conflagravit<sup>10</sup>. Magnus

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> AEG. DE ROYA, pag. 21.

<sup>4</sup> *Chron. sancti Bertini*, pag. 586.

<sup>5</sup> *Idem*, 588.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>7</sup> MART. POLONUS, ad Greg. VII pontif.

<sup>8</sup> *Annales S. Bav.*, sup., pag. 447.

<sup>9</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>10</sup> *Idem.*

terrae motus cum gravi terrae mugitu factus est, sexto kalendas Aprilis, prima hora noctis.

Henricus imperator, ad debellandum papam, Italiam petit. Papa, urbibus et castellis munitis, se ad rebellandum accingit, eumque Romam hostiliter aduentem non recipit. Balduinus Gandensis obiit, et filius ejus Balduinus succedit.

Anno MLXXXII, reversio canonicorum sancti Audomari, Lamberto deposito. Henricus<sup>1</sup> imperator, expugnatis urbibus et castellis, Romam Leoninam obsidet. In Gallia Hermannus, miles Hermanni episcopi, corona sibi imposita, post Rodulfum in Saxonia tyrannidem exercet. Marianus Scotus chronicam suam a nativitate Christi inchoatam usque ad hunc annum perducit.

Anno MLXXXIII, translatio prima<sup>2</sup> sancti Livini, archiepiscopi et martyris, facta est per Radbodum, episcopum Noviomensem, et Wichmannum, Gandensis coenobii abbatem. Afflighemense coenobium sumpsit exordium<sup>3</sup>. Et imago crucifixi iterum se inclinavit sancto Gudwalo. Ordo Aroasiae inceptit. Johannes Gualbertus, initiator Vallis Umbrosae, obiit. Henricus imperator<sup>4</sup> Romam obsidet. In hac expeditione Godefridus de Bulione, filius Eustacii, comitis Bononiensis, imperatori Henrico militans, insignis militia pollet. Cui Henricus postea ducatum avunculi sui concessit. Constituto die, quo papa et imperator ad discernendam causam convenire debeant, papa se subtrahente, Romani et multi Italiae episcopi a papa desciscunt<sup>5</sup>.

Anno MLXXXIV, ordo Carthusiensium inceptit. Sancta Godeleva creditur elevata apud Gistellam. Gregorius papa, Romanis eum deserentibus, ex urbe fugiens, venit ad Normannos. Romani<sup>6</sup> urbe imperatorem recipiunt. Gregorius a papatu abdicatur. Wichbertus, Ravennensis archiepiscopus, in sedem Apostolicam intronizatus, Clemens vocatur. Imperator Henricus, Romanorum patricius effectus, a Clemente papa benedicatur. Robertus<sup>7</sup> Guiscardus, multis damnis imperatori Alexio illatis, a Gregorio papa revocatur. Robertus ergo, relicto filio suo in Apulia, collecto exercitu, Romam venit. Cujus adventum Henricus imperator non sustinens cum suo papa fugit in Alemanniam, destructo capitolio et urbe Leonina. Et illo die Guiscardus urbem capiens, igni et ferro consumens, Gregorium papam in sede restituit.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 447.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB. ex *Cod. Lips.*

<sup>4</sup> REG. DE ROYA, pag. 21.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem.*

<sup>7</sup> MART. POLON. eadem refert, sed aliis verbis, ad regnum Henrici III. et ad Gregorii VII. pontifi.

Anno MLXXXV, Henricus<sup>1</sup> imperator, Moguntiae regali et synodali conventu coacto, exigit ab omnibus, Gregorii depositionem et Clementis ordinationem subscripto approbent. Cui aliqui manu et ore faventes, corde tamen Gregorio adhaerent. Imperator Henricus Saxones aggreditur; illi pacem petunt et impetrant, hoc pacto, ut, omnibus pro hac rebellione praescriptis, sua restituantur. Quod quia non est factum, iterum rebellant.

Gregorius papa, in infirmitate positus, confessus est se valde peccasse in pastoralis cura, et suadente diabolo, contra genus humanum iram et odium concitasse. Deinde facta confessione, misit cardinalem unum ad imperatorem veniam postulare. Et induta angelica veste, dimisit ac dissolvit vincula omnium bannorum suorum imperatori et omni populo christiano, vivis et mortuis, clericis et laicis. Et sic mortuus est.

Anno MLXXXVI, Saxones urbem *Wirziburch* obsidentes<sup>2</sup>, ut episcopum ipsius a civibus expulsum restituant sedi suae, Henricus imperator aggreditur, sed exercitus ejus divinitus exterritus cessit, et ceciderunt ex eis plus quam quatuor millia, ex parte Saxoniae quatuordecim tantum occisis. — Ecclesia Aquicinctensis coenobii a Gerardo, Cameracensi episcopo, consecratur. Nimia<sup>3</sup> aquarum inundatio multis in locis damno et periculo fuit. Domesticae aves, pavones, gallinae et aucae, a domibus se extraneantes, fiunt silvestres.

Rikildis, comitissa dudum Flandriae et Hannoniae, quae perperam egerat, mirabili poenitentia se affligens, jejuniis et orationibus insistens, pauperibus, leprosis et religiosis quotidie serviens, feliciter migravit<sup>4</sup>, anno viduitatis suae XVI, et apud *Hasnon* juxta Balduinum virum suum sepelitur.

Rex Anglorum Wilhelmus moritur. Cui succedit Wilhelmus II filius ejus<sup>5</sup>.

Anno MLXXXVII, Amando, praeposito Troncinensi, sponte sua deposito, Godezo, electione canonicorum praepositus, constituitur. Sanctus Arnulfus, Suessionensis episcopus, apud *Aldenburch* migravit<sup>6</sup>. Inter imperatorem et Saxones vario eventu pugnatur. Ossa sancti Nicolai episcopi a Mirra Lyciae ad civitatem Barensem transferuntur. Pisces in aquis moriuntur<sup>7</sup>. Robertus Guiscardus, dolo Alexii imperatoris Constantinopolitani, per propriam uxorem

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> *Geneal. Comit. Flandriae.*

<sup>5</sup> ROG. DE HOVEDEN, pag. 459-460.

<sup>6</sup> Ex *Cod. Lips. SIGISB. GEMB.*

<sup>7</sup> *Idem.*

veneno dato, interiit. Cui successit in Apuliae ducatu Rogerus filius ejus. Sanctus Canutus, rex Danorum, interfectus est.

Anno MLXXXVIII, corpus sanctae Godelevae apud Gistellam per Radbodum, Noviomensem episcopum, a terra levatur. In Hispania<sup>1</sup>, rex Galiciae Amplul Sarracenos fortiter debellat, et Toletum, maximam eorum urbem, per aliquot annos obsessam, tandem expugnat, et cultum Christianitatis in ea dilatat.

Odo, ex monacho Cluniacensi episcopus Ostiensis, contra imperatorem et Guibertum fit papa, et Urbanus nominatur<sup>2</sup>.

Anno MLXXXIX, Coloniae post Segiwinum Hermannus ordinatur archiepiscopus. Ducatus Lotharingiae ab imperatore Henrico datur Godefrido de Bullione. Quem tenuit septem annis<sup>3</sup>, postea Jerusalem pergit.

Annus pestilens<sup>4</sup>, maxime in occidentali parte Lotharingiae, ubi multi, sacro igne interiora consumente, computrescentes, exesis membris instar carbonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriebantur, aut manibus et pedibus putrefactis truncati, miserabiliori vitae reservabantur<sup>5</sup>.

Anno MXC, Henricus<sup>6</sup> imperator, ad debellandos adversantes sibi, Italiam repetit. Hermannus tyrannus, a Saxonia Lotharingiam repetens, dum muro castelli cujusdam incaute approximatus, jacto de turri in capite saxo, occubuit. Metis corpus sancti Clementis, primi episcopi ab apostolis illic ordinati, inventum levatur. Sterilitas frugum terrae augescit et paulatim fames irrepit.

Anno MXCI, ecclesia beatae Mariae Brugis fundatur. Et monasterium regularium de *Eversdam* inchoatur. Henricus imperator in Italia castella et munitiones adversantium sibi expugnat; Mantuam quoque obsidet et capit. Henricus, Leodiensis episcopus, obit. Otbertus succedit. Theodoricus, comes Hollandiae, moritur. Cui succedit Florentius, filius ejus.

Anno MXCII, processio Tornacensis in festo exaltationis sanctae crucis instituitur. In suburbio Tornacensi, ad septentrionalem plagam urbis, monasterium sancti Martini constituere incepit Odo Aurelianensis, ubi ipse primus abbas fuit.

Wilhelmus<sup>7</sup>, rex Anglorum, obiit. Wilhelmus filius ejus succedit. Incento-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem.*—*ARG. DE ROYA*, pag. 22.

<sup>4</sup> *Idem.*

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> *Idem.*

<sup>7</sup> *Idem.*

ribus Saxonici belli omnibus pene peremptis, Saxones pertaesi malorum, composita inter se pace, quiescunt ab omni motu bellorum. Westphali Frisoniam aggressi omnes pene a Frisonibus perimuntur. Gerardus, episcopus Cameracensis, obit. Cui Galterus succedit. Wichmannus, abbas Gandensis<sup>1</sup>, deponitur et Adelardus succedit.

## ADELARDUS XXXIII ABBAS.

Tricesimus tertius abbas Gandensis, Adelardus, praefuit annis circiter octo. Anno MXCIII, incepta est ecclesia sancti Jacobi in Gandavo.

Conrardus<sup>2</sup>, filius Henrici imperatoris, in Italiam se ad patris sui adversarios contulit, et multis se a patre ad filium vertentibus, haec res priores patris victorias multum offuscat, et vires ejus attenuat. Jaculum ignitum a meridie ad aquilonem per coelum ferri visum est.

Anno MXCIV, in Gallia et Germania gravis hominum mortalitas<sup>3</sup> facta est. In Italia illi, qui se ad imperatorem ab hostibus ejus transtulerant, eo ad Galliam reverso, omnes pene ad hostes ejus rursus transeunt, et munitiones ab eo expugnatas contra eum muniunt. Inundatio pluviarum ab idibus Octobris usque ad medium Aprilem; et ergo annus iste dictus est annus pluvialis. Mulier quaedam in Lauduno super homicidio accusata, et propter hoc igni adjudicata, ignis ei nocere nullatenus potuit, quia confessa Deo et beatæ Virgini devote se commendavit.

Anno MXCV, fames<sup>4</sup> valida multa invaluit; terræ motus factus est cum valida ventorum turbine. Panis subcinericius in comitatu Namurcensi quasi sanguine infectus est<sup>5</sup>. Urbanus papa, per Burgundiam et Franciam habitis conciliis, decreta Gregorii papae VII, sive Hildebrandi, renovat. Apud Clarummontem concilium celebrat, ad cruciatam invitat<sup>6</sup>, remissionem plenariam euntibus et ad hoc conferentibus indulget, et hac occasione Terræ Sanctæ viagium incepit.

Wilhelmus, rex Anglorum, cum fratre suo, duce Normanniae, comitatum Cenomannensem invadunt. Henricus autem, frater eorum, montem sancti Michaelis capit.

<sup>1</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 448.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> AEG. DE-ROYA, pag. 22.

<sup>6</sup> MART. POL. ad pontif. Urbani II.

Salomon, rex Hungariae, moritur. Henricus de Bruxella interfectus est apud Tornacum. Expulso ab episcopatu Cameracensi Gualthero, Manasses ei succedit<sup>1</sup>.

Anno MXCVI, eclipsis lunae<sup>2</sup> facta est tertio idus Februarii. Rursus septimo idus Augusti eclipsis lunae facta est. Stellae visae sunt discurrere quasi pulvis, cum a vento fertur. Christiani ex omnibus Europae pene partibus collecti versus Hierosolymam pergunt: quod stellarum discursus praefigurabat. Eminebant<sup>3</sup> in hoc Dei hostico dux Lotharingiae Godefridus, et fratres ejus Eustacius et Balduinus, Balduinus, comes Montensis, Robertus, comes Flandrensis, Stephanus, comes Blesensis, Hugo, frater regis Francorum, Robertus, comes Normanniae, Raymundus, comes sancti Egidii, Bojamundus, dux Apuliae<sup>4</sup>.

Anno MXCVII, exercitus Dei<sup>5</sup> sub principibus suis ab oris Cappadociae circa Niceam castra posuit, eamque in gyro circumdedit, contra quos inopinate venit Solmannus decem millia sagittariorum praemittens, qui indilate contriti sunt et totus exercitus. Radbodus, Noviomensis episcopus, obiit. Rodulfus succedit. Cometes in occidente apparuit, tota prima hebdomada Octobris. Nimia aquarum inundatione autumnalis satio impeditur et sterilitas frugum terrae sequitur. Exercitus Dei, aggressus terminos paganorum, viriliter agit, primumque eis fuit bellum ad pontem *Farphar* fluminis, IX kal. Martii, ubi multi Turcorum occisi sunt; secundum bellum fuit apud Niceam, secundo nonas Martii; capta est ergo Nicea, capta etiam Laodicea.

Anselmus, abbas Beccensis, fit Cantuariensis archiepiscopus post Lanfrancum.

Anno MXCVIII, Ordo Cisterciensis<sup>6</sup> per Robertum, abbatem Molismensem, inchoatur. Antiochia obsessa a christianis nono mense capitur; sed christiani, a paganis versa vice obsessi, tanta fame afflicti sunt, ut vix aliqui ab humanis carnibus se abstinerent, sed confortati a Deo per inventam<sup>7</sup> ipsius lanceam, a tempore apostolorum non visam, ipsi obsessi, obsessoribus cum Christi lancea quarto kal. Julii occurrentes, victoriam adepti sunt. Commissaque est Antiochia duci Bojamundo, aliique principes in Syriam proficiscuntur, et

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. ex *Chron. Aquicinct.*

<sup>2</sup> *Idem.* — AEG. DE ROYA, pag. 22.

<sup>3</sup> Non refert tot nomina ducum MART. POLON.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 23.

<sup>6</sup> *Idem.*, anno 1078.

<sup>7</sup> Vide quoque in MART. POLONO inventionem lanceae Christi, ad regnum Henrici III.

expugnatis urbibus Marra et Barra multisque regionum castellis, tanta ibi rursus fame affecti sunt, ut corpora Sarracenorum jam foetentia comedere compulsi sunt. Conradus, Ultrajectensis episcopus, feria quarta Paschae, post missam a se celebratam, a quodam suorum in domo sua perimitur. Multis in locis quinto kal. Octobris coelum quasi ardere visum est nocturno tempore, et secuta est gravis animalium pestilentia, et segetes nimio imbri et aerugine corruptae sunt.

Anno MXCIX, Adélardus, Gandensis coenobii abbas, obiit sexto nonas Martii, sepultusque est in anteriori choro versus conventum, et Wulfricus succedit.

WULFRIGUS XXXIV ABBAS.

Tricesimus quartus abbas, Wulfricus, praefuit annis fere triginta duobus. Coloniae<sup>1</sup> post Hermannum Fredericus ordinatur archiepiscopus. Christiani Turcos fortiter debellantes, tandem perveniunt Hierosolymam, eaque obsessa, cum laborarent pro victus et maxime pro aquae penuria, omnes ex communi decreto nudis pedibus, quotidie orando circuibant urbem. Octavo ergo talis humiliationis die, obsidionis autem XXXIX, capta est Hierosolyma idibus Julii in sexta feria, et in templo Salomonis et in porticu ejus christiani, cum paganis bello conserto, tanta in eis caede debacchati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent usque ad genua equorum. Godefrido duce in regem electo, principes repatriant.

Anno MC, Urbanus papa obiit. Cui successit Paschalis II.

Monasterium sancti Andreae extra Brugis per Clementiam comitissam fundatur. Robertus<sup>2</sup>, comes Flandriae, de Hierosolyma revertitur, et secum portavit partem ligni sanctae crucis, quod in collegio Furnensi dedit, et brachium sancti Georgii martyris; quod ecclesiae Aquicinctensi transmisit.

Godefridus de *Bullon*, rex Jerusalem, obiit. Balduinus frater ejus successit<sup>3</sup>. Wilhelmus, rex Anglorum, in venatione interficitur sagitta comparis ignoranter. Cui succedit Henricus I, frater ejus junior.

Anno MCI, Ypris, apud ecclesiam sancti Martini, Johannes, Morinensis episcopus, canonicos regulares instituit.

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 24.

— AEG. DE ROYA, pag. 24.

<sup>2</sup> Ex *Codice Lipsiensi* SIGISB. GEMB., pag. 167.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB.

Conrardus<sup>1</sup>, filius Henrici imperatoris, adhuc patri rebellis in Italia moritur. Henricus imperator Henricum Lemburgensem adversantem sibi debellat, et expugnatis ejus castellis, eum ad deditiōem cogit; sed imperator ei multa summa gratiam suam redimenti, etiam ducatum Lotharingiae donat. Henricus, rex Angliae, uxorem ducit filiam regis Scotiae.

Anno MCII, Roberto<sup>2</sup>, comite Flandriae, inquietante urbem Cameracum, Henricus imperator contra eum proficiscitur, et expugnatis aliquibus ejus castris, hyemis asperitate redire compellitur.

Balduinus, rex Jerusalem, cum Januensibus et Pisanis, qui Joppe applicuerunt, et cum suis, quos secum habuit, urbem *Assur* obsidet et capit, deinde Caesaream. Eodem anno<sup>3</sup>, innumerabilis multitudo Longobardorum et Italicorum, audita victoria christianorum, usque Constantinopolim venit, sed illa, deceptione Alexii imperatoris, per devia et montana transiens, quasi penitus ab insidiis Turcorum perit. Alia magna expeditio ex Francia et Alemannia venit Jerusalem via regia, et multum profuit, quorum major pars cum rege Balduino mansit.

Anno MCIII, Henricus<sup>4</sup> imperator, sedatis Saxonum motibus, pacem in quadriennium constituit. Regiae generali conventu habito, Robertus, comes Flandrensium, in gratiam imperatoris recipitur<sup>5</sup>. In Anglia, Robertus de Belesmo contra regem rebellat. Balduinus, rex Jerusalem, contra regem Babyloniae pugnans, illum et omnes suos vicit. Multi peregrini ex Italia, ab Hierosolymis revertentes, naufragium patiuntur, et quidam apud Sarracenos applicuerunt et trucidati sunt.

Anno MCIV, Henricus, rex Anglorum, Wallenses sibi rebellantes subegit, traductis in eorum regione cunctis Flandrensibus, qui in ejus regno habitabant; Britones etiam transmarinos ad ejus auxilium traducit. Raymundus, comes Provinciae, cum Pisanis et Januensibus, qui causa orandi in Syriam venerant, civitatem *Gibelothe* capit, Tripolim obsidet sed frustra. Hierosolymitae civitatem Accaron capiunt<sup>6</sup>.

Anno MCV, Florentiae concilium celebratur CCCXL episcoporum. Hierosolymitae<sup>7</sup> innumerabilem paganorum multitudinem gloriosa victoria conte-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.* — AEG. DE ROYA, pag. 24.

<sup>3</sup> AEG. DE ROYA, ib.

<sup>4</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>5</sup> AEG. DE ROYA, ib.

<sup>6</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROYA, pag. 24.

<sup>7</sup> *Idem.*



runt: Filius imperatoris Henrici, a patre aversus, quoscumque potest ab eo avertit, et obtentu meliorandae reipublicae et instaurandae ecclesiae in eum insurgit. Manasse, Cameracensi episcopo, accepto monachico habitu, Odo, primus abbas ex coenobio sancti Martini Tornacensis, in episcopatu ei succedit.

Anno MCVI, stella <sup>1</sup> per diem visa est ab hora tertia usque ad horam quintam, quasi cubito distans a sole. Toto pene mense Februario, cometa apparuit. Henricus, filius imperatoris, contra jus et fas in patrem insurgens, quam indigne eum tractaverit, declarat epistola ex ore patris ipsius scripta ad Philippum, regem Francorum. Henricus imperator Leodii moritur, ei que succedit filius ejus aequivocus. Henricus, dux Lotharingiae<sup>2</sup>, ab imperatore Henrico capitur et traditur custodiae. Qui per industriam suam evasit; ducatus ejus datur Godefrido, comiti Lovaniensi. Balduinus, rex Jerusalem, cum exercitu regis Babylonis acerrimam pugnam commisit, in quo praelio ceciderunt septem millia gentilium, cecidit et amiraldus Aschalone.

Anno MCVII, Blandinium sancti Petri curae Ansodi praepositi committitur. Abbas Sigerus, in militiam Christi accinctus, mense Julio Hierosolymam proficiscitur. Monasterium de Dunis per Ligerium juxta mare initiatur. Henricus, de *Lemburch* exdux<sup>3</sup>, affectans repetere ducatum, occupat Aquisgrani oppidum. Cui occurrens Godefridus dux, oppidum Aquense violenter irrupit, aliquos comites et multos potentes et nobiles cepit, et, facta sibi fidelitate, sub se militare coëgit; ipse Henricus cum filiis suis vix fuga evasit.

Henricus imperator Duacum venit, ibique cum Roberto comite foedus pacis iniit. Balduinus, rex Jerusalem, Sydonem obsidet, sed accepta pecunia obsidionem solvit.

Anno MCVIII, Ansodus, praepositus in Blandinio, in Januario abbas creatur, Sigerio abbate mortuo et apud Rhodum sepulto. Bojamundus<sup>4</sup>, dux Apuliae, contracto undecumque exercitu, accingitur ad invadendum Constantinopolitanum imperium. Balduinus *Burch*, princeps Edissae, a captivitate Turcorum liberatur. Tancredus, qui civitatem Edissae tenuerat, contra Balduinum vadit.

Anno MCIX, in parochia Legiensi porca enixa est porcellum habentem faciem hominis. Natus est etiam pullus Gallinae quadrupes. Imperator Hen-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>2</sup> *Idem.* — AEG. DE ROXA, pag. 24.

<sup>3</sup> SIGISB. GEMB. — AEG. DE ROXA, pag. 24.

<sup>4</sup> *Idem.*

ricus contra Hungaros vadit, sed facto pacto redit. Philippus, rex Francorum, moritur. Ludovicus filius ejus post eum regnat<sup>1</sup>. Sanctus Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, obit, et Hugo, abbas Cluniacensis. Cui succedit Pontius<sup>2</sup>. Hoc anno, multi sacro igne accenduntur, membris instar carbonum nigrescentibus.

Anno MCX, reliquiae sancti Adriani martyris ad Geraldimontem deportantur. Odo, Cameracensis episcopus, confirmat donationem comitis Flandriae de altari et cimiterio ecclesiae de Pamella, quod consecravit. Sanctus Wibertus, fundator Gemblacensis coenobii, ab Otberto, Leodiensi episcopo, elevatur. Cometes in mense Junio apparuit<sup>3</sup>. Balduinus, rex Jerusalem, iterum Sydonem obsidet. Rex Norwegiae in Joppe seu *Jaffet* cum LX navibus applicans, a Balduino honorifice susceptus et in Jerusalem deductus, omnibus visitatis, Edissam capiunt; postea rex Norwegiae Constantinopolim revertitur.

Anno MCXI, Robertus, comes Flandriae, cognomento Friso Junior, moritur. Cui succedit Balduinus, filius ejus, *Aphin* cognominatus<sup>4</sup>. Henricus<sup>5</sup> imperator ad sedandam discordiam inter regnum et sacerdotium Romam proficiscitur, fitque concordia, et regnum ipsius juribus antiquis confirmatur ac sacerdotium. Henricus imperator regnum Siciliae calumniatur, accepta uxore filia Rogeri regis, sed ei regnum negatum est; quamobrem bellum longius inter imperatorem et Tancredum protractum est.

Anno MCXII, plures ecclesiae et loca sancta in diversis locis cremata sunt. Baldricus, Laudunensis episcopus, a suis civibus gladio confossus est, feria V hebdomadae Paschalis. Tancredus Antiochiae moritur<sup>6</sup>. Cui in regno Siciliae succedit Wilhelmus, filius ejus; in principatu Antiochiae Rogerus, frater ejus, qui multa bella cum Turcis et Sarracenis gessit. Florentius, comes Hollandiae, obiit. Cui successit Theodoricus.

Apud *Anderlecht* beatus Wido elevatur.

Anno MCXIII, mense Maio, siligines et arbores sacro igne adustae sunt, et quaedam silvae insuper arefactae; subsequuta est hominum valitudo gravis et diuturna, cum profluvio ventris et mortalitate. Sigebertus, Gembla-

<sup>1</sup> SIGISB. GEMB. — MART. POL. ad pontif. Urbani II.

<sup>2</sup> SIGISB. GEMB. ex *Cod. Aquicinct.*

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> *Geneal. Comit. Flandriae.* — AEG. DE ROYA, pag. 24.

<sup>5</sup> SIGISB. GEMB.

<sup>6</sup> AEG. DE ROYA, pag. 25.

censis monachus chronographus, obiit, qui usque ad hunc annum chronicam digessit<sup>1</sup>. Bernardus<sup>2</sup> cum fratribus suis et multis aliis in Cistercio fit monachus. Baldricus, Noviomensis episcopus, obit. Lambertus succedit. Sancta Yda, comitissa Boloniensis, obiit, et Gertrudis, comitissa Furnensis, obiit.

Anno MCXIV, circa Tornacum, IX kal. Maii, tanta nix cecidit, quod etiam silvas fregit. Balduinus, rex Jerusalem<sup>3</sup>, cum Rogero, principe Antiochiae, contra Turcos vadens, ab insidiis circumventus vix celeri fuga evasit. Sarra-ceni Hierosolymam assiliunt, sed nihil proficientes sancti Stephani ecclesiam extra muros et coenobium montis Thabor destruunt.

Henricus imperator uxorem ducit filiam regis Angliae. Balduinus, rex Jerusalem, uxorem ducit relictam Rogeri, ducis Siciliae.

Monasterium Claraevallis fundatur, et illic Bernardus abbas ordinatur. Ansbodus, abbas Blandiniensis, obiit. Cui successit Eremboldus, qui eodem anno obiit. Cui successit Arnoldus. Apud Ravennam et Parmam in agris et infra moenia sanguis pluit, Junio mense. Concilium, Conone, Praenestino episcopo et Romanae ecclesiae legato, praesidente, Belvaci celebratum est. Henricus imperator cum magna optimatum suorum gloria natale Domini celebrat Moguntiae.

Anno MCXV, in suburbio Antiochiae terra<sup>4</sup> noctu dehiscens tures multas et adjacentes domos cum habitatoribus absorbit. Quidam autem cum uxore et liberis de locis illis migraverat, sed in redeundo positum idem terraemotus absorbit, in loco quo erat. Henricus imperator, dum quidquid libet licere putavit, multos et principales regni facit inimicos. Eclipsis lunae facta est quarto idus Martii. Glacies etiam XI kal. Januarii incepta duravit usque in sexto kal. Martii.

Tanchelinus haereticus, qui Walachriam et circumjacentes insulas et maritima loca haeresibus multis infecerat, occiditur. Castrum *Encres*, Hugone Candavena pulso, qui illud usurpaverat, Balduinus, comes Flandriae, cepit, et Karolo consobrino suo dedit. Christiani<sup>5</sup>, juxta Acharon navali bello cum exercitu Babyloniae a mane usque ad vesperam confligentes, victores effecti

<sup>1</sup> Post script. ad Chron. SIGSB. GEMB.

<sup>2</sup> MART. POL. habet: Tempore Paschalis-II, Bernardus habens annos circiter XXII, sub abbate Stephano, qui fuit septimus abbas in Cis-

tercio, cum sociis XXV Cistercium ingreditur.

<sup>3</sup> AEG. DE ROYA, pag. 25.

<sup>4</sup> ANSELMO GEMB. in Chron. ed. MIR. pag. 185.

<sup>5</sup> AEG. DE ROYA, pag. 26.

sunt, ac galeas Sarracenorum in portum deducentes, innumerabiles opes adepti sunt.

Anno MCXVII, Henricus imperator<sup>1</sup> in Italiam secedit propter asperos motus regni, et maxime propter marchisae Mathildis cognatae suae, quae recens obierat, hereditatem, quae sibi jure competebat, obtinendam.

Dissidio facto inter Turcos<sup>2</sup>, vires christianorum in Terra Sancta sunt adauctae. Balduinus rex in Arabia in monte Dei Oreb castrum construxit, ut ultra non pateret gentilibus transitus.

Anno MCXVII, Arnulfus, abbas sancti Petri, in Blandinio monasticam religionem renovavit et novum ordinem induxit. Multa prodigia in diversis locis apparuerunt<sup>3</sup>. Leodium<sup>4</sup> civitas multis plagis attrita est. In Namurco natus est biceps infantulus: hic in sexu et in aliis membris duplex fuit, simplex tamen in compage corporis. Igneae acies a septentrione in orientem visae sunt.

Alexius, imperator Constantinopolitanus, Latinorum inimicus, quos saepe blando sermone decepit, moritur. Cui succedit Johannes, filius ejus. Godezo, praepositus Troncinensis, obiit; et Meynardus, Gandensis scholasticus, successit.

Anno MCXVIII, Balduinus, comes Flandriae, quia Hugo Candavena terram ejus, ubi poterat, rapinis et incendiis vastabat, castrum sancti Pauli obsedit<sup>5</sup>, sed, Eustachio comite Boloniae mediante, Hugoni reconciliatus rediit. Balduinus<sup>6</sup>, rex Jerusalem, moritur. Cui consilio omnium baronum successit Balduinus de *Burch*, princeps Edissae, filius Hugonis, comitis de Rettesta, qui regnavit undecim annis.

Ludovicus<sup>7</sup>, rex Francorum, contra regem Angliae vadit, et usque Rothomagum omnia vastat. Tandem conventum fuit, ut Wilhelmus, filius Henrici, regis Anglorum, Normanniam teneret de rege Franciae et homagium sibi faceret, sicut Rollo, primus Normanniae dux, jure perpetuo promiserat. Paschalis papa moritur. Succedit ei Gelasius uno anno, qui<sup>8</sup> timore imperatoris Henrici fugit Capuam, deinde ad Gallias, et in Cluniaco mortuus et sepultus

<sup>1</sup> ANSELMUS GEMB.

<sup>2</sup> AEG. DE ROYA, loc. citat.

<sup>3</sup> Plura de his in *Chron. S. Bertini*, pag. 611.

<sup>4</sup> ANSELMUS GEMB.

<sup>5</sup> AEG. DE ROYA, pag. 26.

<sup>6</sup> ANSELM. GEMB. — AEG. DE ROYA, ib.

<sup>7</sup> ROG. DE HOVEDEN, pag. 475.

<sup>8</sup> MART. POLON. : qui propter Henricum imperatorem cum cardinalibus Gaiedam secessit (reliqua similia).

est. Henricus imperator ab Italia ad Lotharingiam repatriat, ubi accepit uxorem Adelam, filiam Godefridi Barbati. Meinardus, praepositus Tronciensis, obiit. Cui filius ejus Otgerus successit. Godefridus, Ambianensis episcopus, obiit.

Anno MCXIX, ventus magnus factus est. Gelasius papa<sup>1</sup> Cluniaci moritur et sepelitur. Cui succedit Guido, Viennensis episcopus; et Calixtus II dictus est, et Cluniaci benedicitur. Postea in Octobri Remis synodum congregans, multos episcopos consecrat; inter quos dominus Fredericus in episcopum Leodiensem ungitur. Henricus imperator, post multas legationes ipsius ad papam, et a papa ad ipsum, tandem cum suis fautoribus excommunicatur<sup>2</sup>.

Anno MCXX, ordo Praemonstratensis incepit<sup>3</sup>. Eodem anno, quarto nonas Maii, combusta est maxima pars Gandae. Balduinus, comes<sup>4</sup> Flandriae, cognomento *Apkin*, Calixti papae ex sorore nepos, bellum agens in Normannia contra regem Angliae, vulneratus curari non potuit, mortuus est. Cui Karolus, Canuti Danorum regis, filius ex filia primogenita Roberti Frisonis successit. Calixtus papa Romam accessit, et gloriose receptus in sede apostolica confirmatur. Burdinus<sup>5</sup> quidam antipapa, ab imperatore Henrico institutus, fugiens capitur et in monasterio attonditur. Major ecclesia episcopii Monasteriensis ab ipso episcopo, eo quod repulsus fuerat, exuritur.

Anno MCXXI, corpus sancti Arnulfi Suessionensis, prima die Maii, apud *Aldenborch* per Lambertum, Noviomensem episcopum, elevatur. Fredericus, Leodiensis episcopus, obiit<sup>6</sup>. Albero successit. Optimates regni cum legatis papae et imperatore Henrico conveniunt, de controversiis eorum tractaturi, sed nihil proficientes discesserunt. Terrae motus factus est magnus. Ordo Templariorum incepit, quem fundaverunt quidam devoti milites, qui contra latrunculos, peregrinos in via Jerusalem depraedantes, militare volentes, Christi servitio se mancipantes, in manu patriarchae Hierosolymitani professione et voto se devoverunt et astrinxerunt. Ii etiam, qui hospitales sanctae Mariae et

<sup>1</sup> ANSELM. GEMB. — Cfr. MART. POLON.

<sup>2</sup> *Idem*.

<sup>3</sup> *Chron. sancti Bertini*, pag. 615. — MART. POLON. : Circa hoc tempus, scilicet anno MCXIX, coepit Praemonstratensis ordo in Laudunensi dioecesi sub patre Norberto.

<sup>4</sup> AEG. DE ROYA, pag. 26.

<sup>5</sup> Haec alia MART. POLON. : Quem obsessum Calixtus cum Romanis cum habuisset, positum in camelo versa facie ad tergum, habens caudam cameli pro freno, papam ad urbem praecedebat, et post in arce Symonis retrusus est.

<sup>6</sup> ANSELM. GEMB.

Teutonicorum in Jerusalem dicti sunt, sumpserunt exordium. Ecclesia de *Landeghem* dedicatur in honore sanctorum Livini et Blasii, et Margaretae virginis simul. Rodulfus, abbas sancti Trudonis, expulsus venit Gandam ad coenobium sancti Bavonis, abbate Wulfrico in providentia rerum temporalium vigilanter strenuo, inde vadens ad sanctum Petrum, mansit illic sub abbate Arnulfo, qui introduxerat ibidem religiosa Cluniacensis ordinis studia.

Anno MCXXII, Arnoldus, abbas sancti Petri Blandipiensis, obiit. Cui successit Giselbertus, abbas Eyhamensis. Lambertus, Noviomensis episcopus, obiit. Cui Symon successit.

Wilhelmus<sup>1</sup>, filius regis Anglorum, cum a Normannia in Angliam transfretare vellet, cum aliis multis submersus est. Karolus<sup>2</sup>, comes Flandriae, castellum Taruennae, quod Eustachius advocatus in atrio sanctae Mariae construxerat, destruit. Multi in ecclesia Viziliacensi, nescitur qualiter, in vigilia Magdalenae combusti sunt. Rogerus, princeps Antiochiae, cum Turcis commissa pugna, cum multis occiditur. Succedit Bojamundus. Karolus, comes Flandriae, contulit monasterio sancti Bavonis privilegium super advocatia.

Anno MCXXIII, optimatibus imperii mediantibus, Henricus imperator legatos ad papam mittit super controversia investiturae, papa remittit legatos WORMATIAE, ubi res redintegratur et pacificatur, et fiunt inde bullae. Turo-nis contentione orta inter clericos et laicos, ecclesia sancti Martini penitus combusta est. In villa Honela natus est puer in modum piscis, nec brachia habens nec coxas.

Anno MCXXIV, monasterium sancti Michaelis Antwerpiae construitur. Balduinus<sup>3</sup>, rex Jerusalem, cum Sarracenis incaute praelians capitur; quo infortunio animati Sarraceni, cum uxoribus et liberis Ascalon congregati, Christianos de suis finibus exterminare conati sunt. Christiani vero desolati, nihil spei nisi in Deum habentes, exemplo Ninivitarum jejunium tam lactantibus quam bestiis indicunt, misericordiam Domini devote implorantes. Procedunt Christiani cum peditibus et militibus vix ad tria millia aestimati; praecedunt patriarcha, pro vexillo praefereus crucem Christi; et abbas olim Cluniacensis Pontius, praefereus lanceam, et episcopus Bethleemites, ferens in pixide lac Mariae virginis. Sarraceni autem, qui ad LX millia convenerant, undique

<sup>1</sup> ROG. DE HOVEDEN, pag. 477.

<sup>2</sup> AEG. DE ROYA, pag. 26.

<sup>3</sup> ANSELM., anno 1123. — AEG. DE ROYA, anno 1124.

Christianos circumcingunt, ne quis posset evadere. Christianis ergo in pro-  
 ductu existentibus, lux de coelo super Sarracenos cecidit, quae eos exterruit  
 et in fugam convertit. Occisi sunt de Sarracenis septem millia, et usque ad  
 quinque millia capti, omnes vero Christiani incolumes reversi dulcè epini-  
 chion<sup>1</sup> reboant Deo.

Anno MCXXV, cum placuisset divinae gratiae visitare locum Egmunden-  
 sem, inspiravit episcopo Trajectensi Andreae et Petronillae, comitissae Hol-  
 landiae, mittere legatos cum litteris ad abbatem Gandensem Wulfricum pro  
 monacho, qui idoneus esset animas regere et lapsa reparare. Qui, consilio  
 cum suis habito, praepositum curtis eorum Walterum, quem frequenter pro-  
 bum et utilem probaverat, misit, qui praefuit annis XXXI, religionem inno-  
 vavit, claustrum, templum et officinas restauravit, et de parvo numero con-  
 gregationem magnam induxit. Henricus<sup>2</sup> imperator Aquisgrani natale Domini  
 celebrat. Hyems solito acerbior. Tyrus, hebraea lingua *Sur*, urbs maxima  
 Phoenicis et antiqua, in corde maris sita, a Christianis expugnatur et capitur<sup>3</sup>.

Calixtus papa moritur. Succedit Honorius II.

Anno MCXXVI, hyems asperrima, sex hebdomadibus continua et multum  
 obnoxia; fames valida ubique subsecuta est. In Hasbania ignobilis mulier  
 monstrum gemini corporis est enixa, aversis vultibus sibi cohaerentibus, ante  
 effigies hominis, integro membrorum ordine distincta; retro vero facies canis,  
 similiter corporis et membrorum proprietate integra. In Brabantia alia mulier  
 enixa est IV masculos. Corpus sancti Mathiae apostoli Treveris reperitur. Henri-  
 cus imperator moritur et Spirae sepelitur. Cui successit Lotharius, dux Saxo-  
 niae, electione omnium: Karolus<sup>4</sup>, comes Flandriae, ob valida famis instan-  
 tiam, et ut annona et lac ad victum hominum plus abundaret, cerevisiam in  
 terra sua fieri prohibuit et canes vitulosque occidi fecit.

Anno MCXXVII, hyems<sup>5</sup> acerrima, clades permaxima venit, quae tam  
 divitum quam pauperum innumeram extinxit multitudinem. Lotharius im-  
 perator<sup>6</sup> contra Bohemos vadiens, quorundam principum suorum traditione,  
 magnam stragem passus est militum<sup>7</sup>, quingentis videlicet et quadringenta  
 occisis. Balduinus, rex Jerusalem, data redemptione, a Sarracenis di-

<sup>1</sup> Ἐπινικιον, victoriae hymnus.

<sup>2</sup> ANSELM.

<sup>3</sup> AEG. DE ROYA, pag. 26.

<sup>4</sup> *Idem*, pag. 27.

<sup>5</sup> ANSELM.

<sup>6</sup> MARTINUS POLONUS addit: primo imperii sui  
 anno,...

<sup>7</sup> Hucusque MART. POLON.

mittitur<sup>1</sup>. In Syria exercitus Dei bis congressus est Sarracenos. In primo praelio de paganis ceciderunt duo millia quingenti; in secundo autem non incruentam victoriam habuerunt Christiani; sed quamvis plurima pars eorum oppetierit, tamen auxilio Dei revigorati absque numero hostes contriverunt et vicerunt. Castellanus et abbas sancti Petri Gandensis, legati missi<sup>2</sup> a comite Flandriae ad imperatorem, debitam ei subjectionem nomine dominii sui exhibuerunt. Karolus<sup>3</sup>, comes Flandriae, sexto nonas Martii Brugis in ecclesia sancti Donatiani super absidem, in Quadragesima ipso missam audiente, hora, qua « Miserere mei Deus » decantabat, a Burchardo milite, servo suo et caeteris conspiratoribus occiditur; cum quo occisi sunt Themardus, castellanus Bourburgensis, et duo filii ejus Gislebertus et Walterus, dapifer quoque ipsius Karoli, nomine Walterus de Loctris. Quo cognito, rex Francorum Ludovicus ad ejus ultionem in Flandriam venit, et multos de proditoribus de turri praecipitari fecit, et successorem instituit Wilhelmum, filium Roberti, olim ducis Normanniae, cognomento *Curtahosa*.

Damnaticii quidam dominum suum Wilhelmum, comitem Sedunensem, gladiis confodiunt in quadam ecclesia ante altare orantem; qui hac illacque diffugientes diversis poenis perierunt. In Furnensi parochia, villa Egafridi capella, daemon homines illudens apparuit.

Rex Anglorum sponsalitia, quae Wilhelmo comiti Flandriae promiserat, dissolvit.

Anno MCXXVIII, pridie idus Maii, Coloniae<sup>4</sup> magna tempestas orta est, fulmen quoque, ingressum in majorem ecclesiam sancti Petri, dextrum brachium crucifixi discidit.

Wilhelmus, comes Flandriae<sup>5</sup>, propter rigorem suum exosus, Wilhelmum de *Loo* habet adversarium. Hi duo adinvicem pugnant; capitur Wilhelmus de *Loo* Ypris, mediante rege Franciae. Interim Flandrenses pro Theodorico, filio Theodorici, comitis de Elzattia, ex filia Roberti Frisonis, miserunt. Contra quem Wilhelmus comes processit ad bellum. Theodoricus fugit in Alostum, quem obsedit Wilhelmus; et ibi Wilhelmus in brachio sauciatus non multo post obiit, et apud sanctum Bertinum sepelitur. Factus est igitur comes Theodoricus XL annis.

<sup>1</sup> AEG. DE ROYA, ib.

<sup>2</sup> ANSELM. ex *Codic. Gemblacensi et Aquincinct.*

<sup>3</sup> AEG. DE ROYA, ib.

<sup>4</sup> ANSELM.

<sup>5</sup> AEG. DE ROYA, pag. 27.



In Septembri gelu multum nocivum factum est. Lotharius imperator longa obsidione Spiram cingit, sed inefficax rediit. In Flandria multi fluvii sanguinei facti sunt <sup>1</sup>. Coenobium Dunense construi coepit a domino Fulcone, primo abbate ordinis Savigniacensis <sup>2</sup>. Princeps Antiochia Boamundus, cum Turcis congressus, cum multorum clade Christianorum occiditur.

Anno MCXXXIX, cum intrante <sup>3</sup> Januario gelu liquaretur, tanta inundatio nivis et pluviae fluvios et maria implevit, ut sata proxima diluerent et domos vicinas subverterent.

Philippus, filius Ludovici, regis Francorum, Remis in regem inungitur. Plaga divina Franciam affligit, ignis scilicet vehementer corpora crucians; sed hoc precibus beatae Mariae virginis deletum est, ut quicumque hoc igne vexaretur, sanaretur, multique inde sanati sunt. Pestilentia maxima facta est animalium <sup>4</sup>. Theodoricus, comes Flandriae, Wilhelmum de Loo, sive de Ypris dictum, rebellantem, capto castro de Slusa, multas praedas a patria agentem expulit <sup>5</sup>. Fulco, Andegavensis comes, Jerusalem proficiscitur et filiam Balduini regis accipit uxorem.

Monasterium Viconiense Praemonstratensis ordinis fundatur in nemore de Pabula <sup>6</sup>.

Anno MCXXX, Lotharius rex urbem Spiram <sup>7</sup>, alternis annis vicissim obsessam, tandem capit secundo nonas Januarii, civibus tamen immunitate concessa. Honorius papa moritur, et sequitur grave schisma inter Innocentium et Petrum Leonis, qui omnes ecclesias Romae spoliavit. Violenter papatum tenuit; Innocentius vero ad Gallias fugit et a Ludovico et Henrico, Francorum et Anglorum regibus, ac etiam Lothario imperatore acceptatus est. Fulco, comes Andegavensis fit rex Jerusalem <sup>8</sup>. Johannes, Morinensis episcopus, annis XXX et sex mensibus in episcopatu expletis, sexto kal. Februarii obiit; et episcopatus, redditus ecclesiae Balduino, fratre comitis Theodorici, tenente, toto anno vacavit.

Anno MCXXXI, Innocentius <sup>9</sup> papa, cum multo comitatu episcoporum et abbatum a Francia exiens, Lotharingiam venit, et dominica secunda Quadra-

<sup>1</sup> ANSELM.

<sup>2</sup> *Idem.*

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> *Idem.*

<sup>5</sup> AEG. DE ROYA, pag. 27.

<sup>6</sup> AEG. DE ROYA, pag. 27.

<sup>7</sup> ANSELM.

<sup>8</sup> *Idem.*

<sup>9</sup> *Idem*, sed ibi papa nominatur Gregorius.

gesimae, quae erat XI kal. Aprilis, Leodium venit, a Lothario et principibus recipitur et muneribus honoratur; dominicaque in medio Quadragesimae missam celebrat, regem et reginam coronat, conjugatosque presbyteros excommunicat. Defuncto Roberto<sup>1</sup>, Attrebatensi episcopo; successit ei in episcopatu Alvisus, Aquicinctensis abbas. Fredericus, Coloniensis archiepiscopus, obit. Bruno succedit. Milo, abbas sancti Judoci, consecratur Teruanensis episcopus. Innocentius<sup>2</sup> papa Remis post festum Lucae evangelistae concilium celebrat, cum episcopis et abbatibus CCC et rege Francorum Ludovico. Wulfricus, venerabilis abbas Gandensis coenobii, obiit XI kal. Julii, sepultus sub lapide proximo Everdei abbatis. Cui successit Everdeyus.

## EVERDEYUS XXXV ABBAS.

Tricesimus quintus abbas Gandensis coenobii, Everdeyus, viginti annis abbatissavit.

Anno MCXXXII, domnus Bruno<sup>3</sup>, ex clero sancti Petri Coloniae, fit archiepiscopus. Rex Lotharius, collectis viribus, Romam vadit cum Innocentio papa, sed vario eventu rerum multas difficultates in eundo patitur. Sanctus Hugo<sup>4</sup>, Granopolitanus episcopus, transiit.

Henricus, rex Anglorum, in Angliam transfretat<sup>5</sup>. Fulco, rex Jerusalem, principem Halapiae Sangam nobiliter vincit, quatuor millibus Turcorum occisis.

Anno MCXXXIII, Lotharius rex veterem Urbem ingressus<sup>6</sup>, Innocentium papam in patriarchio Lateranensi relocat, et ab ipso in imperatorem benedicatur. In villa Namurco, dum vaccam occisam mango aperit, foetus duorum capitum apparuit. Dedicata est Teruanensis ecclesia sanctae Mariae, idibus Octobris, a quatuor episcopis, scilicet Milone, ipsius civitatis episcopo, Guarino Ambianensi, Symone Noviomensi et Tornacensi, Alviso Attrebatensi.

Obiit Suanahildis, comitissa Flandriae, relinquens Laurettam ex Theodorico de Elzatia. Bergis nascitur infans, bisenos habens digitos in manibus et totidem in pedibus, reliqua membra habens omnia praeter faciem; nam nec oculos, nec nasum, nec os habuit, unde et uno tantum die supervixit.

<sup>1</sup> Ex *Cod. Aquicinct.*

<sup>2</sup> ANSELM.

<sup>3</sup> *Idem.*

<sup>4</sup> Ex *Cod. Aquicinct.*

<sup>5</sup> ROG. DE HOVEDEN, pag. 480.

<sup>6</sup> ANSELM.

Ordo fratrum Cruciferorum in Hoyo incepit.

Anno MCXXXIV, translatio Amalbergae virginis facta est in Blandinio per Giselbertum abbatem, sexto idus Julii. Sanctus Stephanus, rex Hungariae, sanctus Leopoldus, marchio Austriae, sanctus Nortbertus, initiator ordinis Praemonstratensis, episcopus Magdeburgensis, migraverunt. Theodoricus, comes Flandriae, duxit filiam regis Jerusalem, nomine Sibillam. In Brabanto lupus rabidus tres vivos colubros in ventre habens, primum oves, deinde canes, postea homines veneno suo infecit. Tripolis civitas a Sarracenis est obsessa, sed per regem Jerusalem, caesis XX millibus Sarracenorum, magnifice liberata. In Octobri motus magnus factus est in mari, et cum impetu terminos suos egrediens, omnia circumquaque, id est, villas, castella, ecclesias ita pessumdedit, ut tres comitatus, Walechras, Wales et *Brebant* cum homine et pecore penitus exterminaret. In Anglia puella tantum in altum levata, quod videri non posset, ibique diu morata, tandem nuda cecidit, mortique repentinae subjacuit. Tonitrua audita sunt coruscationesque fulminum insolitae apparuerunt, ita ut quidam mundi consummationem advenisse putarent. Quorum commotione murus villae sancti Audomari magna ex parte, scilicet LX pedum longitudine, cecidit, ejusque fundamentum de terra evolavit. In territorio Furnensi tres simul equitabant, illorumque medius fulmine est interemptus.

Anno MCXXXV, in civitate Tornacensi<sup>1</sup> natus est agnus unius corporis, duum capitum, quatuor aurium, quatuor oculorum, octo habens pedes. In villa, quae dicitur Brama, natus est infans carens collo et capite, ocellos habens in spatulis. Ecclesia Attrebatensis sancti Vedasti combusta est. Magnus ventus factus est, quinto kal. Novembris, tam vehemens, ut turre ecclesiarum domosque urbium subverteret per diversa loca. Audita sunt tonitrua ac coruscationes fulminum visae, idibus Decembris. Henricus, rex Angliae, in Normannia moritur. Cui Stephanus Boloniensis successit.

Anno MCXXXVI, dominus Giselbertus, abbas Blandiniensis, obiit, XIII kal. Novembris. Sigerus successit. Coenobium sancti Vedasti Attrebatensis concrematur cum claustro et officinis et magna oppidi parte. Beatus Bernardus Wilhelmum, comitem Aquitaniae, ad obedientiam papae Innocentii cum hostia sacrata tandem perduxit. Ludovicus, rex Francorum, obiit. Filius

<sup>1</sup> ANSELM.

ejus aequivoçus succedit. Alexander, Leodiensis episcopus, moritur. Adalbero, ex clero Metensi assumptus, Leodiensibus datur episcopus. Imperator Lotharius, cupiens discordiam duorum de papatu contendentium terminare, cum magno exercitu Romam proficiscitur.

Rex Anglorum Stephanus<sup>1</sup> David, regem Scotiae, sibi confoederat. Albertus, abbas Affligemensis, sponte sua absolvitur. Petrus successit.

Anno MCXXXVII, Otgerus, praepositus Tronciniensis, reddidit praeposituram, et dominus Iwanus introduxit albos monachos, invitis canonicis. In *Nieneve* fundatur monasterium Praemonstratensis ordinis. Siccitas tanta fuit in Francia, ut fontes, putei et fluvii sicarentur. Lotharius imperator<sup>2</sup>, in expeditione inter duos de papatu contendentes proficere non valens, transit in Apuliam contra Rogerum. Provinciam ejus caede et incendio devastavit, sed tamen eum ad deditionem non compulit, sed ipse illic regnum cum vita finivit, et propter incursus undique imminentium hostium, non manifeste sed occulte a suis relatus, in Saxonia est tumultatus. Conrardus imperator constituitur. Bruno, Coloniensis archiepiscopus, obiit in Italica expeditione. Petrus Leonis decessit ex hac vita, et sic pax ecclesiae est reddita. Christiani in partibus Hierosolymitanis gravia damna passi sunt, et castrum *Montferrant* et alia castella Turci ab eis abstulerunt. Wilhelmus, dux Aquitaniae et comes Pictaviae, filiam relinquens, quam Ludovicus filius regis Francorum sponsam assumpsit; et ab illo die regnum Franciae et ducatus Aquitaniae copulantur. Ecclesia Ambianensis beatae Mariae cum tota civitate, et ecclesia Corbiensis sancti Petri cum parte villae combustae sunt. Duo pueri nascuntur, unus in pago Noviomensi, alter in pago Lensensi, mitrati mitra carnea, ac si esset linea; caudis carneis a collo dependentibus, ac si essent plexi more militum comas nutrientium et plectentium. Quod prodigium plerisque comas nutrientibus et timori fuit et correctioni. Monasterium de Dunis, relicto habitu Saviniacensi, ad ordinem Cisterciensem transit.

Anno MCXXXVIII, comes Theodoricus obsidet Gandam nec devicit. Inchoatum est<sup>3</sup> occidentale opus majoris turris Gandensis coenobii, primo die mensis Martii, sub Everdeyo abbate. Rex Danorum cum apparatu navium et exercitu multo Angliam tanquam jure sibi pertinentem invadit. Cui occurrit

<sup>1</sup> ROG. DE HOVEDEN, pag. 481.

<sup>2</sup> Cfr. MART. POLON.

<sup>3</sup> *Annales sancti Bavonis*, supra, pag. 448.

Stephanus, rex Angliae, eumque cum suis expulit. Henricus, dux<sup>1</sup> Bavarorum, quia filiam Lotharii imperatoris uxorem habebat, et jam liberos ex ea susceperat, Conrardum regno sublimatum et se alienatum graviter ferens, quoscumque poterat, ab ejus amicitia avertebat. Hugo, post Brunonem datus Coloniensibus archiepiscopus, dum Romam adiret consecrandus, peregre est defunctus, eique successit Arnulfus<sup>2</sup>. Godefridus Lovaniensis, dux Lothariensium, moritur. Raynaldus, Remensis archiepiscopus, obit. Auditum est tonitruum, octavo kal. Julii, cujus ictus existit intolerabilis. Monachos enim sancti Bertini in oratione consistentes terrae prosternens, quibusdam visum, aliquibus auditum, aliis aliquandiu sustulit et sensum. Turris finditur, lapis pergrandis ex pariete extrahitur, desursum lapides deorsum vi valida propelluntur, quorum unus fratrem laicum in oratione positum extinxit: quaedam etiam feminae semianimes redditae per longum tempus sensu et loquela privantur. Beatus Bernardus in Flandriam venit, Dunis Robertum de Brugis abbatem stabilivit, et privilegia Dunensi monasterio a Theodorico, Flandriae comite, impetravit.

Anno MCXXXIX, Johannes de Temporibus moritur, qui vixerat trecentis sexaginta uno annis a tempore Karoli Magni, cujus armiger fuerat. Concilium celebre Innocentius Romae celebrat. Ab hoc anno fames incipiens fere septem continuis annis postea duravit, et pene totam Europam cum adjacentibus insulis oppressit. In Anglia multi procerum contra regem Stephanum castella obfirmant, quia provincialibus nimias exactiones imponebat.

Anno MCXL, Iwanus Gandensis duxit Lauretam, filiam Theodorici, comitis Flandriae. Eclipsis solis facta est quarto nonas Aprilis<sup>3</sup>. Exorta discordia inter Alberonem, episcopum Leodiensem, et Henricum, comitem Namurcensem, multa mala, praedae, incendia, caedes, homicidia contigerunt<sup>4</sup>. Comes Lemburgensis contra Godefridum, ducem Brabantiae et Lotharingiae, rebellat. Henricus, germanus Ludovici, regis Francorum, in Claravalle fit monachus. Anglia fame et gladio atteritur. Hugo de sancto Victore obiit. Monasterium Clarusmariscus Cisterciensis ordinis per Theodicum comitem, juxta sanctum Audomarum fundatur.

Anno MCXLI, Conrardus<sup>5</sup> imperator quosdam optimates regni sui cogit

<sup>1</sup> *Auctar. Gemb.*, ed. MIRAEUS, pag. 201.

<sup>2</sup> *Ibidem.*

<sup>3</sup> *Ibidem.*

<sup>4</sup> *Auctar. Gemb.* — AEG. DE ROYA, pag. 28.

<sup>5</sup> *Idem.*

suo parere imperio. Plaga ignis divini multos adussit, qui meritis beatae Mariae virginis salvati sunt. Adalbero<sup>1</sup>, Leodiensium episcopus, castrum de *Bulloen*, quod Othbertus episcopus multa summa argenti episcopio Leodiensi adquisierat, corpus sancti Lamberti ibidem afferri fecit, et cum sancti Lamberti auxilio castrum, quod Reginaldus comes per septem annos tenuerat, recepit. Samson, Carnotensis ecclesiae praepositus, Remorum ordinatur archiepiscopus. Apud Tornacum adolescens clericus, Henricus nomine, multa in spiritu vidit et prophetavit, vitamque sancti Eleutherii episcopi notitiae hominum tradidit. Lapides grandinis tantae magnitudinis ceciderunt, ut vineas attererent in quadam parte Galliae et domos subverterent. In quadam etiam parte Flandriae segetes vastaverunt et multitudinem avium necaverunt.

Anno MCXLII, in vicinia Lovaniensi mel stillavit de coelo in modum pluviae, quod verum mel fuisse probaverunt multi gustu, visu et contrectatione. Godefridus, dux Brabantiae, moritur. Cui successit filius ejus adhuc puer. Conrardus<sup>2</sup> imperator, celebrata curia apud *Francford*, contra Slavos pergit et post multas vastationes eos ad deditioem coëgit. In terra Gemblacensi natus est puer monstruosus, qui horrore se aspicientibus fuit. Ecclesia Assensis in honore sanctae crucis et Mariae virginis dedicatur.

Anno MCXLIII, regnum Francorum<sup>3</sup> propter discordiam principum, inter quos eminebat Theobaldus, comes Blesensis, magnam patitur perturbationem. Rex Anglorum contumaces subjugare volebat, sed non valebat. Pagani, christianorum oppugnationes ferre non valentes, pactum pacis ineunt et terras colendas sub tributo christianorum recipiunt. Innocentius papa Romae obiit. Cui successit Coelestinus, quinque mensibus sedens. Cui successit Lucius II, sedens anno uno. Comes Flandriae Theodoricus castrum Arnulfi advocati in terra episcopi Teruanensis diruit.

Anno MCXLIV, Iwanus Gandensis, dictus de *Alost*, dignitate et prudentia omnes antecellens, obiit, et apud Troncinium sepelitur. Hyems<sup>4</sup> nimietate pluviae et vento vehementi periculosa et damnosa fuit, in tantum, ut silvas, templa, turres et aedificia, quae putabantur firmissima, aut funditus subverterit aut magna ex parte destruxerit. Fames gravissima multos afflixit. Pax inter Ludovicum, regem Franciae, et Theobaldum, comitem Blesensem,

<sup>1</sup> *Auct. Gemb.* — AEG. DE ROYA, *ibid.*

<sup>2</sup> *Auct. Gemb.* — Cfr. MART. POLON.

<sup>3</sup> *Auct. Gemb.*

<sup>4</sup> *Idem.*

procurante beato Bernardo, reformatur. Maximus ventus factus est XIV kal. Februarii. Fulco, rex Jerusalem, obiit. Cui successit Balduinus, filius ejus. Vineae et fructus defecerunt.

Anno MCXLV, Lucius papa obiit<sup>1</sup>. Bernardus, qui et Eugenius, successit. Ad hunc beatus Bernardus scripsit librum *de Consideratione*. Adalbero, Leodiensis episcopus, obiit. Henricus successit. Cometa visa est. Edissa civitas a paganis capitur, omnesque qui in ea inventi sunt christiani, trucidantur aut per diversas paganorum provincias in servos et ancillas venumdantur. Wilhelmus puer quidam in Anglia in die Pascae crucifigitur a Judaeis.

Anno MCXLVI, haeresis<sup>2</sup> Eunitarum intra Britanniam pullulat; cujus princeps fuit quidam, Eunos nomine, qui se filium Dei nominabat, et quamvis esset idiota, de divinis tamen disputabat, absque sacris ordinibus missam celebrabat, episcopos et archiepiscopos ordinabat, et multa alia execrabilia perpetrabat. Fames gravis continuatur. Conrardus<sup>3</sup> imperator, rex Francorum Ludovicus, Theodoricus, comes Flandriae, de captione Edissae et occisione christianorum dolentes, ad iter transmarinum se praeparant. Tornacensis ecclesia, quae per quingentos et eo amplius annos episcopis Noviomensis ecclesiae commendata fuerat, proprium episcopum ab Eugenio papa recepit. Nam Anselmus, abbas Laudunensis, fit primus episcopus. Eugenius papa, Romanis adversus eum rebellantibus, in Franciam venit.

Anno MCXLVII, Conrardus<sup>4</sup> imperator filium suum Henricum Aquisgrani in regem sublimat, ne post discessum suum regnum absque principe remaneret. Profectio<sup>5</sup> christianorum terra marique contra paganos facta est. Quorum praecipui duces fuerunt imperator Alemannorum Conrardus, rex Francorum Ludovicus, comes Flandriae Theodoricus, sed eorum conatus fuit inanis, quia non erat Deus cum eis. Nam multi eorum a Turcis capti et occisi sunt; innumerabiles vero fame, pestilentia et labore consumpti; caeteri autem, qui evadere potuerunt, diversa maceratione afflicti repatriarunt. Illi tamen, qui navali proelio Sarracenos aggressi sunt, Olisipponam, Hispaniae civitatem, cum summo labore et plurima strage utrorumque ceperunt. Alvisus, Attrebatensis episcopus, in eadem expeditione moritur in Graecia. Wilhelmus, comes Niversensis, relicto seculo, Carthusiam petiit, et factus

<sup>1</sup> *Auct. Gemb.*

<sup>2</sup> *Idem*, OTHO FRISING. ET BARONIUS.

<sup>3</sup> AEG. DE ROYA, pag. 28.

<sup>4</sup> *Auct. Gemb.* — AEG. DE ROYA, pag. 28.

<sup>5</sup> Cfr. MART. POLON. ad reg. Conradi II.

monachus infra annum moritur. Henricus, germanus regis Franciae, monachus in Claravalle, fit episcopus Belvacensis. In natali Domini fulmen irrupit Jerusalem, et de columna ex lapidibus facta, quae sepulcro Domini proxima erat, duos lapides grandes excussit, inde percurrens lapidem marmoris concavum qui aquam baptismi continebat, confregit, inde in monte *Syon* turrim basilicae pulcherrimam ex magna parte confregit<sup>1</sup>.

Anno MCXLVIII, dedicatio cryptae Gandensis coenobii celebrata<sup>2</sup> est ab Anselmo, Tornacensi episcopo. Cruor Christi, a Theodorico, comite Flandriae ab Jerusalem deportatus, Brugis datur, et in capella sancti Basilii locatur. Remis concilium a papa Eugenio celebratur, ubi Eunus haereticus, papae praesentatus, condemnatur; sed, impetrata impunitate membrorum, in carcerem relegatus est, et ibi non multo post mortuus. In hac etiam synodo beatus Bernardus, magistrum Gilbertum, Pictavensem episcopum, publice confutavit. In diversis locis tempestas tonitruorum et fulgurum desaevit, sed peramplius in Lauduno; nam in monasterio sancti Vincentii, cum monachi completorium canerent, fulmen irrupit et duos monachos in choro stantes exstinxit, et pallas magni altaris exussit; sed mirabile accidit, quod major palla, quae desuper totum altare ambiabat, aliis pallis ardentibus, ardere non potuit. Cameracensis civitas incendio conflagravit, et principalis ecclesia cum claustris et palatio episcopi, et monasterium sancti Auberti, et coenobium sancti sepulcri. Sanctus Malachias, primas Hiberniae et legatus, apud Claramvallem migrat.

In Hannonia monasterium de Camberone ordinis Cisterciensis fundatur.

Anno MCXLIX, Conrardus imperator et Ludovicus, rex Francorum, procinctum solvunt et sine ullo prosperitatis effectum ab itinere Jerusalem revertuntur<sup>3</sup>. Inter Balduinum, comitem Montensem, et Sibillam, comitissam Flandrensem, orta discordia, milites Flandrenses in pago Attrebatensi incendiis et rapinis patriam demoliuntur<sup>4</sup>. Ad hanc discordiam pacificandam Samson, Remensis archiepiscopus, cum quibusdam episcopis suffraganeis suis venit, sed parum profecit. Ecclesia Hasnoniensis tunc ab eodem archiepiscopo dedicata est. Eugenius papa Romam revertitur. Visio Tundali militis hoc anno facta est.

<sup>1</sup> *Auct. Gemb.*

<sup>2</sup> *Annal. sancti Bavonis*, supra, pag.

<sup>3</sup> *Auct. Affligemense.*

<sup>4</sup> *AEG. DE ROYA*, pag. 29.



Anno MCL, Bartholomaeus, archiepiscopus Lugdunensis, apud Fusniacum monachus efficitur.

Theodoricus, comes Flandriae<sup>1</sup>, Balduinum comitem Montensem ab Hierosolymis reversus expugnat; advocat Balduinus episcopum Leodiensem et comitem Namurcensem in auxilium, sed ipsi, virtutem Theodorici non ferentes, inglorii revertuntur. In territorio Morinensi, in vico dicto *Sempis*, puella quaedam, morbo per XLV septimanas detenta, non comedit, sed die Resurrectionis sumpta Eucharistia convaluit. Gotelmus, princeps Edissae, cum soldano pactum facit; tunc terra christianorum ultra mare in magno stabat periculo. Sanctus Theodoricus, abbas Lobiensis, migravit.

Anno MCLI, Ludovicus, rex Francorum, consilio beati Bernardi<sup>2</sup>, Alionordem uxorem suam repudiavit, et ducatum Aquitaniae amisit. Quae postea nupsit Henrico, filio Gaufridi ducis Andegavensis, qui postea regnavit in Anglia. Rex vero Francorum secundam ducit uxorem Constantiam, filiam regis Hispaniae. Fames valida facta est in Flandria, ut Brugis venderetur hodum frumenti XL solidis. Everdeyus, XXXV abbas Gandensis coenobii, sponte sua absolvitur et Betto abbas ordinatur.

BETTO XXXVI ABBAS.

Tricesimus sextus abbas Gandensis coenobii, Betto, ordinatus praefuit in regimine XXVI annis.

Anno MCLII, Goswinus, primus abbas Tronciniensis, communi capitulo ordinis sponte sua absolvitur, et Johannes electus abbas constituitur. Monasterium de Laude Cisterciensis ordinis in territorio Insulensi fundatur. Conrardus imperator moritur<sup>3</sup>. Cui succedit Fredericus, filius Frederici ducis Suevorum. Eugenius papa, pace cum Romanis facta, urbem ingreditur. Rogerus, rex Siciliae et princeps Antiochenus, missa classe in Africam, multas urbes capit. In ecclesia beati Nicolai Bruxellae, beata Maria multa mirabilia operatur. Ecclesia sancti Bertini comburitur cum omnibus pertinentiis suis, dum matutinorum solemnia agerentur, cum magna parte oppidi.

Anno MCLIII.....

<sup>1</sup> AEG. DE ROYA, pag. 29.

<sup>2</sup> Auct. Afflig. ex Cod. Aquicinctino. Omisit  
MIRAEUS verba: ex consilio beati Bernardi,

quae ipsi in Codice hoc, nunc Duaci servato, legimus. W.

<sup>3</sup> Auct. Affligemense.

FINIS.

**DESCRIPTIO**

DE

**ORIGINE CONVENTUS,**

POSTEA

**ABBATIAE TRUNCHINIENSIS,**

ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS;

DE EJUS FUNDATORE ET LOCO, ET OMNIBUS CIRCUMSTANTIS, CUM ANNOTATIONE  
TEMPORUM, ETC.

---

## DESCRIPTIO

DE

## ORIGINE CONVENTUS,

POSTEA

## ABBATIAE TRUNCHINIENSIS.

---

Varie de nominis appellatione scribunt varii; sunt qui putant *Dronchen* a *Droenghen*, vel *Tronchen*, dictum locum, id est a coarctando, eo quod per castellum, ibidem a Gaio Julio Caesare Romanorum inchoatum, Gandanos coarctaret, etc.; alii ab episcopo Tornacensi nomen accepisse autumant, qui post loci destructionem sic exclamasse fertur: « Vah, quomodo nunc truncatus jaces <sup>1</sup>! »

*Nota.* Nonnulla de origine Trunchinii per Gandenses, f<sup>o</sup> 1 et 2, scripta sunt <sup>2</sup>.

Sanctus Amandus natus anno DLXXI, ergo aetatis suae trigesimo quinto, aedificari curavit Trunchinium.

<sup>1</sup> Utramque hanc etymologiam nullo inniti fundamento cuique facile compertum erit.

<sup>2</sup> Hic chronici scriptor indicare videtur antiquius scriptum, nobis ignotum, ad quod remittit; nisi fors indicare voluerit *Libellum legendarum sanctorum monasterii Gandensis sive Sancti Bavonis* cujus fragmenta quaedam legimus ad calcem MS, inter quae sequentia: « Quod cum Flandri non recte efferrent vel non bene intelligerent, dixere *Troughen*, forte *Toringhen* a

Turingia, quae antiquitus Toringia et Thoringia dicta. Sic nomen obtinuit a tempore Sancti Basini, qui hic primum sacellum coepit. Quum vero conjecturis hac in re sit agendum, non video cur huic minus quam caeteris locus sit dandus, praesertim cum nihil olim familiarius fuerit antiquis temporibus, quam procerum aut locorum nomina arcibus oppidisque dare. Penes lectorem harum rerum sit fides ac iudicium. »

Anno DCVI, altum monasterium beatae Mariae Virginis in Troncinio aedificatur a beato Amando, qui de licentia beati Eucharis, Noviomensis et Tornacensis episcopi, per Flandrias praedicavit; et primo Tronchinienses anno praefato convertit, et facta ecclesia, illic clericos ordinavit. Qui, postquam agrestia incolarum pectora per salutiferam evangelii doctrinam aliquanto effecisset mitiora, signum ibidem sanctae crucis erexit.

Antiquo usu, non tantum provinciarum sed et urbium Domini, subinde reges ac reguli dicebantur, ut Gundebaldus, rex Burgundionum; Regnarcharius, rex apud Cameracos; Charaicus, Sigebertus, et similes a Clodovaeo devincti, reges vocantur; ex regali prosapia, stirpe scilicet feminina, forte oriundi.

Guntianus, rex Aurelianensis, transtulit regnum in Childebertum<sup>1</sup>.

DCLXI. Obiit fundator Trunchiniensis collegii, D. Amandus, octavo idus Februarii, die Dominico, indictione IV<sup>2</sup>.

Ardet amore Dei, Flandrorum doctor, Amandus;  
Hinc patitur Schaldem, scommata, flagra, famem.

DCCXLVIII. Habita synodus Maguntiae supra Rhenum in Germania, praesidente ibidem ejusdem urbis archiepiscopo sancto Bonifacio, cui interfuit sanctus Eliseus episcopus, qui in monte Blandinio sanctum confirmavit Gerulphum<sup>3</sup>.

DCCCLI. Normanni Gandavum cum coenobiis Gandensi, Blandiniensi, ac Trunchiniensi ferro et igni evastarunt, perveneruntque usque ad urbem Rotomagum et Bellovacum<sup>4</sup>.

DCCCLXXIX. Baldwinus Ferreus in vivis esse desiit, regnavitque dehinc Ferrei filius, Balduinus Calvus dictus<sup>5</sup>.

DCCCLXXX. Tanto numero ac crudelitate eruperunt Normanni, ut totius Galliae vires ad obsistendum nequaquam sufficerent<sup>6</sup>. Gandavi eo anno hyemarunt, omniaque castella ac coenobia circa Schaldem et Legiam evastaverunt.

<sup>1</sup> GREGOR. TURON., lib. IX, cap. 18, et lib. II, cap. 52, 41, 42 (de magno 3 scripto). N. C.

<sup>2</sup> MEYERUS hic.

<sup>3</sup> Ita Guilielmus GAZEUS in sua *Historia Ecclesiastica*, ubi agit de episcopis Tornacensibus.

GAZEUS refert S. Gerulphum circa annum DCCL a patrino occisum. N. C.

<sup>4</sup> Concordat cum libello S. Bavonis. N. C.

<sup>5</sup> MEYER. ad hunc annum.

<sup>6</sup> Vide MUTSARDUM.

Nostra manuscripta habent : Monasterium sanctae Mariae, quod dicitur Trunchinium, destruxerunt incenderuntque.

DCCCLXXXIV. Altum monasterium sanctae Mariae Trunchiniensis juxta Gandavum, Normannorum rabie atque saevitia destructum atque eversum, comes Balduinus, cognomento Calvus, reaedicandum curavit, eoque regulares monachos, qui dum<sup>1</sup> sedibus incertis erant vagati, reduxit ac reverendissimum dominum Joannem iisdem in praepositum assignavit<sup>2</sup>.

DCCCCXV. Effodere sancti martyris<sup>3</sup> corpus cogitant; at quoties id perficere tentabant, toties miraculo sunt prohibiti, ut tandem magnis vocibus Deum testati sint nunquam ultra beati viri sepulcro se manus allaturos.

Christus Dominus, qui de coelo respicit super filios hominum, martyrem suum digne pro meritis apud plebem exaltare, et quanti apud se esset meriti pandere volens, subsequentibus hoc anno patefecit indicia. Christi martyr, propter voluntatem a parentibus Meerendrae in aede sacra sanctae Radegundis virginis tumulatus, cum jam ducentis hic ferme requievisset annis, in visu noctis loci ipsius curiali presbytero, nomine Lamberto, apparuit totus conspicuus, et qui homo putari non posset sed angelus. Quem ille amica visione diu intuitus, et nescio quid extra humanam habitudinem in eo admiratus in extasim totus rapitur, vixque in eo remanet spiritus. Beatus autem Christi martyr, blandum praetendens sui vultus habitum, Lamberto dulciter arridet, ac, ne concepto timore turbetur, adhortatur, intrepidumque esse jubet; causamque suae apparitionis ac nomen indicat, ac ad corporis sui reliquias exhumandas Trunchiniumque transferendas monet<sup>4</sup>. Visione disparente, lecto Lambertus excutitur, secumque ut visa recolligit, stupet in singulis, miratur ad omnia, occultare tamen cuncta disponit. Postera autem nocte, iterum ei beatus Martyr dormienti in ea qua prius forma adfuit, eumque, ut monita opere compleret, commonuit; at ille humana formidans indicia, atque inter spem ac metum quid ageret dubius, secum mente pugnabat, eligens tamen silentio cuncta obvolvare quam populo martyris jussa pandere. At tertia

<sup>1</sup> MEYERUS, quem citat chronographus, scripsit diu.

<sup>2</sup> Vide MARCHANT., lib. II, pag. 185, quam multa loca tum fuerunt evastata. Vide et MEYERUM, hoc anno, fol. 16. N. C.

<sup>3</sup> Sancti Gerulphi.

<sup>4</sup> Additur in margine : « Imperans ut abbatem venerabilem adiret ageretque cum eo, ut honestius sepeliretur, ut cujus anima jam beatissimae Virginis aspectu frueretur, ejus corpus ibidem sepeliretur in terris, ubi eandem veneratus fuit in terris existens. »

iterum nocte eidem assistens, solito severior apparuit, ac quasdam vultu minas praetendens, Lamberto se iratum exhibuit, minasque intentavit ac negligentiae arguit, ipsumque nunc ad sui elevationem cogere potius coepit quam petere aut rogare. Nec mora, presbyter evigilat trinaeque visioni congratulatur; de reliquo tamen adhuc titubabat. Quare noctes atque dies continuat orationibus, vigiliis instat, jejuniisque sese cruciat, et plurimis a Deo lacrymis efflagitat, ut ei inspirare dignaretur, quo faciliori ac commodiori hocce in negotio procederet modo. Dum continuis sic assiduisque instat precibus, repente ei Christi martyr adfuit, eumque pacato vultu laetisque oculis intuitus, sic allocutus est: *Bene coepisti, mi fili Lamberte, sed jam coeptum de mea elevatione negotium ad usque finem proseguere, de Dei ope atque suffragio haesitare noli, neque superstitiosam vulgi loquacitatem reformides, quia Dei consilium praepedire non poterunt filii diffidentiae. Aderit tibi, aderit, inquam, ille qui non fallit, filius immaculatae Virginis.* Tali igitur Lambertus admonitione animatus (cum disparuit visio), omni excusso timore, Gonterum pastorem, cujus vices ob decrepitam ejus aetatem agebat, adiit, eique cuncta de sancto martyre enarravit, qualiter ei in quiete apparuit ac monuit. Stupebat dominus Gonterus, pius sacerdos ac venerabilis senex, et supra quam dici posset attonitus Lambertum haec edisserentem audiebat. Credidit tamen, et ut in preces sese totum effuderat, plebi sancti martyris desiderium insinuavit, ac ad corporis ejus elevationem omnes adhortabatur; id ipsum Balduino comiti ac reverendissimo domino Aynardo, Tornacensium Noviomensiumque episcopo, qui, statuto die VIII idus Octobris, Dominica die, cum infinita propemodum fidelium turma adfuerunt, ac sanctissimam illam sancti martyris glebam, e vetusto terrae tumulo venerabiliter elevatam, e terra effossam, Meerendra Trunchinium in aedem Deiparae Virginis transtulerunt. Ut igitur jam Trunchinio appropinquabant, occurrunt cum cereis dominicisque vexillis canonici in hymnis et jubilo sancto martyri et athletae Christi, susceptumque in humeros martyrem extulerunt cum spirituali cantico, ac Meerendrensiu[m] dolorem atque suspiria in summum sibi mutabant gaudium. Dolebant illi tanto se orbari patrono; gaudebant hi tali se condecorari gloria ac cohonestari praesentiae, et ut limina attigere templi, mox stupentibus cunctis qui aderant, prodigio prae se aera omnia (mirum dictu) personuerunt, et puriori quidem praeter solitum sono, cereique omnes in altari divae Virginis, nullo admoto flammaram incendio, sponte arserunt, aliaque permulta ibidem Deus ad ho-

norem martyris sui edidit miracula, ex quibus unum alterumque his adscribere non alienum duxi.

Adductus igitur ante feretrum quidam energumenus, Ofridus nomine, e cujus ore foedus inhabitator verba rotabat horribilia, undique vinctum ferrea cohibere vix poterat catena; adstabat miserandi hominis collecta in fletum consanguinitas, et in hujus miseri misericordiam cum magno ejulatu sancti Gerulphi inclamabat reliquias; cumque possessus ille patulo ore totus excederet, et fronte rugata atque minacibus oculis foedas gesticulationes moveret, quidam de adstantibus canonicis os unum de iis sacris reliquiis arripuit, quo aquis intincto, dependentes de eodem osse stillas sive guttas in os patientis debacchantis injecit. Daemon, S. Gerulphi non passus meritum, foeda, ut solet, relinquens vestigia exivit. Succedunt igitur gaudia, ampliantur miraculis miracula, repletur jubilo et laude tota ecclesia, et quem dementem adduxerant, sospitati solide restitutum abduxerunt. Acta sunt haec VIII idus Octobris, anno DCCCCXV dominicae incarnationis.

Eodem tempore, quidam contractis membris omnibus, praecipue autem pedibus, veniens ad feretrum divi Gerulphi, cumque pro sanitate diu oraret omnipotentis misericordiam, et sancti ejus Gerulphi omni cordis instantia precaretur antidotum, divina ei subvenit pietas, redditaque est ei quam optaverat sanitas.

Alia itidem tempestate, presbyter quidam, nomine Dietfridus, magna vi februm aestuans, ut ea, quae Deus per sanctum suum martyrem operabatur in dies mirabilia, audierat, ipse quoque fide plenus atque fiducia Trunchinium venit, limina sancti martyris visurus, opemque ejus atque auxilium Dei per merita sanctissimi sui martyris efflagitaturus: orat, instat, effusisque lacrymis sospitatem quaerit, et ut eam sibi medelam non dedignaretur tribuere, qui tot afflictis succurrisset animabus. Vix haec effatus erat, moxque ei visum est audire ut de sancti sepulcri pulvere potionem factam hauriret: fidem adhibuit homo visioni, ac statim pulverem aqua miscens hausit, et optatam consecutus est sanitatem, et sospes laetusque domum repedavit.

DCCCCXVIII. Quarto nonas Januarias, Balduinus comes Gandavi vita defungitur<sup>1</sup>, successitque ei in regimine Arnulphus, dictus Magnus<sup>2</sup>, et ad Petri Blandinii humili sub saxo in sacello matris Virginis sepultus, anno imperii XXXIX, populo non minus sui desiderium, quam virtutum exempla posteritati reliquit.

<sup>1</sup> Defungitur.

<sup>2</sup> MEYERUS hic. Vide MUTSARDUM et MARCH. N. C.

DCCCCXXXIV. Obiit R. D. Johannes, praepositus Trunchiniensis, quinquagesimo regiminis sui anno, et successit ei D. Reynerus.

DCCCCLXIV. Trunchinium allatae fuerunt reliquiae sanctorum Wandregisili, Ansberti et Wulfranni ex maritima Morinorum urbe, Bononia, per Arnulphum, Flandriae comitem, quas inde Blandinium asportari curavit.

DCCCCLI. Concessit fato reverendissimus in Christo pater, dominus Reynerus, praepositus Trunchiniensis, cui successit Albertus, qui et Ascelmus dicebatur. Hic Balduini comitis ex concubina erat filius, frater Arnulphi, qui quondam Parisiorum exstitit episcopus, sed ab eisdem pulsus in Flandriam rediit ad fratrem suum Arnulphum, qui ei omnes redditus oppidi Trunchiniensis, simulque cum praepositurae illius dignitate, dedit. Canonici tum erant omnino sexdecim, at hic Albertus quatuor ex iis adimens beneficia, eadem militibus male distribuit<sup>1</sup>.

DCCCCLVIII. Confectus jam aetate, Arnulphus filium Balduinum rerum admovit gubernaculis<sup>2</sup>.

DCCCCLXI. Balduinus princeps, postquam annos omnino tres, vivo patre, imperasset, morbo absumptus est eo, quem variolas vocant, calendis Januarii<sup>3</sup>.

DCCCCLXIV. Sexto calendas Aprilis, Arnulphus comes in vivis esse desiit, post XLVIII sui principatus annum, succedente Arnulpho Juniore, Balduini filio.

DCCCCLXXVII. Obiit R. D. Albertus, Balduini Calvi Flandriae comitis filius, XXV administrationis suae anno, qui Parisiorum quondam fuerat episcopus, cujus in locum successit R. D. Walterus.

DCCCCLXXXVIII. Trigesimo die Martii, Arnulphus Junior, relicto Balduino filio adhuc impubere, diem suum clausit: alii tribuunt anno sequenti.

MVIII. Tanta eo anno longe lateque grassata est pestilentia, ut vix mortuis sepeliendis sufficerent vivi<sup>4</sup>.

MXXV. In humanis esse desiit R. D. Walterus, praepositus Trunchiniensis, octavo supra XL regiminis sui anno, succedente in demortui locum domino Sindrado.

<sup>1</sup> MEYERUS hic. — MARCHANT., lib. II, ubi agit de Arnulpho I, sic habet: Sub eo commemorantur viri nobiles fuisse, Albertus Dronganus, ob possessos dono comitis redditus oppidi tum et praepositurae canonicalis Trunchiniensis. N. C.

<sup>2</sup> MEYERUS hic. N. C.

<sup>3</sup> MARCH., anno imperii tertio, Bergae Winoci morbo papularum sive variolarum, ad annum DCCCCLXI, e vivis decessit, Sanctomeri in Bertini sepultus, sub humili tegumento lapideo. N. C.

<sup>4</sup> MXII. Vide MUTSARDUM, de peste hujus anni in Flandria. N. C.



MXXVII. Balduinus comes, cum uxore sua Odgena (Ogina aliter) ecclesiae nostrae beatae Mariae Trunchiniensis (gubernante eadem domino Sindrado) obtulit dentem unum divi Johannis Baptistae, qui et hodie adhuc asservatur<sup>1</sup>.

MXXX. Comes Flandriae Balduinus, dictus Barbatus, ut gliscentes subditorum motus<sup>2</sup>, discordiasque compesceret, Aldenardae conventum indixit, quo convenere reverendissimus dominus Hugo, episcopus Noviomagensis, pluresque alii, tum episcopi tum praelati, cum omni prope Flandriae dignitate, ut a Deo solidam pacem ac in Christo bonam animorum unionem efflagitarent, et ad eam feliciter a Deo impetrandam, allata fuere eo loci corpora sanctorum Gerulphi martyris, Wandregisili, Ansberti, Wulfranni, Bavonis, Amandi, Livini, Pharaïldis, Donatiani, Amelbergae, Walburgis, Landoaldi, Vincianae, Vedasti, Bertini, Winnoci, aliaque omnia Flandriae sacra, quibus in ceremoniis tantus sancto Gerulpho, eo quod Flandriae esset generis, habitus fuit honos, ut primus ubique jussu comitis sortiretur dignitatis locum, ac in supplicatione ejus feretrum reliqua omnia praecederet.

MXXXVI. Balduinus princeps, Barbatus dictus, postquam octo et quadraginta annos regnasset, tertia kalendas Junias, ex hac vita migravit. Successit Balduinus, qui a cultu divino ac morum praestantia Pius est cognominatus.

MLXVIII. Obiit dominus Sindradus praepositus, postquam quadraginta et duos annos ecclesiam Trunchiniensem rexisset, succedente in demortui locum domino Folcardo.

MLXXII. Translatae fuerunt reliquiae sancti martyris Gerulphi a reverendissimo domino D. Radbodone, episcopo Tornacensi, praesente domino Folcardo ac fratribus.

MLXXV. Dominus Folcardus praepositus totum coenobii sui opus orientale prosterni curavit<sup>3</sup>, et a fundamentis, maximis sumptibus, id ipsum majori elegantia denuo erexit. N. in hebdomada quadragesimae, vicesimo quarto Februarii.

MLXXVIII. Diem suum clausit dominus Folcardus praepositus, regiminis sui anno vicesimo, eique successit dominus Folcro<sup>4</sup> Gandensis.

<sup>1</sup> MEYERUS hoc factum refert anno MXVII. Sed fallitur, cum Sindradus tunc non rexerit. N. C.

<sup>2</sup> Videatur MUTSARDUS N. C.

<sup>3</sup> Male in Codice scriptum est *curant*.

<sup>4</sup> *Falco* vocatur in Ordinis præmonstratensis Annalibus.

MLXXX. Obiit dominus Folcro, praepositus Trunchiniensis, cui in regimine successit dominus Amandus presbyter.

MLXXXII. Octavo calendas Maias, diem suum obiit nobilissimus dominus Balduinus Gandensis, clarus ea tempestate eques, cui Robertus, comes Flandriae dictus Frisius, dederat Trunchinium, Vuas et Ruslam; hic avus fuit Ywanni nostri. In paternas autem successit opes filius ejus Balduinus, habuitque fratres Sigerum, Gislebertum et Winemarum.

MLXXXIV. Hactenus Nivellenses fuere tantum clerici, sed hoc anno eisdem Radbodo plane eximit ab omni episcopali exactione ac synodali, sub titulo canonicorum <sup>1</sup>.

MLXXXVII. Hactenus ecclesia Trunchiniensis, in honorem beatae Mariae fundata sine ullo ritu vel potestate episcopi, fuit sub jurisdictione comitis Flandriae; sed Robertus eam libertati restituit, condonans in perpetuum quid ratione comitatus vel advocacionis vel redditus, ex more antecessorum, habebat, nihil juris vel potestatis in ea reservans, nisi hoc tantum, ut ipse et posterius ejus praeposituram conferrent, et episcopus Noviomensis eidem curas daret animarum.

Bona autem ecclesiae erant omnis decimatio tam novae quam veteris terrae totius parochiae Trunchiniensis, cum omnibus suis qualibuscumque oblationibus, ac similiter cum omnibus tam novae quam veteris terrae decimis et oblationibus parochiae de *Landeghem*, bodum Rusledensis parochiae novae et veteris terrae, et juxta eandem ecclesiam propria mansio fratrum ad congregandas annonas; insuper terra cujus modo quisque fratrum suas particulas tenet, et thelonearia servitia in nativitate sanctae Mariae, et census de familia sanctae Mariae praefatae ecclesiae.

Haec autem sunt pertinentia ad praeposituram de supradictis, Voslariensis ecclesia cum omnibus (decimis) novae terrae et veteris cum oblationibus suis, et mansum terrae, et decimatio de Asleto <sup>2</sup>, et advocatio de familia sanctae Mariae, praeter census qui est fratrum. Acta sunt haec pridie nonas Julii <sup>3</sup>:

In exordio regni (hoc anno erat Radbodus XX episcopus Noviomensis), Robertus, marchio Flandriae, ecclesiam nostram, sine ullo respectu vel episcopi aut alterius, ad se pertinentem, solum reservat jus ponendi praepositum, cui Morinensis episcopus curas daret animarum, condonans quidquid

<sup>1</sup> Diploma in appendice habebitur.

<sup>2</sup> Forte *d'Assels*. N. C.

comitatus juris habebat in ea ecclesia. Ad praepositum autem pertinebat ecclesia Vorselariensis.

MLXXXVII. Dominus Amandus motu proprio praepositurae renuntiat, et libera fratrum electione ad praepositurae dignitatem erectus est dominus Godzon. Quam electionem et R. D. Radbodo, Tornacensis episcopus, ac comes Robertus, Roberti filius, confirmarunt. Electus statim in id maxime incubuit ut ecclesiam suam immunem ac liberalem<sup>1</sup> redderet, ab omni laicorum jurisdictione, quod et magna sua instantia impetravit.

MLXXXVIII. Totum quoque opus occidentale ipsius Trunchiniensis ecclesiae, eo quod e viliori esset materia, funditus evertit, ac pari elegantia, qua quondam dominus Folcardus praepositus ad orientalem elaborarat plagam, erexit. Sed cum proventuum tenuitas tot refundere expensas minime pateretur, ut piorum animos magis accenderet ad piam eleemosynam, sancti Gerulphi feretrum per singulas Flandriae parochias, per ecclesiae suae canonicos, aliasque pagi in religione magis commendatas personas circumferri curavit. Qui in hymnis et laudibus egressi, verbum vitae populo ubique communicarunt, unde non contemnendam substantiam ecclesiae suae comparaverunt. Ut autem una dierum sub vesperam venire ad parochiam de *Suineghem*, et a loci custode, ut cum pretioso suo thesauro in templo pernoctari possent, petiissent, templi custos, nescio quo percitus furore, introitum ipsis cum multa indignatione abnegat; ac concito cursu, cum iterum iterumque ab ipso id efflagitent, eos ulterius audire indignans, sese subtrahit, januis prius templi cum repagulis et seris firmatis. Locant igitur sancti martyris feretrum ante templi fores. Statim magna virorum ac mulierum concurrentium undique confluit multitudo. In hac, puella quaedam membra contracta fere in unum habens, non nisi reptando in scabellis advenit: quam super beati martyris feretrum posuerunt, ipsaque cum clero ac populo Deum sanctumque martyrem pro sanitate deprecantibus, mox illa sanitatem ac membrorum accepit officium, surgensque recta incessit. Quare, sublatis in coelum vocibus, Deo sanctoque martyri gratias referentes, canticum *Te Deum* concinuerunt. Templi custos, ut tantum, ad honorem et invocationem beati martyris, percepit perpetratum miraculum, poenitentia ductus, solutis repagulis serisque, ecclesiae valvas sancto martyri ac familiae ejus reserat, nec munera pietatis parca manu

<sup>1</sup> Liberam.

Deo, in sanctissimi martyris Gerulphi memoriam, conferebant, imo quodcumque corradere poterant ad scriniam ejus exultantes offerebant.

MXC. Feria sexta ante dominicam secundam *in ipsa cathedra Petri*, septimo calendas Martii in quadragesima, Trunchinii magnus ortus est motus atque seditio inter Godezonem, collegii praepositum, ac Cononem, loci praetorem. Cum famuli domini Stephani canonici, ac Cononis inter se rixarentur, veniens Cono praetor, contra datam ecclesiae libertatem canonici famulos in carcerem coniecit. Godezo, cum canonicis suis habito consilio, ecclesiae valvas ocludi jussit, decretumque tam diu a divinis cessare officiis, donec praetor domini Stephani famulos libertati restitueret. Quod ubi Cononi delatum fuit, ita permoleste tulit, tantamque contra ecclesiae ministros concepit iram et odium, ut, impetu cum suis in monasterium facto, omnes sedibus domibusque expulerit, omnemque eorum supellectilem diripuerit ac praedae dederit. Imo et amplius ausus, ipsam domum praepositi spoliata incendit ac evertit, quo incendio totus ipse vicus una cum monasterio deflagavit, undecima calendas Aprilis, die Veneris, altera Benedicti. Sed sceleris auctor Cono non impunis abiit, sed percussus ultione divina, feria quinta in Coena Domini, quinta calendas Aprilis, subita morte et absque sacro viatico interiit. Redeunt ad loca sua canonici Deo agentes gratias.

Defuncto Conone, nescio quo jure quaque injuria, in patris mox officium substituitur ejus filius Philippus, qui et ipse, sexto post anno, absque ulla sobole decessit.

MXCIII. Quarto idus Octobris, Robertus comes in vivis esse desiit ac cita morte quidam obiisse tradunt<sup>1</sup>; eoque defuncto, Robertus ejus filius rerum potitur apud Flandros.

MXCVI. Moritur Philippus, praetor Trunchiniensis, absque liberis. Succesere deinceps Lambertus, et Onulphus Lamberto.

MXCVII. Comes Flandriae Robertus, dictus Hierosolymitanus, ad bellum Turcis inferendum se accingit, et inter caeteros Flandriae heroes comitem secutus est Balduinus Gandensis, Trunchinii dominus, qui ad expensas tanti itineris, assensu Godezonis praepositi totiusque conventus, recepit ex templi donariis XLII marcas argenti. Quare quidquid ex auro argentove fuit, id tum ornamentis, tum reliquiarum thecis distractum est. Quum autem ecclesia Dei

<sup>1</sup> MEYERUS hic.

se laesam quereretur, oppignoravit eidem curiam dictam *Otegem*, vicus est Trunchinii, unde quotannis accipiet CL modios avenae : ut eo, post discessum ejus, cum tempore ablata restitueret ornamenta, sed secus longè accidit. Godezon vero praepositus inique in iis, quae altaris sunt, versatus, Furnis duas canonicas praebendas, Reynero et Henrico filiis suis, sibi in *Loo*, unde erat oriundus, XLVII mensuras terrae ex iis redditibus comparavit.

MC. Robertus Hierosolymitanus, Flandriae comes, e Syria in Flandriam rediit, incredibili popularium suorum laetitia, eodemque anno Remavindi, alii Regnewidi, viduae Balduini Gandensis Niceae defuncti, abstulit Trunchinium et Vuas, patris sui Roberti Frisii rescindens donationem. Et amoto Onulpho ac tribunatus officio, Trunchiniensibus Walterum Lideghemensem, Cononis defuncti tribuni generum, in tribunum delegit.

MCIX. Septimo decimo calendas Novembris, Folrardis sanctimonialis, ad honorem omnipotentis Dei et sanctissimae ejus genitricis, attribuit monasterio Trunchiniensi allodium suum, ut inde canonici, in die anniversario obitus sui, quoquo anno, quatuor reciperent solidos. Quae tertio post anno Compostella rediens, ubi sanctum Jacobum venerata fuerat, diem suum in itinere obiit. Voti causa Compostellam petiit.

MCXI. Robertus, Flandriae comes, moritur et Balduinus in opes succedit paternas.

MCXVII. Octavo idus Maii, diem suum clausit dominus Godezo, praepositus Trunchiniensis<sup>1</sup>, et in demortui locum, praecepto et auctoritate Balduini, comitis Flandriae, substitutus est (vel intrusus potius), sine fratrum libera electione aut suffragiis, dominus Meynardus, scholasticus Gandensis, sed uno tantum supervixit anno ea in dignitate.

Interim cum de novo subrogando praesule cogitarent, comes contra leges, libertatem ac consuetudinem horum fratrum, quibus mos erat liberis suffragiis sibi praepositum eligere, subintravit, et caetera, vel comitis auctoritate obtruditur<sup>2</sup>.

MCXVIII. Quarto calendas Augusti, obiit dominus Meynardus, praepositus Trunchiniensis, cui in regimine, jussu comitis Balduini, successit ejus filius, dominus Odgerus.

MCXVII. Balduinus comes, Balduino Gandensi juniori dimidiam resti-

<sup>1</sup> Cujus obitum MEYERUS in Martium confert mensem. N. C.

<sup>2</sup> Phrasis obscura et manca, sensum tamen habet perspicuum, ex praec. N<sup>o</sup>.

tuit partem oppidi Trunchiniensis, aliamque a Carolo impetravit, ut infra.

MCXIX. Quinto decimo kalendas Julias, obiit Rosilariae absque prole superstite Balduinus, postquam Carolum suum amicum, Danorum regis filium, ex asse instituisset heredem.

MCXX. Balduinus Gandensis denuo recuperavit a comite Flandriae Carolo, dicto Pio, Vuas et alteram partem Trunchinii prope Mecinas, sexto idus Septembris.

MCXXI. Trunchinium allatae reliquiae Dominicae crucis, Hierosolymis emissae ab Alwoldo, qui dicitur Waluuam, filio Wilradi de *Bongarde*.

Quinto decimo Martii, dedicata est ecclesia Landeghemensis a Lamberto, episcopo Tornacensi, ad honorem et memoriam sanctorum Livini et Blasii, et sanctae Margaretae virginis.

MCXXVII. Octavo kalendas Novembris, obiit Balduinus, optimatum Flandricorum multo clarissimus, qui mundanis prius omnibus salutem dixerat rebus, ac religioni sese in totum addixerat; obiit, inquam, postea in coenobio Affligimiensi, et in opes ejus et ditionem Alostanam successit frater ejus Ywanus<sup>1</sup>.

\*<sup>2</sup> MCXXX. Dominium de *Lede* in partibus Alostanis nutrix est nobilis cujusdam familiae, gerentis nomen et insignia ejusdem tenoris cum insignibus Balduini de *Lede*, qui cum aliquibus aliis Flandriae nobilibus litteras quasdam Ywanni de *Gand* signavit, qui, cum uxore filia comitis Theodorici, contulit certa bona ad usum fratrum Trunchiniensium anno MCXXX indictione secunda kalendas Octobris.

<sup>1</sup> MARCHANTIUS, lib. I, dicit duos fuisse Ywanos Alosti, sed errat, faciens duos ex uno; et dicit quod alter canonicos regulares Trunchinii, anno MCXXXVII in Praemonstratenses monachos converterit: alium dicit, quem Gandensem cognominant, quod Laurentiam, Theodorici Alsatii Flandriae comitis filiam, duxerit, ex quo matrimonio ortus Theodoricus postremus; cumque absque prole obiisset, anno MCLXXIV, viam Philippo Alsatio, Flandriae domino, patefecit ad Alostani principatus possessionem.

LESPINOY, pag. 151: *Rodolphus de Gand ou d'Alost, qui eut pour fils Balduin d'Alost, seigneur de Trunchiennes, qui de sa femme Ode laissa Balduin, surnommé le Gros, allié à Lutgarde de Grimberges, selon le témoignage de Lambert d'Ar-*

*dres, auteur très ancien et digne de foi, il eut de cette femme Balduin de Gand ou d'Alost, qui espousa Mathilde et eut une fille nommée Béatrice, mariée à Henry de Bourbourg, et un frère appelé Ywain de Gand, qui eut à femme Laurette fille de Thierry d'Alsace, comte de Flandres, etc.*

LESPINOY, pag. 267, ubi agit de *Lede*, dicit Balduinum de *Lede* inter alios Flandriae nobiles subsignasse tabulas quibus D. Ywanus de *Gand* aliqua bona contulit Trunchiniensibus. Verba autem sunt: « Qui cum uxore filia comitis Theodorici contulit certa bona ad usum fratrum Trunchiniensium, anno MCXXX, indictione secunda, kalendas Octobris. » N. C.

<sup>2</sup> Qui hoc signo articuli notantur, in quadam chronici appendice inveniuntur.

\* Item Alexander de *Lede* cessit juri suo Petro de *Coorenhuyse* et domicellae Margaretae uxori suae ex dote promissa per dictos de *Coorenhuyse* ejusque uxori dicto Alexandro *Van Lede*, in contractu matrimoniali, inito cum domicella Margareta, super dictorum filia, prout videre est in registro scabinali Gandensi sub annum MCCCLIX.

MCXXXI. Octavo idus Octobris, combustum, ob causam nescio quam, ab Gandensibus Trunchinium.

MCXXXIII. Pridie nonarum Septembris, obiit Suanildis, Theodorici principis uxor ac Flandriae comitis, unica ex ea relicta filia, cui nomen Laurentia, quae Ywano comiti nupsit Alostano, cujus favore ac ampla munificentia Trunchinii introducti sunt et vivunt ordinis Praemonstratensis canonici; bina autem celebrarat matrimonia comes, prior illi uxor Suanildis haec fuerat.

MCXXXIV. Moritur sanctus Norbertus sexto Junii<sup>1</sup>, et succedit beatus Hugo, qui quinque et triginta, ut puto, annis sanctissime rexit; obiitque decimo Februarii MCLXIV.

MCXXXVI. Indictione quarta decima, regnante Ludovico, Francorum rege, principante Theodorico, Flandriae comite, anno octavo principatus sui, traditur locus de *Saleghem* fratribus ibidem Deo servientibus sub regula sancti Augustini per praefatum Theodicum et ejus uxorem Suanildem<sup>2</sup>.

MCXXXVII. Cum longe lateque per orbem beatissimi patris Norberti fama increbesceret, ac sanctissimae ejus vitae odor ac virtutis fama per omnes fere regiones sese diffunderet, odoris hujus fragrantia ita nares animumque nobilissimi viri domini Ywani, cognomento Calvi, comitis Alostani, oblectavit, ut firmiter mox deliberarit, seseque Deo ac patri Norberto obstrinxerit, prolibus suis certum condere domicilium. Quod dum mente saepe percogitat animoque revolvit, quem commodissimum in tam sanctum opus destinaret locum, tandem in allodio proprio aedificare coepit sacellum, quod adhuc modo visitur, loco nomen est *Salegem*, vicus autem est pagi *Vracene*, ac eidem praefecit ecclesiae dominum Gosuinum, qui et Salegemiensis dici coepit abbas, sanguinis necessitudine Ywano conjunctus. Comes autem Ywanus cum et Trunchinii,

<sup>1</sup> Quae fuit feria quarta post Pentecosten, littera G fuit Dominicalis, quae erat III mensis. Sic in vita S. Norberti, apud ROSWEDDUM; sic Le-paige fol. 891. N. C.

<sup>2</sup> Sic habent patentes nostrae litt.; MEYERUS ta-

men assignat mortem Suanildis anno MCXXXIII. Vide append. N. C.

MARCHANTIUS assignat eundem annum fundationis abbatiarum Trunchiniensis et Niniveris, circa annum MCXXXVII. N. C.

ex comitum Flandriae donatione, esset dominus, eoque, hoc tempore, ut per occasionem, appulit, comperta canonicorum ibidem degentium segnitie vitaeque minus laudabili, consilio priori mutato, in hoc omne suum studium et conatus convertit, ut eosdem ad Norbertini instituti normam ac vivendi modum amplectendum inducere valeret. Ut igitur cordis sui desiderium imprimis ipsi praeposito Odgero, caeteris dein suis canonicis patefecerat, ac repulsam tulisset (nihil enim ipsis minus cordi erat quam Deo sic famulari velle), attamen iterum atque iterum ut votis suis acquiescere velint, rogat, instat, obsecratque, vel alioqui futurum brevi, ut id vel inviti facere cogerentur, sed surdis, ut aiunt, narrabat fabulam. Ipse autem comitis Theodorici subnixus favore, utpote qui tanta apud eum auctoritate et gratia, quod filiam ejus unicam e priori thoro, Laurentiam in uxorem acceperit, unice a comite postulavit ut Trunchinianos canonicos, qui a veteri spiritus fervore ac verae pietatis culmine et progressu declinarant ac degenerarant, ad meliorem uberioremque pietatis frugem, ac ad praescriptum Norbertini instituti modum ac vivendi methodum suscipiendam cogere sua auctoritate valeret et renitentes suis propulsare sedibus, beneficiisque privare: quod illi mox comes annuit assensitque. Ipsis igitur ut comitis indultum mandatumque aperuit, ac instanter urgeret negotium, maluere potius loco cedere, beneficiaque sua resignare, quam antiquum vivendi modum mutare. Et imprimis ipse praepositus dominus Odgerus in manus resignavit Ywani praepositorum suam, sexto nonas Maias, pridie inventionis sanctae crucis, anno MCXXXVIII, eumque secuti et caeteri canonici dignitatibus suis ac canonicatibus sese abdicarunt. Ywanus, jam voti compos, mox Lauduno monasterio aliquot religiosos adscivit, in quibus fuere domini Philippus, Walterus, et caeteri, ipsisque reverendissimum dominum Gosuinum abbatem dedit. Cum loco simul et pulsorum canonicorum attribuens iisdem possessiones, imo et amplissimas, ex propriis, ditavit muneribus cum aliis multis ducibus, comitibus ac nobilibus viris. Quae omnia et singula tum a summis pontificibus, tum dioecesanis ac aliis confirmata, stabilita ac roborata fuere episcopis, ac ab aliis subsignata fide dignissimis viris.

Imprimis igitur ipse dominus Ywanus attribuit coenobio Trunchiniensi alodium suum *Burst*, *Saleghem* et *Hulsterloo*, ac decimas suas in Wasia et in Torcungis<sup>1</sup>, confectaeque inde sunt tabulae<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Ita MEYERUS. N. C.

<sup>2</sup> Vid. in appendice litteras donationis.



Simon, episcopus Tornacensis, eamque ecclesiam plane liberam reddidit, solummodo reservans canonicam abbatum professionem et filialem obedientiam, et loci ac fratrum ordinationem, et assiduas orationes tam sibi quam successoribus suis in eodem loco retinens.

MCXL. Hoc anno, monasterium Jettense, quod Dilighemium hodie nuncupatur, uno a Bruxella milliari, in pago *Jette* fundatur, ad quod reverendus dominus Gosuinus, Trunchinensium antistes, aliquot e fratrum suorum congregatione, pro religionis nostrae jaciendis fundamentis, transmisit eisdem, in abbatem constituto Waltelmo.

MCXLIV. Natus est Ywano Gandensi filius ex Lauretta Flandrensi, quem comes Flandriae Theodoricus, die lustrico, nomine suo Theodoricum appellavit. Qui ut nubiles attigit annos, uxorem accepit Laurettam sive Laurentiam, filiam Balduini Hannoniae comitis, patrisque sui donationem Trunchinianis factam suo roboravit assensu ac chirographi impressione. Obiit autem absque liberis. Naturae quoque debitum persolvit dominus Philippus, ecclesiae Trunchiniensis canonicus.

MCXLV. Sexto idus Augusti, obiit nobilissimus ac illustrissimus dominus D. Ywanus, comes Alostanus, cognomento Calvus, interfectus, ut quidam referunt, ab Rogerio, castellano Curtracensi, elatusque est in id, quod dotaverat cujusque auspiciis ibidem ordinis Praemonstratensis religio coepta est, Trunchinii monasterium juxta Gandavum, relicto solo et unico filio Theodorico. Cui Petrus Tectorinus hoc cecinit epitaphium :

Quem spectas pario marmore gnaviter  
Expressum, celebri vase quiescere  
Ywanum comitem, nuper Alostia  
Ac sacrum haud aliter numen amaverat.  
Gandavi generis stemmate prodiens,  
Hic coetus nivei iecit originem,  
Elargitus opes, tum patrimonia.  
Ergo perfruitur mens supero Jove.  
En corpus tumulo nobile saxeo.  
Quaeso, plange scelus, quisquis obambulas,  
Nam quo decubuit, te vocat exitus.

Lauretta Ywani, altero post anno, tertium iniit matrimonium, nupsitque Henrico Lemburgensi.

MCXLVI. Erardus, praepositus Nivellanus, laudabilem sanctamque reverendi patris ac domini Gosuini abbatis Trunchiniensis, ac fratrum suorum conversationem videns, matura admodum cum canonicis suis habita deliberatione, cum dominis Balduino, Gerardo, Philippo, Helia, magistro Lamberto ac Wulmaro, concorditer ac unanimi suffragio et consensu, eundem in praepositum elegerunt ac devote susceperunt, eidem simul et curam pastorem loci ejusdem libere resignarunt, ea tamen conditione, ut ipsi ad vitam praebendis solitis gauderent, post vero obitum, omnia monasterio Trunchiniensi cederent bona.

MCXLVII. Quam occasionem haud differendam minusque praetermittendam ratus reverendissimus pater Gosuinus, utpote cui nihil unquam desiderabilius fuerat, ac pie plantatam a sancto patre Norberto vineam latius in dies propagare atque ad uberiores producere fructum, ideo magna instantia multaque intercessione apud reverendissimum dominum Anselmum episcopum Tornacensem egit, ut ipsam donationem suo assensu et auctoritate roboraret, ac liberam eidem Nivellam concessit, ipsis idibus Julii, cum hisce sequentibus appendicibus, sive altaribus *Peteghem, Astene, Landeghem, Vorslaer, Vorsrebruch*<sup>1</sup>, *Hansbeka*. Ut igitur omnes diem suum obiere, mox eo tres e suis delegit religiosos, qui fidelium ibidem habitantium saluti divinisque officiis continuo intenderent.

Nivella Trunchiniensibus ab Anselmo, episcopo Tornacensi, intercessione Gosuini abbatis, cum *Peteghem, Astene, Landeghem, Vorslaer, Vorsrebruch, Hansbeka*, MCXLVII, idibus Julii.

MCXLVIII. Hactenus possederant fratres Trunchinienses altare Cherscampianum ibique munus pastorale obierant, verum hoc anno reverendissimus dominus Nicolaus (claret archiepiscopus Cameracensis) importunis domini Roberti decani de Bella (nunc *Schellebelle*) (vixit et anno MCXCII) postulationibus inclinatus, id ipsum liberum, cum omnibus suis appendicibus, sineque persona Trunchiniensis ecclesiae, ut ibidem sororum ordinis Praemonstratensis claustrum constituatur, eidem donavit.

Postea omnia bona et possessiones sui monasterii ab Eugenio, papa ejus nominis secundo vel tertio, approbari et confirmari impetravit, ut sequitur<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> *Verrebrouck* legi in litteris Anselmi. Vide append. N. C.

<sup>2</sup> Diploma in append. habebitur.

MCL. Haec circa tempora, vel saltem pauco ante, ad minus anno MCXLV, non autem post, illud potest accidisse.

Reverendissimus dominus Gosuinus, magna cum Balduino de Wasia habita super bonis de *Saleghem*, *Werrebrouck*, controversia, cum eam amicabiliter deponere nequiret, alio proterve persistente, tandem eo ventum ut uterque Romam peteret, sicut constat ex hac Bernardi Clarevallensis epistola :

« Contigit abbatem Trunchiniensem et Balduinum de Wasia, pro determinanda controversia eorum, Romam ituros, per nos transitum facere. Quorum causam cum audivimus, eorum labori et sumptui compatientes, Deo auxiliante eos in pace et dilectione composuimus, in hunc modum : Ecclesia Trunchiniensis secundum privilegia sua *Werrebrouck* et *Saleghem* cum integro jure parochiali possidebit in perpetuum; statuimus quoque ut ecclesia Trunchiniensis Balduino annuatim XX solidos daret, in festo beati Remigii. Balduinus etiam oblationes, quas in ecclesia Trunchiniensi habebat, rogatu nostro eidem ecclesiae concessit <sup>1</sup>. »

MCLII. Obiit dominus Walterus sacerdos et canonicus, cujus corpus requiescit in ecclesia sanctae Mariae Virginis.

MCLIV. Reverendus dominus Johannes Walteri scripsit Romam, ac sanctissimum dominum pontificem romanum rogat (Anastasium IV, Adrianum IV), ut ecclesiam suam Trunchiniensem in apostolicam suam protectionem suscipere dignetur. Cujus piae petitioni summus pontifex assensit hoc anno, pontificatus sui anno primo, et in hunc modum rescripsit <sup>2</sup>.

MCLVI. Godefridus, Dei gratia sanctae Trajectensis ecclesiae electus, concedit facultatem R. D. Johanni abbati et fratribus ecclesiae Trunchiniensis celebrandi divina et sepeliendi in *Hulsterloo*. Datum Trajecti, secundo cal. Augusti.

MCLIX vel MCLX. Geraldus, episcopus Tornacensis, donavit reverendissimo Johanni altare de *Hansbeke* : tenor sequitur <sup>3</sup>.

MCLX. Godefridus licentiam dat domino Waltero erigendi ecclesiam in quadam nova terra, *Hencdyck* <sup>4</sup> appellata, cum baptisterio et sepultura ac omni jure christianitatis.

MCLXI. Reverendus dominus Walterus, potestate habita a Trajectensium

<sup>1</sup> Vid. *Opera S. Bernardi*, secundis curis MABILLON, 568; ubi epistola his verbis clauditur : « Idem sic sensit Simon, episcopus Tornacensis. »

<sup>2</sup> Diploma in appendice habebitur.

<sup>3</sup> V. diploma appendice.

<sup>4</sup> In libris nostris semper scriptum *Hinxdyck* vel *Hincdyck*.

episcopo, exstruxit ecclesiam aggeris Henriciani, vulgo *Heynsdyck*, verius et *Hengstdyck* appellatam ecclesiam, aggerem caballinum. Referunt enim in insignibus suis caballum.

MCLXIV. Obiit Hugo, sancti Norberti successor, decimo Februarii, succedit dominus Philippus. Obiit octavo die Januarii MCLXXIV<sup>1</sup>, succedit Johannes, dein Dodo, sed parvo tantum tempore praefuerunt.

MCLXV. Duodecimo kalendas Maii, magno sui desiderio, in vivis esse desiit florentissimus ac nobilissimus adolescens Theodoricus, Ywani ac Laurettae unicus filius, Theodorici Flandriae comitis ex filia nepos, altero supra vigesimum aetatis suae anno. Sua patrisque munificentia ample dotatum monasterium<sup>2</sup>.

MCLXVI. Gerardus abbas Ninivensis, Hildebrandus, abbas Jettensis.

MCLXVII. In humanis esse desiit nobilissima domina D. Lauretta, filia Theodorici Flandriae comitis quondam Ywani uxor.

MCLXXIII. Reverendissimus dominus D. Petrus, Cameracensis episcopus, donavit Trunchinianis altare parochiae Sonnegemiensis, et successor ejusdem reverendissimus dominus Alardus iterato id ipsum donavit nobis ad petitionem reverendissimi domini Desiderii, episcopi Morinensis, anno MCLXXVII, praesulatus sui anno primo<sup>3</sup>.

MCLXXIV. Dedicatio ecclesiae Trunchiniensis<sup>4</sup>.

\* MCLXXVII. Philippus comes dat XXX sol. pro pane et vino ad missam.

\* MCLXXIX. Idem Philippus nobis vinum administrat ad commoditatem.

\* MCLXXXVI. Idem Philippus liberos nos facit ab omni exactione pedagii, et caetera.

\* MCXCVII. Balduinus comes dat X jugera in *Peteghem*.

MCC. Unus ex praecipuis Flandriae optimatibus, dominus Raso de Gavera et Claritia ejus uxor, et Raso filius, participes esse debent omnium orationum nostrarum et pro iisdem semper ardere debet lampas.

MCCXVIII. Mense Junio, vixit dominus Giselbertus sive Gilebertus abbas, Walterus, Willelmus, Rabodus sacerdotes religiosi. Decem dati solidi super altari de *Meyghem*: debet pastor.

<sup>1</sup> Praeclare de eo scribit, LE PAIGE, pagina 921. N. C.

<sup>2</sup> Cujus quidem decessum in proxime sequentem MEYERUS confert annum. Largis a matre lacrymis comploratus N. C.

<sup>3</sup> Diplomata in appendice habebuntur.

<sup>4</sup> MEYERUS refert eam in annum MCLXXXII, nisi forte ea fuerit alia, ita ut una forte parochiae fuerit, altera monasterii.

Debebantur conventui duo modii avenae, pro quibus per mutuum assignantur conventui decem solidi annuatim super altari de *Meyghem*, quos debet pastor ad festum sancti Bavonis. Actum Nivellae, praesentibus supra positus, mense Junio.

MCCXXII. Vixit Walterus praepositus, qui et praepositus Trunchiniensis legitur fuisse, anno MCCXXIX; vixit et Gosuinus prior, Walterus praepositus, Wilhelmus, Walterus sacerdotes, et Walterus diaconus, canonici Trunchinienses, mense Aprili, et Hugo, canonicus Nivellensis.

Obligatur abbatia constituere Nivellae sacellanum, qui ibidem in sacello Domini celebret sicut seculares hactenus consueverant.

Walterus, dominus Nivellensis, pro anniversario sibi et uxori suae, Maroiae dictae, singulis annis perpetuum Trunchinii faciendo confert omnem donationem, vel omnes proventus, capellaniae de Nivella monasterio nostro, modo eidem provideat praelatus de sacellano uno e reliгиозis, qui quotidie in capella ipsius de Nivella celebret: testes fuere supra notati<sup>1</sup>.

MCCXXIV. In humanis esse desiit nobilissima domina D. Beatrix, comes Gisenensis, eademque Brugburgensium praefecta, quae, anno MCCXVII, de nostro est bene merita monasterio.

MCCXXVII. Emptae decimae vocatae de *Malsen Thiende* in parochia de *Loo* a Balduino, dicto *Maeghre*, pro XXIV lib. flandricis.

MCCXXIX. Mense Octobris, conventus (quod monasterium Cisterciensis ordinis beatae Virginis extra Gandavum nunc Biloca) per Johannam Flandriae et Hannoniae comitissam inchoatus, infra metas parochiarum in quibus praelatus noster habet jus patronatus, vel in locis in quibus jurisdictionem obtinet, de caetero nihil acquirere poterat, nisi de consensu Trunchiniensis abbatis.

\* MCCXXX. Resignatio capellaniae Nivellae, feria quarta post octavam apostolorum Petri et Pauli.

MCCXXXIII. Sigillum conventus hoc tempore erat rotundum, et in medio habebatur agnus Dei, et in circumferentia sic erat scriptum: *D. Conventus Ecclesiae Trunchiniensis*. Hoc sigillo erant sigillatae litterae conventionis, quibus dominus praelatus concesserat in feudum decem bonaria terrae Nivellae cuidam Roberto *Worm* in hunc modum<sup>2</sup>.

\* MCCXXXV. Dantur septem bonaria terrae cum mansura Nivellae.

<sup>1</sup> Diplom. in append.

<sup>2</sup> Litterae in append.

MCCXXXVI. Th. de *Middelborch* et B. de Castello, abbates, testantur se fuisse praesentes ubi Otto, Dei gratia Trajectensis electus, concessit S. <sup>1</sup>, abbati Trunchiniensi, licentiam curandi consecrari capellam suam de *Hulsterloo*, habita alicujus episcopi copia anno MCCXXXVI, feria quarta post octavas Trinitatis, copia autem supposita est.

MCCXXXIX. Obiit illustris dominus Oliverius a *Poucke*, eques auratus, qui sepultus fuit in ambitu, sexto Julii, habuitque monumentum elevatum a terra tres pedes et desuper figuram sculptam. Hic inter caetera attribuit monasterio certos census annuos in granis, solvandos in *Nevele van een leen, ter Oostmuelene genaemt*.

MCCXLII. Emit praelatus LXXIII bonaria Wastinae, in confinio parochiarum de Ursela et *Maldeghem*, XVII cum dimidio jacentia in *Peteghem*, et IV et dimidium jacentia juxta *Saleghem*, mense Augusto.

MCCXLIII. Alardus de Heula miles vendidit praelato et ecclesiae nostrae, mense Decembris, V bonaria et unam mensuram mori; et ea pars bonorum modo est sylva nostra in *Waerschoot*. Quam venditionem reclamavit Margareta, comes Flandriae et Hannoniae, et iterato praelato vendidit, anno MCCLI, mense Decembri, pretio sexaginta librarum Flandriae, cum conditione et obligatione solvendi annue sex denarios ad Remigii.

MCCXLVIII. Mater Sigeri de Curtraco, domina Isabella, in extremis constituta, contulit ecclesiae nostrae LX solidos Flandriae annui redditus de apparentioribus bonis sive redditibus suis, sive XXX libras ad illos comparandos ad anniversarium suum annuatim celebrandum. Quod ipse Sigerus et uxor ejus Aelidis, cum iter arripere deberet transmarinum, confirmarunt et ratum habuerunt ac insuper quae donarunt monasterio debitum duorum modiorum avenae, quos ecclesia illi debebat. Actum anno MCCXLVIII, mense Julio.

Contractus praelati nostri initus cum domino praeposito et priorissa de *Cerschamp* cum suis, anno MCCXLVI, mense Maio <sup>2</sup>.

MCCLI. Vixit dominus Franco, praepositus; emit, mense Januario, duo bonaria Wastinae in *Burt*.

MCCLII. Mense Martio, fatetur Wilhelmus, archidiaconus Cameracensis, ecclesias *Sonneghemiensem* et *'t Serschamp* esse personatus ecclesiae Trunchi-

<sup>1</sup> Sigerio.

<sup>2</sup> Posterius habebitur contractus in appendice.

niensis, et modo una ecclesiarum jus procurationis in visitationibus persolvat, sibi satisfactum.

Conqueruntur Dunenses inter caetera (lis est contra nostros), et sibi damnum restitui volunt, quod incurrerant per canes illorum de Trunchinio qui insequendo gregem quemdam illorum de Dunis quasdam oves submerserant, et quasdam dentibus laceraverant. Praeterea damnum requirunt ob dedecus sibi illatum, quod aestimant ad valorem LX librarum, eo quod Trunchinienses ipsos Dunenses in foro civili coram secularibus convenerant, cum id factum esset, ut dicebant, contra statuta utriusque capituli generalis Cisterciensis et Praemonstratensis, et ipsos Dunenses coactos reprehendere oportebat coram secularibus iudicibus, cum id, ut dicebant, legitime fieri minime potuisset coram illo iudice seculari ecclesiastico absque licentia praedictorum capitulorum. Actum anno MCCLII, mense Aprili.

MCCLIV. Solvit praepositus cum suis pro ordinatione praelatorum superius conventui nostro, titulo emptionis, LXXX libras flandricas pro annuis VIII libris, et pro reliquis VIII assignavit, cum consensu praelati, XXX et unum solidos flandrenses, XI vero solidos de fructu cujusdam particulae decimae in *Sonneghem* et XX solidos in *Peteghem*. Si autem contingeret redimi summam illam assignatam, praepositus teneretur recipere pecuniam, et iterum eandem persolvere summam interim, usque impletionem VIII librarum, quod reliquum restabat debebat conventus nobis in *Cerschamp*, anno et mense ut supra.

MCCLVI. Vixit dominus Gilbertus *Molenare*, religiosus Trunchiniensis, ibidem vendit aliquot bonaria Wastiinae.

MCCLVII. Translatio sancti Gerulphi martyris, facta per reverendissimum dominum Walterum de Mandra, episcopum Tornacensem, ipso die nativitatis sancti Johannis Baptistae. In hac autem transtulit solum reliquias de veteri lignea capsula in novum feretrum auro et argento decoratum, ac novis sudariis involvit, veteribus tamen in honore servatis; per ea enim omnipotens Deus multas virtutes et miracula operari dignatus est.

Et annuae feriae in hujus translationis memoriam institutae sunt, quas altera sancti Johannis servamus.

MCCLXIV. Anniversarium Henrici de *Arzele*, Belae ejus uxoris, et Johannis eorum filii majoris natu, juxta certam compositionem ratione decimarum novalium de *Hansbeke*, in crastino Cinerum, ut suam Belaeque uxoris suae celebrem parique redderet memoriam.

MCCLXVII. Everardo *Radoel*, domino Nivellensi, volente canonicos Trunchinienses Nivellae habitantes obligari ad tres missas quotidie celebrandas, unam... mane, secundam capellaniae, et altam missam; item quod duo e canonicis deberent legere epistolam et evangelium in praecipuis festivitibus, et quod abbas in festo patroni deberet celebrare singulis annis altam missam; electi utrinque arbitri iudices, in quos partes compromiserunt, archidiaconus Tornacensis et praepositus sancti Pharaïldis Gandensis, qui ordinarunt quod unus canonicorum celebret vel procuret celebrari per alium, ter in septimana, mane, post matutinas a dictis canonicis decantatas, missam propter operarios et pauperes, secundam die Lunae, Mercurii et Veneris, nisi in aliqua dictarum festum celebre incident, quo tamen non tenentur celebrare, ut parochiani ad altam veniant missam, mandata ecclesiae et sermonem audituri. Missam tamen capellaniae et altam celebrabunt sicut consueverunt; et quod in die natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, dedicationis et patroni ecclesiae Nivellensis, Omnium Sanctorum, et quatuor solemnitatibus beatae Virginis, in nativitate sancti Johannis Baptistae, et festo apostolorum Petri et Pauli, unus dictorum canonicorum leget ad altam missam epistolam et evangelium in saroto vel superpelliceo cum manipulo et stola. Abbas autem non tenebitur in die patroni celebrare, nisi de gratia. Anno MCCLXVII, feria secunda post Trinitatem, acta sunt.

MCCLXVIII. Everardus Radolphi, dominus Nivellensis, profitetur dominum praelatum non nisi de gratia speciali permittere sacerdotem e suis religiosis celebrare in domo hospitali, quae est Nivellae. Feria quinta post Bartholomei apostoli.

MCCLXIX. F. Walterus, praepositus de *'t Sercamp*, a praelato ordinatus, cum famulo ipsius abbatis Woytino, ad limites ponendos aggerum nostrorum in *Kildrecht*, *Kalloo* et *Verrebrouck* cum caeteris alterius partis, in crastino Animarum, et limites ab ipsis positos approbavit Theodoricus dominus de *Beverne*, pars adversa; anno sequente, ut infra, approbavit et Margareta, comitissa Flandriae.

MCCLXX. Mense Maio, Gerardus, praepositus sanctae Pharaïldis Gandensis, dat pro remedio animae abbati et conventui beatae Mariae Trunchiniensis C solidos annui redditus, jacentes in parochiis sanctae Crucis et beatae Margaretae apud *Herdenborgh*, et apud *Meerendre*, ad butyrum expendendum in coquina, ad potagium ipsorum abbatis et conventus, IV libras et VIII solidos jacentes in



parochiis sanctae Crucis et beatae Margaretae, et XII solidos apud *Meerendre*, pro anniversario singulis annis in die obitus nostri celebrando. Feria quinta ante Pentecosten.

MCCLXXX. XV virgae terrae apud *Saleghem* emptae per praelatum, adjacentes bonis nostris. Actum in die purificationis beatae Mariae.

MCCLXXXIV. Cura animarum ac custodia reliquiarum ecclesiae de Hincdico permittitur religiosis nostris in perpetuum, quia ad praesentationem seu collationem abbatis seu conventus spectaret pleno jure, ut fatetur officialis Trajectensis, vices gerens majoris praepositi et archidiaconi.

MCCXCIV. Johannes de *Maelstede* cedit jus patronatus ecclesiae de Pauli *Poldere* praelato nostro.

MCCXCV. Consuetudo erat apud incolas Trunchiniensis semel in anno, in festo sanctissimae Trinitatis, deferre feretrum cum reliquiis sancti martyris Gerulphi ad locum nativitatis suae, in villam vulgo *Meerendra* nuncupatam. In eodem igitur festo, contigit mulierem quamdam Gandavo Trunchinium venire, quae atrium templi ingressa ibidem resedit ad pausandum, exspectans donec feretrum sancti martyris de templo efferretur, et sic cum caeteris proficisceretur ad locum praedictum; quae statim percussa est gutta ingenti, ita ut ab omnibus paralytica crederetur in tibia et pede. Interea populus cum feretro sancti martyris egreditur, quod videns mulier, dum vehementer cruciaretur, exclamavit voce magna: « O gloriose martyr Dei, Gerulphe, adjuva me ex hoc infirmitate mea, ut coeptum perficiam iter in honorem et laudem nominis tui! » Haec muliere orante, statim ut feretrum eam pertransiit, repente sanata est; et exiliens profecta est cum caeteris, ambulans et benedicens Deum, qui tanta ac talia miracula per merita et intercessionem gloriosi martyris sui Gerulphi operari dignatus est.

Item in eadem via mulier possessa a Daemone liberata est, ut longius videre est in *Legenda*.

\* In festo sancti Petri ad Vincula, feria secunda hebdomadae, ad instantiam tandem praelati declamantis a foro, domini praepositi majoris ecclesiae Trajectensis, primo ac dein, ab officiali ejusdem curiae, auctoritate sedis apostolicae delegatus fuit archidiaconus Tornacensis.

\* Cum diuturna controversionis lis fuisset inter dominum Johannem de *Maelstede*, contendente sibi jus patronatus competere ecclesiae de Pauli *Poldere*, ac abbate nostro sibi id ipsum vindicante, ipse dominus pertaesus tam

diuturnae litis, omne jus filio suo primogenito contulit ac cessit, qui post patris sui obitum, mere ac spontanea voluntate, omni juri sibi competenti, vel quidquid competere posset, renunciavit volens ac consentiens, quod ipsa ecclesia Trunchiniensis, vel abbas, vel conventus in praefata parochiali ecclesia de Pauli *Poldere*, gaudeant pleno jure patronatus ibidem; recognoscens nec se nec aliquem heredum suorum in posterum aliquid juris habere in patronatu praefato, ordinans et consentiens in hoc, quod tam jus patronatus quam possessio ejusdem ibidem plene pertineant in posterum ad ecclesiam Trunchiniensem, volens contradictores, si forte aliqui, in dubium factum hoc trahentes, sibi aliquid competere adhuc lapsu temporis praetenderent, per censuras ecclesiasticas ad desistendum compelli. Quam cessionem praelatus acceptavit, et caetera. Datum ut supra.

MCCXCVII. Rex Franciae in Flandriam descendit, eamque ubique depopulatur: hoc bellum vel domesticae potius seditiones per modica subinde intervalla vigesimum annum excesserunt. Omnia conturbata, omnia tristia, omnia luctuosa, omnia seditiosa, ita ut in pestifero motu tota esset Flandria.

MCCXCIX. Emit R. D. praelatus a comite Flandriae septem bonaria mori in *Moerbeke*, CCCXX lib. monetae Flandriae.

MCCC. Gandenses sese, comite inscio, tradunt Valesio, regis fratri.

MCCCIV. Gerardus abbas scribit domino Johanni *Ghistelle* gallice de redemptione certi cujusdam census; et citat praedecessorem suum Matthiam *Jadis*, ipso Remigii.

MCCCVI. Cum hactenus lis magna fuisset inter comitem Flandriae et praelatum super quantitate mori <sup>1</sup> jacentis in *Hulsterloo*, Robertus condescendere volens nobis promisit nobis adjudicari pacifice, et quamdiu viveret, missa solemnis de Spiritu in monasterio celebretur et post mortem.

Mense Febuario, obligat se abbas et conventus ad anniversarium cum novem lectionibus decantandum pro Roberto, comite Flandriae, ubi obierit, et pitantia conventui danda propriis sumptibus. Abbatisque sigillum erat « religiosus in dextra pedum habens sine velamine, in sinistra ad pectus admota librum », et in circumferentia erat scriptum *Sig. abbatis beatae Mariae Trunchiniensis et conventus*. Erat beata Virgo habens puerum Jesum

<sup>1</sup> In illo mori CCCCLV bonaria cum fundo, praeter alia septem quae ibidem emerant a domino de *Bevere*. N. C.

in sinu sinistro; in circumferentia *S. conventus beatae Mariae Trunchinien-*  
*sis*. Inferius erant figurae parvae trium sanctarum.

A tergo sigilli abbatis erat pedum, cum hoc scripto in circumferentia : *Sigil-*  
*lum secretarii*.

MCCCVII. Vir Trunchinio oriundus arreptus a Daemone, ut sibi multa infligebat vulnera, ne ulterius sibi noceret catena, funibusque undique vinctus in grabatho posuerunt et Trunchinium adsportarunt. Ut autem limina praetergressus ecclesiae, rugitum ad instar leonis emisit, qui positus ante capulum (feretrum) sancti Gerulphi, clero populoque circumstantibus ac Matre Dei, ac sancti martyris auxilium humiliter implorantibus, non multarum horarum spatio elapso curatus est, moxque exclamavit se vidisse juvenem purpuratum vultum habentem angelicum, Daemonium a se eiecisse, expulisse. Quod audientes circumstantes cognoverunt illum martyris et intercessione sancti Gerulphi a Daemonio esse liberatum. Qui statim in hymnis et laudibus glorificaverunt Deum coeli qui sanctum suum martyrem tali decoravit miraculo et gloria.

MCCCIX. Circa festum sanctae Mariae Magdalenae, Gandavi puella quaedam degens in Beginagio ita phrenesi obvolvebatur, ut vestimenta sua manibus discerneret. Quod videntes ei cohabitantes Beginae in lacrymis prorumpunt, timentes eam a Daemone obsessam esse. Invocantes vero auxilium et consolationem sancti martyris Gerulphi, votum protinus emiservunt cum infirma, ac se tum visitare martyrem promiserunt. Et brevi post tempore sanata cum aliis peregrinationis votum emissum fideliter compleverunt.

\* MCCCXI. Incepit processio Brugensis ob reverentiam veri cruoris Domini.

MCCCXV. Fames maxima Gandavi, ita ut plures inedia absumpti.

Tanta fuit pestilentia ac fames hoc anno ut tertiam hominum partem absumptam memorent historici <sup>1</sup>.

MCCCXVIII. Vixit abbas A. <sup>2</sup>, qui elocavit decimas de *Borgoye* cuidam Danieli Trunchiniensi.

MCCCXXIII. Lis agitata fuit inter praelatum nostrum et sancti Bavonis ob decimas vulgariter dictas *Hurst* et *Borgoyen*, et constitutis utrinque arbitris et procuratoribus, e parte quidem praelati fratre Johanne de Tilia superiore, et fratre Johanne de Gasa, tandem nobis adjudicatae, mensis Octobris die antepenultima. Incepta lis ab ultima Julii per Henricum abbatem nostrum.

<sup>1</sup> Videatur MEYERUS hic in fine anni. N. C.

<sup>2</sup> Arnulphus sive Arnoldus.

MCCCXXV. Brugenses cum aliis Gandavum obsident, ad Pontem-Longum positis castris, unde totum Gandensem agrum foede depopulati sunt, ac Gandensium villas aedificiaque longe lateque incenderunt. Sigerus Curtracensis defendit Gandenses<sup>1</sup>.

MCCCXXVII. Hoc anno, emit R. D. Arnoldus domum in platea lapidea (*de Steenstraete*) ab *Avesoete*, et haec domus adhuc nostra refugii.

MCCCXXXIII. Feria sexta ante natale praecursoris Domini, dominus Aegidius de *Vremde*, ballivus comitatus Alostensis, cum suis, ad petitionem parochianorum de *Cerschamp* (quandoquidem ex ea recesserant parochia, quod conjicio quia vocat monasterium Intertorrentes) indicant priorissam debite providere debere isti parochiae ac templum in integrum reficere, vel collapsum restituere cum debitis ornamentis, et eidem procurare debere pastorem et custodem sumptibus monasterii. Ex patentibus patet litteris eam ob causam confectis; sed crederem invalidas ac futes, quia inaudita altera parte, cum nec praepositi, nec priorissae in litteris expressum sit nomen, sint confectae et religiosae damnatae.

MCCCXXXIV. Vixit Sigerus Curtracensis, dominus Trunchiniensis, quem nos forte Oliverium a Curtraco male nominamus.

Magnam Philippus rex a sacerdotio Flandrensi extorsit pecuniam. In feriis domini Clementis, mense Novembri, ventus, fulgur ac tonitrua facta sunt quanta post hominum memoriam nemo vidit vel audivit. Qua coeli intemperie, mare trans omnes se aggeres ejecit, ruptisque omnibus obstaculis multos pagos cum hominibus sicut et pecuariis in Flandria miserando spectaculo absorpsit.

MCCCXXXV. Vixit dominus Johannes *Walaert*, feria tertia ante Vincentii, qui conscripsit librum censuum monasterii, dicitque antiquum fuisse e papyro domini Sigeri abbatis.

MCCCXXXVI. Johannes *Walars*, canonicus Trunchiniensis, comparet nomine praelati Tornaci pro decima de *Loo*, septimo decimo Aprilis, die Mercurii.

MCCCXXXVII. Hoc anno decollatus nobilissimus Flandriae eques dominus Sigerus a Cortraco, idem dominus Trunchiniensis<sup>2</sup>. Sexto pro cujus uxoris

<sup>1</sup> MEYERUS, fol. 129.

<sup>2</sup> MEYERUS hic, fol. 157. — Et en la mesme année mourut aussi Messire Seger le Courtroisin, qui

fut fort aymé en la ditte ville de Gand. Il fut ensevelly en l'église de Tronchiènes-lès-Gand dessouls une tombe de marbre eslevée. N. C.

anniversario legantur infirmitorio 16 lib. gr. Vide catalogum benefactorum nostrorum, pagina penultima, si forte non quadret ad annum MCCXLVIII.

MCCCXLI. Praelatus dicitur tum Tornaci pro synodo, tum Brugis pro supplicatione, tum Praemonstrati fuisse.

MCCCXLIII. Praelatus veritus ne inique et per vim cogereetur ad subsignandum pro bonorum suorum in *Herpe* alienatione, protestatus fuit<sup>1</sup> non habendum pro subsignato ob metum mortis, cruciatus corporis verberum, etc.<sup>2</sup>

Johannes *Wallaert van Nevel* emit censum 12 gross. *tornois*, Dominica ante festum nativitatis sancti Johannis: apparenter parens praelati.

MCCCXLV. Johannes, permissione divina abbas ecclesiae beatae Mariae Trunchiniensis, ordinis Praemonstratensis, dioecesis Tornacensis, fratrem Johannem de Tilia, priorem, ac fratrem Nicolaum de *Ghavere* constituit veros procuratores, actores et defensores causa monasterii, Dominica post festum beati Lucae, et altero anno terminata lis est.

MCCCXLVI. Johannes de Tilia prior cum fratre Nicolao de *Gavere* constituuntur procuratores in lite contra dominos abbatem de *Baudeloo* et decanum capituli Tornacensis, super jure decimarum in sancto Aegidio, Junii vigesimo octavo, per Johannem abbatem.

MCCCXLVII. Pestilentia multo maxima, hoc anno, grassari coepit, quae toto orbe terrarum per triennium saeviit<sup>3</sup>.

Gandenses etiam ecclesiae ministris graves imperant pecuniarias collationes.

Vicesimo primo Junii, Joh. *Wallaert*, pater praelati, dat conventui quatuor mensuras terrae pro anniversario pro se et uxore et fratre praestando annue.

MCCCLII. Anniversarium domini Johannis *Laet* et Alisae *Van Hecke* et parentum, qui nobis legarunt viginti solidos parisienses annue. Hujus modi anniversaria erant tamen unius *de profundis* cum collecta, qui mos adhuc apud Trunchinienses perseverat.

MCCCLVII. Emit praelatus à comite Flandriae Ludovico, decimo Octobris, quinque bonaria mori in *Moerbeke*, et quatuor bonaria apud *Hulsterloo* cum fundis, pretio 154 *ponden grooten tornoysen*.

MCCCLVII. Recepta de censu hereditariorum Torcungis 34<sub>s</sub>, puto certum per Parisienses libras computandum, et de *Wichelen* 16 solidi, pro

<sup>1</sup> Acta in camera abbatis Gandavi in vico de *Steenstraete*. N. C.

<sup>2</sup> Vid. litteras in append.

<sup>3</sup> Vide MEYERUM hic.

126 doliis cerevisiae 48<sup>s</sup> : signum eos non habuisse, eo tempore, modum cerevisiae coquendi; pro 11 vini doliis et custibus 193<sup>s</sup>; pro expensis conventus 78<sup>s</sup> 11 sol., et pro expensis praelati ac ordinis tallia 50<sup>s</sup>. Dedit domino comiti 150<sup>s</sup>.

MCCCLIX. Dominus Nicolaus de *Gavere*, canonicus Trunchiniensis (nunquam autem legi antiquiores illos praeponere dictionem *frater*), emit censum *Nevele* 12 solidorum parisiensium.

MCCCLX. Pestilentia exstinxit multos.

MCCCLXIV. Adjudicatur nobis capella beatae Mariae de *Loe* cum oblationibus, decimis porcorum, ovium, animalium, nec non exequiis et funeralibus, et aliis quibuscumque ad ipsam capellam provenientius, sicut prius. Non tamen poterunt hac occasione sacramenta administrare parochianis de *Vracene*, nisi de licentia pastoris, nec sepelire possunt, nisi prius ab amicis defuncti pastori fuerit satisfactum. Actum Antverpiae, in sancto Michaële, sub Martino abbate loci; et decimae quae proveniunt de terris, quas ipse dominus abbas et conventus Trunchiniensis propriis manibus vel sumptibus excolunt, quas integraliter cedent ipsis, nisi eas in posterum colonis tradiderint excolendas: de quibus tunc medietatem levabunt.

Gravis fuerat lis inter pastorem de *Vracene* et praelatum coram diversis iudicibus, tam in romana curia quam alibi.

MCCCLXVI. Emit R. D. bonarium *mours* cum fundo, in *Moerbeke*, pretio 150 *ponden grooten, torneysen* flandrensium monetae. Acta decimo quinto Januarii, *te betaelen in veertien jaren*.

MCCCLXVIII. Pestilentia magnum exstinxit mortalium numerum apud Flandros et Brabantos eorumque vicinos.

MCCCLXIX. Decimo tertio calendas Julias, die Martis, in feriis sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, Gandavi ad Bavonis, maxima celebritate et magnificentia nuptiae celebratae Philippi Audacis cum Margareta Maleana<sup>1</sup>.

MCCCLXX. Vixit adhuc Sigerus, putò abbas, et in nativitate Domini.

Vendit reverendissimus dominus Sigerus, quinta Junii, quasdam terras et certum censum annum suo conventui, quas non solum probabat, sed et laudabat, reverendissimus noster generalis D. Petri, abbas Praemonstratensis.

MCCCLXXI. Mola magistri in *Hulsterloo* fuit assignata comiti in redemp-

<sup>1</sup> MEYERUS hic.

tionem expensarum factarum pro novo jaciendo aggere, *Dyckvellinghe*, servato tamen jure ut primum ejus grana semper molerentur, et si contineret eam molam quandoque alio transportari, servaret idem jus in mola proxima comitis.

Magister in *Hulsterloo* habet jus primum molendi in mola comitis ipsi proxima. Datum Gandavi prima Decembris.

MCCCLXXII. R. D. emit feudum *Ten worden* vel parum antea.

MCCCLXXIV. Trigesimo Octobris, maximos passus sumptus pro aedificanda cataracta in *Vracene* conventus, sequenti anno.

MCCCLXXVII. Frater Johannes *Touts* (vel *Toete*), prior, undecimo Junii vixit. Dati 24 solidi grossorum pro vestiaria a laico in perpetuum.

Tria bonaria terrae, data monasterio in manibus prioris *Toete*, ea conditione ut singulis septimanis, die Lunae *requiem*, et sabbato de sancta Maria celebrarentur. Dat singulis sacerdotibus 2 grossos flandricos, et priori eas missas celebranti tres.

MCCCLXXIX. Ortum bellum Flandricum, vel potius civilis discordia ac domestica seditio.

MCCCLXXX. Vicesimo quinto Aprilis, emit abbas a comite Ludovico quatuor bonaria *met een ghemet* mori, in *Hulsterloo*, singula bonaria cum fundo pretio 16 libris grossis *tornoyis*, in univsum 62<sup>s</sup>, pro mensura 5<sup>s</sup> 6 sol. 4 gr.

Sub calendas Septembris, evastato toto agro Gandavensi, magno cum exercitu comes Maleanus movet Gandavum, ut oppidum obsidione premat, quam decimam post hebdomadam solvit<sup>1</sup>, data ipsis pace. Sed mense Januario, iterum refrigere coepit ea conditione, si aliquae venderentur ut duplex *cheyns* solveret emens, ita et obitu cujuscumque praelati *ses penninghen parasysen van elck biure jaerlycx*, duplicando in casibus praedictis.

MCCCLXXXI. Decimo tertio Maii, templum Nivellense comes incendi jussit, ut omnes, quotquot in illud irruerant, simul cremaret, crematusque est, fugientibus incolis, et totus pagus<sup>2</sup>.

Gandavum obsessum ad portam Brugensem, unde conjicere licet quo in statu fuerit Trunchinium.

MCCCLXXXII. Die sabbati, quae Dominicae crucis inventioni sacra, Gan-

<sup>1</sup> Dubium. N. C.

<sup>2</sup> MEYERUS hic.

denses, Philippo Artevelde ductore, Brugas capiunt. Ipsi igitur redeunti omnis civitas effusissima occurrit laetitia, sacerdotalis ordo, supplicationum more, et senatus populusque Gandensis obviam praecedit, adorant, maximisque laudibus in coelum tollunt, etc.; sed eodem adhuc anno, quinto calendas Decembris, in clade Rosebecana interiit eorum ductor cum viginti millibus ex tota Flandria contractis; comiti tamen rebelles manent Gandenses. Johannes *Van West* electus Gandensibus episcopus.

MCCCLXXXIII. Fuit frater Petrus *Vander Hecke*, cujus pater *Wulfrant Vander Hecke* Gandavi fuit scabinus, mater domina Elisabeth *Utenhove*: Margarita soror erat religiosa in *Waesmunster*. Mater autem, anno MCCCLXXXIV, legavit monasterio nostro 24 solidos parisienses.

MCCCLXXXIV. Comes Ludovicus a Biturige pugione confoditur, unde tertio post die in vivis esse desiit, quarto vel nono Januarii.

MCCCLXXXV. Carolus Sextus, rex Franciae, denuo in Flandriam descendit, ac Gandenses adhuc comiti rebelles obsidere minatur, sed singulari quodam Dei beneficio, tandem inventa est pacis via, ac bello Flandrico finis subsecutus, decimo octavo Decembris, in quo millia hominum amplius ducenta periisse traduntur.

MCCCLXXXVI. Vixit dominus Johannes Martini (credo prior fuit), pastor in *poldere*, ubi emit *een ghemet landts*. Sic vocabant antiquitus *in 't Serpauwels poldre*.

MCCCLXXXVII. Decimo quarto Junii, vixit quidam dominus Gerulphus, pastor in *Peteghem*: non fuit noster religiosus.

F. Johannes Martini reliquit monasterio pro anniversario suo 6 lib. parisienses.

Hac subnotata die, emit frater Johannes, canonicus professus Trunchinii, censum annui et perpetui redditus 50 solidorum parisiensium, assignatorum super honario prati Trunchinii, in prato comitis Flandriae; *neffens* 6 bonaria Danielis *De Halewyn*, pro anniversario suo post mortem celebrando, decimo tertio Decembris. Subsignarant Sigerus *Vrient*, ballivus comitis, et sic caeteri, Sigerus *Vanden Bosche*, Amandus Balduinus *Liger*, Johannes *Vrient*, F. Aegidii, Henricus *De Grootte*, Wilhelmus *De Cupere*, scabini comitis in dominio praedicto.

MCCCLXXXVIII. Comes Flandriae erat dominus temporalis Trunchiniensis domini de *Lucenborg*.



Domina Margareta *Vanderhamme*, soror domini abbatis, dedit nobis post obitum 10 lib. grossorum, anno MCCCCVII. Easque expendit Oliverius in emptionem census 30 solidorum parisiensium.

MCCCLXXXIX. Grave erat schisma in ecclesia dicitque Clementem verum pontificem, intrusum Bonifacium. Quaestio an obediendum praelato a Clemente consecrato? Instat rex Franciae et dux pro domino abbate, erant qui eidem resistebant.

Dux in propria sua persona coëgit praelatum, ut fateretur se Clementinum esse, et ab intestino se consecrari permetteret, sicut fecit, qua conditione in omnibus eum defendit rex Franciae ac ipse dux, et licet quidam, vi bullae Bonifacii papae, sese opponeret eumque praelatum denegaret, vi tamen omnes coëgit ad ejus obedientiam, misso ad monasterium summo suo ballivo, qui a priore et caeteris requirerent, num obedire detractarent. Hanc a duce obtinuit....

Commendarat hunc futurum abbatem, Johannem *Kimpe*, dux Burgundiae et Flandriae comes domino Laudunensi, unde factum est quod sicut conventus eundem concordibus suffragiis ab Laudunensi postularat sibi praefici, idem, quotquot sine ulteriori scrutinio, in abbatem sit designatus, etiam die praefixo.

Flandros variis modis Philippus conatur ad septam traducere pseudopapae Clementis, sed numerant illi sexaginta millia nummorum, eamque molestiam ita redimunt, tacetque dux illa de re ad tempus.

Pensionem omnem denegari jubet a papa vel alio datam.

MCCCXCI. Sexto Aprilis (obiit), puto F. Henricus *Selverbrechts*. Dantur enim 20 solidi praelato pro ejusdem anniversario.

« Venerabilis frater et amice charissime, scripsit nobis pridie dominus Jacobus de *Lichtervelde*, superior ballivus Flandriae, quod nedum ipse, verum et dominus dux Burgundiae vos affectuose rogaverant, quatenus fratrem Symonem de Brugis velletis instituere magistrum in *Hulsterloo*, quorum precibus non vultis acquiescere, sed instituistis ibidem quemdam alium, cujus parentelam et nomen propter quemdam, qui schisma fovere solebat contra voluntatem principis in Gandavo, dictus princeps dignoscitur non deligere, asseritque dictus ballivus in litteris, quod, si non dimisisset propter amorem ecclesiae ac etiam dilectionem quam habebat ad bonae memoriae dominum Sigerum praedecessorem vestrum, ipse jam retulisset domino duci,

quod non vultis suis postulationibus acquiescere. Quod posset in monasterii vestri non modicum praejudicium redundare; rogavitque nos tam instanter ballivus praedictus, quod super hoc vobis scribere dignaremur. Nos vero indemnitati vestri monasterii consulere cupientes, rogamus vos adhortantes in Domino, quod eorum postulationibus velitis acquiescere, ne vobis deterius aliquid inde contingat, potissime isto tempore, quo navicula Petri procellosis schismatis fluctibus agitur, nam ut poëtae verbis utar:

Est orare ducum species violenta jubendi,  
Et quasi nudato supplicat ense potens.

Oportet nempe, isto tempore, praelatos etiam valde magnos magnatum et principum precibus etiam minus justis obtemperare, ne forsán ipsorum indignationem incurrant. Placeat igitur fraternitati vestrae in praemissis taliter agere, quod ecclesiae vestrae valeatis evitare dispendia, utque dictus ballivus sentiat nos vobis nostras litteras transmisisse. Omnipotens vos conservet feliciter, ut optamus. Scriptum Praemonstrati, decimo tertio Novembris. Johannes, abbas Praemonstratensis. »

MCCCXCII. Johannes abbas emit in *Moerbeke* bonarium et quartam partem bonarii cum tribus virgibus mori, vicesimo septimo Februarii.

Dominus Johannes de sancto Bavone renovat ariragia infirmitorii, anno MCCCXCII.

MCCCXCIII. Omnes fere Carthusienses cum aliis multis ecclesiasticis Flandriam relinquunt, eo quod dux Audax eos ad Clementis antipapae obedientiam cogere vellet. Abbas de *Baudeloo* abbatiam suam, sicut et plures alii abbatias relinquentes, petunt Brabantiam. Gandavenses tamen, quidquid dux Audax et episcopi molirentur, ad finem usque immobiles et constantes in Urbani obedientia perstiterunt, Gallos omnes deliros appellantes et impios.

MCCCXCIV. Pascha, decimo tertio Aprilis: ad hoc Pascha, tota fere civitas Brugensis Gandavum petiit, ibique peccata confessi sacram sumpsere Eucharistiam a sacerdotibus Urbanistis.

Vixit Aegidius de Fossato, alias *Vander Grachte*, religiosus canonicus ordinis nostri, pro cujus anniversario ac parentum suorum assignantur nobis 28 sol. 11 *en paris. te Caperycke beset ten jaere MCCCXXX*, die Mercurii ante Macharii. Tum emerat quidam dominus a *Runslede*, si fors noster fuerit religiosus.

MCCCXCV. Tertia Octobris, reverendissimus dominus Johannes *Kimpe* excusat sese, ne capitulo proximo interesse teneatur : eligit in procuratorem dominum Franciscum *Kerne*, priorem ecclesiae Praemonstrati, eidem dans plenariam potestatem comparendi omniaque sui nomine statuendi vel admit-  
tendi, quae faceret approbaret.

Exstruxit novam molam 47<sup>8</sup> ; duci dedit 100 nobiles; emit *een stuck moers* 56<sup>8</sup>, et pratum in *Herpe* 13<sup>8</sup>, et plurima reparavit aedificia, domumque multa ditavit argentea suppellectili.

MCCCXCVII. Decimo septimo Maii, reverendissimus dominus Johannes Martini prior, pro cujus ac parentum suorum anniversario assignantur nobis annue 25 solidi parisienses.

MCCCXCVII. Pridie calendas Februarias, hora sexta ad vesperam, submergitur cum nauta suo, abbas Trunchiniensis Gandavi juxta Walportam, dum ex oppido domum navigat<sup>1</sup>.

Margareta, Audacis uxor, commendat rogatque priorem, etc., ut in abbatem sibi eligere velint dominum ac fratrem Johannem *Ghyselbrechts*. Scriptae litterae Attrebato, decimo octavo Februarii, sed conventui pro omnibus visus est vel maxime idoneus, etc.

MCCCXCVIII. Reverendissimus dominus Johannes Martini prior, qui obiit MCCCCVII, reliquit perpetuum redditum 6<sup>8</sup> parisiensium conventui.

MCCCXCIX. Pestilentia in Flandris omnibusque fere terris grassari coepit. Dicitur et hic prope *Houterken* sancti Basini.

MCCCC. Pestilentiae lues per totum fere orbem hoc anno grassata est.

MCCCCIII. Quinto Septembris, adjudicantur nobis decimae de *Hurst* (vel forte *Hunst*), obstante Philippo de Trunchinis, sed praelato Johanne evidentissime probante.

MCCCCIV. Sexto calendas Maias, moritur dux Audax Philippus apud Hallas, oppidum Hannoniae; succedit mox maximus natu filius Johannes, dictus Burgundio.

Aliqui census granorum post bellum videntur obscurati.

Tanta post hominum memoriam in Flandris nulla fuit inundatio, quanta hoc anno, mense Novembri, feriis D. Elisabethae<sup>2</sup>.

MCCCCV. Dominus Johannes *Stratinc* renovavit librum censuum heredita-

<sup>1</sup> MEYERUS hoc anno. Qui morem servant romanum conferunt ejus submersionem in annum sequentem.

<sup>2</sup> Vide MEYERUM pag. 220.

riorum in *Burst* et *Sonneghem* et *Bambrugge* monasterii, septimo mensis Maii.

Die vicesima prima Aprilis, Johannes novus princeps Gandavi inauguratur; simul antipapa Benedictus decimas imponit ecclesiae ministris, praetextu concordiae ecclesiae conciliandae.

Hoc, vel anno MCGCCXI, convocat dux praelatum nostrum, decimo primo Februarii, quae erat dies Mercurii, in feriam tertiam proximam, et intitulatur eum ut fidelem consiliarium suum, ut Brugis cum caeteris statibus compareat, ut ibidem de rebus gravissimis se concernentibus deliberetur et agatur.

MCCCCVI. Pascha undecimo Aprilis, Johannes abbas et generalis munus dispensationis impertivit fratribus Nicolao *Seys* et Petro *Ghyselyns*, eo tempore diaconis, ut ad sacerdotii gradum promoveri possint, septimo Augusti. Datum Praemonstrati.

MCCCCVII. R. D. Johannes <sup>1</sup>, abbas noster Trunchiniensis, in festo sancti Thomae apostoli, immediate post prandium baptizavit in valle Gandensi filiam Johannis Burgundionis, ducis Burgundiae ac Flandriae comitis, ac die lustrico vocata est Agnes, fuitque natu minima legitima ejus filia.

MCCCCVII. Ballivus et subballivus cum aliis monasterium ingressi, ob aliquem ibidem submersum, contra immunitatem ecclesiasticam et privilegia nobis a pontificibus tradita, eundem submersum extulerunt, et sepulturae tradiderunt, ac famulum infirmitorii e monasterio extractum in vincula compegerunt, quare praelatus querelas deponit apud episcopum Tornacensem. Eisdem piorum movit coetu, iisdem sacra christianorum communicatione interdixit per suum deputatum. Quam quidem rem quamvis semel atque iterum jussi, cum sese constanter facturos negarent, jactata in eosdem sententia execrationis.

MCCCCVIII. Concessum fuit R. D. Johanni, ut non plures quam tres e religionis suis posthac Nivellae constituat, qui ibidem omne spirituale munus obirent, ipsa annuntiationis Dominicae ante Pascha, vicesimo quinto Martii.

Johannes de *Fosseus*, dominus de Nivella, et filius primogenitus ejusdem nominis et territorii ejusdem, concessit domino praelato nostro et successoribus suis, ut posthac non nisi tres religiosos eo mittat ad deservendum, cum obligatione ut pastor, in die obitus sui et successorum dominorum vel dominarum, unam celebret.

<sup>1</sup> MEYERUS, anno 1452, habet: Natus est Gandavi in aula cui nomen Walla.

MCCCCIX. Fames in Flandria, quam mox pestilentia excepit, quae totam per Flandriam grassata est subitanea et atrox.

Johannes abbas emit<sup>1</sup>, decimo septimo Februarii, bonarium et quartam partem bonarii cum tribus et dimidia virgis mori in *Moerbeke*, cujus medietatem emerat praedecessor.

His temporibus, utebantur turbonibus, sive cespitibus effossis tum *te Moerbeke*, tum *te Saleghem* et *Hulsterloo*, sicut et annis ad centum post hunc, quamdiu habitavere Trunchinii.

MCCCCX. Habebat monasterium ambitum.

Videtur summus pontifex habere aliquid jus ad decimas, quia dicuntur pro media parte decimarum solvenda ante Magdalenae 16<sup>o</sup> 16 sol. parisienses. Solverunt summo pontifici decimas bonorum *by twee paymenten*, sanctae Magdalenae 16<sup>o</sup> 16 sol. par. et ad festum Martini 17<sup>o</sup> 12 sol. par. cum aliis oneribus 17<sup>o</sup> 12 sol.<sup>2</sup>.

Sabbato sanctae Paschae, venit reverendissimus Petrus, abbas Praemonstratensis, cui obviabat frater Johannes Nigri Brugis: eidem datum crucibolum inauratum valens 24<sup>o</sup> parisienses.

\* Summo pontifici datae decimae bonorum.

\* Prima dies operis capellae sancti Petri apostoli super Lisam erat festum sancti Eligii, prima die Decembris, et habuerunt duo operarii frangendo usque ad Pascha MCCCCXII, decem gr. quolibet die.

\* MCCCCXI. Vicesimo septimo Septembris, sylva in *Waerschoot* elocatur cuidam per praelatum Trunchinii.

\* Solvit domino duci Burgundiae 100 coronas aureas valentes 16<sup>o</sup> gr.; et 8<sup>o</sup> parisienses solvit Matthei.

MCCCCXII. Frater Jacobus, Dei gratia, episcopus Gibeldensis, consecravit, Dominica secunda post Pascha, capellam sanctorum Petri et Basini martyrum cum uno altari ibidem constructo, cum solemnitatibus ac indulgentiis consuetis, hoc anno decimo septimo Aprilis. Hoc autem sacellum fuit quod et modo sancti Basini vocamus juxta monasterium nostrum, exstructum e regione Lisae sive insulae Assulanae. Prima dies operis capellae S. Petri apostoli super Lisam erat festum S. Eligii et prima Decembris, et perfecta, anno MCCCCXII, ut conjicio verosimiliter, quia in eum annum est solutus quidam famulus.

<sup>1</sup> A Catharina *Kepe*, uxore Johannis *Kepe*, ejusdem filiiabus. N. C.  
quam puto sororem praelati fuisse, et a duabus <sup>2</sup> Puto quod fiat mentio de *Ursele*. N. C.

MCCCCXIII. *Myn heer Daniel Van Halewyn*, dominus Trunchiniensis, *Zegher Vanden Bossche*, Amandus, scabini, *Gillis Vrient*, *Willem Spierinck*, *Jan Vander Schuere*, *Denys Calant*, *Clays Lancksweert*, *Henderick De Tolnare*.

MCCCCXIV. Decimo octavo Januarii, elocavit R. D. omnia bona Saleghemii pretio 40<sup>e</sup> monetae Flandriae cum multis aliis oneribus; inter caetera *jaerlix twee gysten ende te betaelen den priester die de missen doen sal te Saleghem in de capelle*. Satis constat non fuisse religiosum.

MCCCCXV. Condemnatus est quidam Judocus *Best* ad petitionem R. D. et conventus sui, eo quod multa injuriosa adversus praelatum et conventum suum effutiisset coram scabinis Nivellensibus *van buten*, ad visendam D. Virginem Avinione in Francia Gandavi *voor de vinderen*, vel arbitriis iudicibusque utrinque positus in praesentia R. D. et duorum infra positorum.

MCCCCXVII. Vicesimo Decembris, Petrus, abbas Praemonstratensis, monet praelatum per litteras, ut moniales suas visitaret, ac praepositum, si ita expedire videretur, deponeret, cum per ejus negligentiam adeo vacillare audisset monasterium in suo regimine temporali. Quod nisi celeriter obviaret, suis dominiis et privilegiis destitueretur atque privabatur, et si per informationem diligentem dictus praepositus infamis vel inutilis aut ordinis sui praevaricator inventus fuerit, ipsum a praepositali dignitate deponatis.

Indicta fuit synodus a Johanne, antistite Tornacensi, ad quam cum propter oculorum infirmitatem ac totius corporis debilitatem R. D. praelatus accedere nequiret, misit tamen dominum suppriorum suum, fratrem Johannem de Torrente et F. Judocum de Pomario, vicesimo quarto Aprilis: habita autem fuit vicesimo septimo Aprilis.

Obiit R. D. Johannes *Coelinszaens*, cujus hoc erat epitaphium in sanctuario positum: « Anno Domini MCCCCXVII, vicesimo sexto Augusti, obiit dominus Johannes, etc., abbas hujus ecclesiae, qui eandem rexit annis ter quinis et quatuor, cum mensibus sex, cujus anima per misericordiam Dei requiescat in pace. »

Prior conduxit a praelato *den Moerganck*, anno MCCCCXVIII pro 31 libris, sicut consueverant F. Livinus *Zeghers* et Symon de Abiete.

Erat capella sancti Petri, quam sancti Basini vocamus.

MCCCCXVIII. Dabantur Nivellensibus cerevisia, ligna, frumentum et vinum.

Constat abbates Gandavi habuisse hospitium, ex computu hujus anni, ubi certa inter caetera,.... summa data vinearum putatori.

Frater Petrus *Escheryts* prior : in festo Ceciliae, idem missus Torcungis pro recipiendis ibidem decimis nostris vel censu annuo, cum Gilberto suo famulo. *De rente van Tourquoing*, anno MCCCCXCIV, 7<sup>s</sup> 4 sol. 4 d. gr., et anno MCCCCXCVI similiter 7<sup>s</sup> 4 sol. 4 gr.

MCCCCXIX, Johannes Burgundio, comes Flandriae, trucidatur jussu Caroli delphini, et Philippus ejus filius in paternas succedit opes.

MCCCCXXI. Usi sumus turbonibus.

Adjudicatur nobis quaedam hereditas juxta capellam sancti Petri à scabinis nostris cum quadam domuncula, et alia parva hereditas (*Erneke* vocata) cum dimidia parte domus, et aliam dimidiam emit R. D. quinque scutis, praesentibus Johanne *Leyschoot* ballivo nostro et scabinis.

Elocavit omnia bona in *Saleghem* ea conditione, ut molerentur omnia sua grana in mola nostra *t' Saleghem*. Fuit molendinum in monasterio et *t' Saleghem*. Fit hic mentio *Houterlinc* sancti Basini.

MCCCCXXII. Constituuntur procuratores et defensores contra aliquos jactantes se omnia bona spiritualium colligere debere, in desolationem monasterii; et hoc a papa Martino mandatum se habere speciale dicebant, ut eidem omnia applicarentur; et hoc per censuras ecclesiasticas et alias minabantur, et pro hujusmodi mandati et potestatis executione, auxilium et assistentiam nonnullorum principum secularium invocasse et obtinuisse. Quocirca praelatus, cupiens hujusmodi ecclesiae suae desolationi necnon praejudicio ac damno et gravamini obviare, ac nos et eandem nostram ecclesiam ab angariarum et servitutum oneribus, quantum in se fuit, juris remedio praeservare, dilectos ac fideles religiosos fratrem Christianum *Coebau* (fuit Praemonstratensis), ordinis nostri procuratorem generalem, necnon Petrum *Esseric*, J. Martini, et Danielem *Stomme*, nostri monasterii, etc., cum multis aliis laicis, constituit procuratores suos ad protestandum et appellandum vel ad sanctissimum D. papam in sua curia romana, aut aliud ejusdem ac camerae sanctae apostolicae, ac sacri collegii cardinalium, quam etiam in sacrosancto generali concilio, in civitate Parisiensi aut alibi celebrando, et coram quibuscumque iudicibus praelatis, et superioribus nostris, tam ecclesiasticis quam secularibus.

*De witte capprons* 6 gr. pro strena.

MCCCCXXV. Vixit aliquis religiosus qui haec scripsit. Item citatur magister in *Hulsterloo*.

Tam forenses quam intranei reperiabant vesturam e monasterio, vel pecuniam potius pro ea. Vestura hujus anni constitit 7<sup>s</sup> 3 den. Dicuntur tres panni empti per suppriorem.

Magister Nivellensis recepit pro *biergeldt*, *wyngeldt*, *schongeldt*, *lynwaetgeldt* 10<sup>s</sup> 15 sol. p. *naygeldt* et panno; sed receperat antea plura. Sic etiam cum caeteris, ut curato Trunchiniensi et caeteris internis, sed non valet.

MCCCCXXVI. Vicesimo primo Novembris, R. D. Johannes, abbas Praemonstratensis, ac capitulum generale commiserunt circariam Flandriae visitandam R. D. Laudunensi et Trunchiniensi abbatibus in hac forma <sup>1</sup>.

MCCCCXXIX. Dominica ante Catharinae virginis, Trunchinium *besprick jaerlykx* 200 *poten* ad sex annos.

MCCCCXXX. D. Martinus de *Gavere* renovavit censum annum Trunchiniensis hereditatis infirmitorii, pro anno praecedenti et sequentibus.

R. D. cum inter magistrum Nivellensem et pastorem loci controversia esset orta ob jura, quae singulis competerent, certam ordinationem pro meliori in bono unione et pace edidit, decimo secundo Augusti <sup>2</sup>.

MCCCCXXXI. Dominus Petrus *Esscheric* prior, vicesimo octavo Octobris, dicitur obiisse. Vivebat Johannes *Voet*, missus Teneramundam nomine monasterii, qui ibidem pro anniversario D. Petri *Esscherick*, prioris nuper defuncti, censum quatuor solidorum annue monetae Flandrensium recepit, quo ipse Petrus in vivis existens usus fuerat; modo autem assignatur monasterio pro ejusdem anniversario die, ut supra.

MCCCCXXXII. Undecimo Octobris, R. D. generalis Johannes apud Bruxellas, Ninoviae indixit et celebravit capitulum generale propter Francorum guerras, pro anno sequenti.

MCCCCXXXIII. Decima die Octobris, committit R. D. generalis D. Joannes circariam Flandriae visitandam R. D. nostro, Ninovia remisit hoc mandatum, ac imprimis inter corrigenda reformandaque mandavit praesertim reformari deformitates et curiositates nonnullorum religiosorum in amplitudine manicularum; in corrigiis argenteis, ac etiam scissura capparum retro existenti, quam vivo detestamur, nec non etiam quoscumque ejusdem ordinis notorie concu-

<sup>1</sup> Litterae habebuntur in appendice.

<sup>2</sup> Prout in fine libri est reperire. N. C.



binas habentes, sub poenis in statutis hujusmodi punientes; inhibentes etiam omnibus et singulis praelatis ordinis nostri, ne de caetero in receptione novitiorum aliquid quovis modo praesumant exigere, ut nulla nota simoniacae pravitate possit incurri, talliasque seu contributiones ordini debitas pro tuitione jurium et libertatum ordinis solvere negligentes, excommunicationis sententias in eos fulminantes, etc. Oliverius abbas, vicesimo quarto Augusti.

MCCCCXXXIV. F. Petrus *Vander Heyden* emit censum pro infirmitorio 3 libras parisienses pro anniversario suo faciendo, ac matris suae dominae *Margaretae Van Olssene*, et pro *Arnoldo Janssone*.

MCCCCXXXVII. Erat tum, tota Belgica, tanta annonae gravitas, ut plurimi mortalium fame absorberentur.

Vixit frater Petrus *Vander Heyden*, vicesimo secundo Augusti, pitantiarius, qui emit censum annuum et perpetuum 36 vel 16 solidorum parisiensium *Nivellae*, pro anniversario suo ac patris sui *Rolandi Vander Heyden*.

MCCCCXXXIX. Primo Maii, F. Nicolaus *Heys*, religiosus *Trunchiniensis*, *rentier en pitantier van den hove der Meuncken te Nivele* (nog ter *Muencken*, sed propter religiosos ibidem habitantes sic nominabant), et iterum *te kentalen ten hove ter Muncken*, daer de religieusen van *Dronghene van ouden tyden gheplogen hebben te wonene ende in desen teghenwordighen tydt woonen*<sup>1</sup>.

MCCCCXL. F. Petrus *Vander Heyden* emit censum 32 sol. parisiensium.

MCCCCXLIV. Proventus bonorum de *Hulsterloo* hoc anno 57<sup>r</sup> 12 sol. 6 d. grossorum.

Ante capellam in *Hulsterloo* erant duae cauponae ad magistrum pertinentes, et elocabantur ambae 2<sup>r</sup> 10 solidis gross., tanto erant pecuniae tum in pretio.

*De warande van Hulsterloo buten den Beverschen wegh is weerd 12 coppelen coninen, ... myn heere den prelaet 30 coppelen, ... Joris Braderick, ... ende 30 coppelen.... den meester van Hulsterloo.*

MCCCCXLV. Obiit R. D. Oliverius *Stappynck*, decimo secundo calendas Junii, cujus haec erat inscriptio sepulcri: « Anno Domini MCCCCXLV, decimo secundo calendas Junii, obiit dominus Oliverius *Stappynck*, magister artium, licentiatus in medicina, quondam abbas hujus ecclesiae, qui eandem rexit annis septem et viginti cum mensibus octo, cujus anima requiescat in pace. »

Frater *Aegidius Canis* et Petrus *Schade* sese opponunt electioni praelati

<sup>1</sup> 4 sol. par., 17 haelsteren evene spinter mate, die men seght alsoo goedt als *Nevelsche*.

Johannis *Voet*, et Romam eum citant : impedit vero eosdem conatus Francorum rex, Carolus, vicesimo tertio Julii. Electio fuit antea.

Praefuit electioni R. D. Petrus, abbas Laudunensis, sacrae theologiae doctor, una cum R. D. Laurentio beatae Mariae de monte sancti Martini, et Guilielmo Jettensi Cameracensis dioecesis, necnon Gerardo sancti Martini de Castello juxta Mauritaniam, penultima Maii, eum enim diem praefixerat pro electione facienda : eodem die exaratae litterae ad R. Tornacensem pro consecratione ejusdem abbatis.

MCCCCXLVII. Proventus magisterii in *Hulsterloo*, existente ibidem Daniele *Stomme*, ascendebant ad 57<sup>o</sup> 12 sol. 6 d. gross., modo essent plus quam 200<sup>o</sup>.

MCCCCXLVII. Decimo octavo mensis Junii, Trunchinii, uxor Simonis *De Zuttere*, cum per inadvertentiam puerulum, quem in brachiis gestabat, in terram delabi permisisset, quo ex casu mox puer ita in facie denigrabatur, ut mater ejus de vita plane desperaret, tandem animo resumpto, ad sanctum Gerulphum se totam convertit, ejus implorans auxilium, vovitque, si pristinae meritis ipsius sancti restitui posset sospitati, quod ipsum antequam aliquid cibi potusve sumeret, cum oblatione visitaret. Vix ea mente conceperat, mirabile dictu, quum eodem momento puer oculos aperuit, ac sanus effectus est. Ipsa laeta mente cum oblatione ad sanctum Gerulphum in ecclesiam Trunchiniensem accurrit, et curato ibidem praedicta retulit, sicut acciderant.

MCCCCXLIX. Dominus temporalis Trunchiniensis dominus Giselbertus de *Lannoy*.

MCCCCLI. Gandenses tumultuari coeperunt.

MCCCCLII. Decimo tertio Decembris, cum Philippus Burgundio Gandenses eo tempore bello valde lacerasset, ac circumquaque pagos passim devastaret, venere Picardi Trunchinium, quod et spoliarunt, ac bonam vici partem incenderunt.

Octavo calendas Junias, feriis sancti Urbani martyris, cum Stampanus non sine gravi periculo in pugna Nivelica superior evasisset, mortuos suos colligi jussit in quoddam horreum, quod cum toto pago incendit.

MCCCCLVIII. Nono calendas Maias, die Dominico, triumphalem ingressum fecit Philippus in urbem suam Gandam, quo evocati omnes vicini episcopi et monasteriorum praesules, suo sacerdotali quisque ornatus vestitu. Ad cujus adventum ad portam inter caeteros sacerdotum principes (sex autem aderant

abbates) stabat et R. D. Johannes *Voet*, abbas noster Trunchiniensis <sup>1</sup>.

\* MCCCCLXII. R. D. Johannes *Voet*, vestigiis sui praedecessoris insistens, cum undique gravari ac intolerabiliter vexari in dies tum a spiritualibus, tum laicis adverteret, ac bona monasterii spoliari impune videret, ipse cum conventualibus suis desuper apud sanctissimum papam querelas deponit, ejusdem favorem et assistentiam contra omnes invasores et oppressores implorat, qui R. D. Philippum, sancti Petri abbatem, cum aliis decanis sancti Petri Lovaniensis ac Cameracensis, constituit conservatores, protectores, ac judices, quique dat potestatem abbati sancti Petri Philippo, ut conservatori nostro, ut omnes invasores bonorum nostrorum per censuras ecclesiasticas compellat eadem restituere, ut sequitur <sup>2</sup>.

\* Earum vigore et auctoritate suffultus, requisitus ab abbate et conventu Trunchiniensi, quatenus eis super praemissis de remedio opportuno provideret, et ad executionem praedictarum litterarum apostolicarum procedere dignaretur, ipse, hoc anno MCCCCLXIV, omnes et singulos dominos archiepiscopos, episcopos, praelatos, clericos et personas ecclesiasticas, religiosas et seculares, et caeteros omnes in litteris contentas et contentos, qui bona qualiacumque ad monasterium Trunchiniense pertinentia occupant et detinent injuste occupata, seu ea occupantibus praestant auxilium, consilium vel favorem, et caetera, prout latius in instrumento ponuntur, monet primo, secundo, tertio et peremptorie, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis, sententiis et censuris, districte praecipiendo mandat, quatenus infra quindecim dierum spatium post notificationem et insinuationem praesentis mandati ipsis factam, quilibet ipsorum, prout ad eum spectat et pertinet, reddat, restituat et assignet realiter et cum effectu dominis abbati et conventui nostris, ipsosque permittat praedictis..... et aliis..... frui et gaudere pacifice et quiete, omnibus molestationibus et inquietationibus semotis, et de injuriis, damnis et jacturis quibuscumque eis illatis, quibuslibet satisfaciat, prout tenetur. Quod si omnes et singuli sic moniti non paruerint realiter et cum effectu, aut aliud contrarium fecerint in eos omnes et singulos supradictos culpabiles, necnon in contradictores et rebelles, canonica praemissa monitione excommunicationis, in communia vero civitatum et universitates oppidorum, villarum et locorum quorumlibet suspensionis a divinis,

<sup>1</sup> Videatur MEYERUS hic.

<sup>2</sup> Diploma in append.

et in civitates, oppida, villas et loca hujusmodi et eorum ecclesias interdicti ecclesiastici sententias tulit et promulgavit, archiepiscopis, episcopis, quibus ob reverentiam pontificalis dignitatis deferre voluit, ingressum ecclesiae interdixit, et si non paruerint spatio quindecim dierum, suspensionis sententiam minetur, et si triginta proximis adhuc diebus obedire renuant, monitione praemissa canonica excommunicationis sententia scriptis suis innodarent.

MCCCCLXIII. R. D. praelatus Saleghemii fuit, ibique in computu hujus anni assignatur ratio pro reparatione fenestrarum sacelli Saleghemiensis, et ut colligo ex computu ejusdem anni<sup>1</sup>, fuit insignis villa, habuitque portam e lapide pro ingressu, et ante ipsam popinam.

Fratres Adrianus *Bovriol* et Johannes de *Loose*, subdiaconi, impetrant a Philippo, tituli sancti Laurentii in Lutina presbytero cardinali, penitentiariae curam gerente, ut ad presbyteratus ordinem promoveri possint, ubi vicesimum quintum aetatis annum attigerint, dispensatione. Datum Petreoli Senensis dioecesi, quarto idus Novembris, pontificatus domini Pii papae secundo, anno quinto.

MCDLXIV. Principio Januarii, conventus statuum Brugis, in quo tres interfuere episcopi et abbates sexaginta, aliorumque virorum primorum magna multitudo<sup>2</sup>.

MCDLXVII. Decimo septimo calendas Augusti, ad vesperam inter horam nonam et decimam, finem vivendi fecit Philippus Burgundio, aetatis suae anno septuagesimo primo, regni vero quadragesimo octavo. Carolus, paterni imperii ex asse heres, Gandavi solemniter inauguratur.

\* MCCCCLXX. Hic annus non est certus, quia nullus annus ut certus assignatur. R. D. Johannes *Voet*, senio gravatus ac adeo viribus corporis debilitatus, decernit quod abbatialem dignitatem in favorem domini Walteri *Bollyn*, de expresso consensu dominorum prioris et conventus ejusdem monasterii, in manibus sanctissimi domini nostri papae resignare proponat, sibi domino Johanni nihilominus, quoad vixerit, trecentarum coronarum Franciae boni auri et justae ponderis, super bonis, fructibus, redditibus et proventibus ipsius monasterii, singulis annis annua pensione solvenda, necnon et nova domo abbatiali cum cinctorio et aliis aedificiis, quae D. Johannes

<sup>1</sup> Colligitur ex multis diebus reparationum ibidem sic habitis. N. C.

<sup>2</sup> Hunc annum assigno quia MEYERUS incipere annum suum conjicio a Paschate. N. C.

tempore sui regiminis, antiquae domui abbatiali adstrui et adjungi fecit, ac quadam alia domo in villa Gandensi, infra limites parochiae sancti Michaëlis, cum suis novis aedificiis et domibus, per eundem dominum Johannem abbatem emptis et factis, ac quadam curte sive domo extra monasterium, vulgariter *'t goedt T'oeteghem* appellata, cum quatuor bonariis prati jacentibus super Legiam inter Trunchinium et Vallem regalem, ac aliis suis bonis, terris, decimis, fructibus et redditibus ad eandem curtem spectantibus et pertinentibus, dolo et fraude omnibus sublatis, apostolica auctoritate reservatis, prout ipsi domini Johannes et Walterus inter se asserebant amicabiliter fuisse et esse concordatum. Salvo quod ipse dominus abbas modernus ab omni obedientia futuri abbatis suorumque successorum dicta apostolica auctoritate sit exemptus et sedi apostolicae immediate subjectus, et quod ipse unum religiosum dicti conventus, fratrem videlicet Rasonem *Goetghebuer*, ejusdem monasterii religiosum professum, quem ex nunc eligit, seu alium loco sui eligendum, sub ejus obedientia, pro suo subsidio in horis canonicis dicendis et aliis suis necessitatibus ministraturum, similiter ab obedientia futuri abbatis exemptum, cui pro alimentis suis ipse dominus Walterus futurus abbas pro vino et vestura, loco suae praebendae monachalis de annua pensione quindecim coronarum Franciae singulis annis, quoad vixerit, in terminis et sub poenis et censuris praetactis providere teneatur; constitutis in eum finem utrimque procuratoribus; qui id in curia romana procurarent.

Decimo Decembris, sabbato die, citantur a domino Johanne cedente, ad benedictionem novi praelati, pastor Nivellensis, *Sonneghem*, praepositus in *Tusschenbeke*, et pastor in *Scherschamp*, *Heynsdyck*, magister in *Hulsterloo*, pastor in Pauli *poldere*, ad obedientiam praestandam; vocat novum Walterum Dionysii.

MCCCCLXXII. Sexto calendas Februarias, ex hac vita migravit R. in Christo pater, D. Johannes *Voet*, abbas hujus Trunchiniensis ecclesiae, postquam octo et viginti praefuisset annis cum mensibus septem: cui in regimine successit D. Walterus <sup>1</sup> *Boullyn*. Hujus praelati insignia habentur super ostium laterale respiciens *Leyam*, in muro capellae sancti Basini.... corona sculpta ex *arduyn*; super ostium vero *d'endeldeure* habetur crux sculpta in *arduyn*.

<sup>1</sup> Forte Galterus, ut alii. N. C.

MCCCCLXXIII. *Nous Jehan, par la permission divine, humble abbé de l'église, et caetera, decimo secundo Augusti.*

Reperi et alibi Johannem abbatem adhuc vixisse tertio decembris, sic in computu. Walterus abbas, vicesimo primo decembris.

Rolandus, abbas Jettensis, vicesimo Aprilis, et caetera <sup>1</sup>.

D. Johannes de *Gaevere* deserit pastorum de *Cerscamp*, et praesentatur pro eo, die vicesimo mensis Decembris, D. Nicolaus *Gheerts*.

MCCCCLXXIV. Cogebantur conferre ecclesiae omnes proventus trium proxime praecedentium annorum, eorum scilicet omnium bonorum quae infra sexaginta proximos annos acquisierant, unde inaestimabilis collecta vis pecuniae.

MCCCCLXXV. Renovatus est liber vel catalogus eorum, qui scripti fuere in confraternitate sancti Gerulphi, quae adeo hoc anno fuit numerosa, ut diversis in locis decanos ac provisos constituerint, ut Gandavi, Trunchinii, ultra Lisam, *Vinderhaute*, *Meerentre*, *Landeghem*, *Hansbeke*. Ea in confraternitate conscriptos e nostris lego D. Petrum *Schade*, pastorem Trunchiniensem, D. Florentinum *Vander Gracht*, D. Hugonem *Goethals*.

MCCCCLXXVI. Obiit prima Octobris, domicella Sara *Vandaele*, mater R. dom. praelati Walteri *Boullyn*, jacetque sepulta Trunchinii, in navi ecclesiae.

MCCCCLXXVIII. Nos Galterus, permissione divina, abbas monasterii beatae Mariae Trunchiniensis, ordinis Praemonstratensis. Sic scripsit in initio litterarum, contractuum et caeterorum.

MCCCCLXXXII. Enumeravit praelatus 350 libras flandricas abbati de *Baudeloo*, pro duobus bonariis mori inculti aut crudi, dicti *rauwen moer*.

Obiit frater Petrus *Schade*, pastor Trunchiniensis, et in defuncti locum successit frater Livinus de *Loeze*, mensis Julii die vicesima secunda. Episcopi vicarius dicit in litteris collationis ejusdem « ad R. D. mei collationem et provisionem spectantem et pertinentem. »

Ferricus de Clugniaco, tituli sancti Vitalis sacrosanctae romanae ecclesiae presbyter cardinalis et episcopus Tornacensis in curia romana residens <sup>2</sup>.

MCCCCLXXXV. Quinto mensis Julii, obiit D. Galterus *Boullyn*, abbas hujus ecclesiae, qui eandem rexit annis duodecim cum mensibus tribus,

<sup>1</sup> V. in app. quomodo Galterus, abbas Trunchinii, scripserit de controversia exorta inter abb. Rolandum et quemdam fratrem nomine Johannem.

<sup>2</sup> Vide in app. litteras abbatis Galteri ad eum.

cujus anima per misericordiam Dei requiescat in pace. Jacet sepultus apud portam chori<sup>1</sup>.

Successorem habuit Rasonem, virum ingenio, prudentia et eruditione ita conspicuum, ut vix ea aetas parem habuisse feratur. Fuit in praelatura annis plus minus quinque.

Divisio *Boullyn* fuit a DEO POTESTAS.

Vir fuit doctissimus et sacrae theologiae doctor, vel ad minus licentiatus; scripsit vitam dialogisticam beati Josephi nostri, dum *Steinfeldie* esset magister novitiorum.

Pro anniversario Galteri datur census 10 solidorum parisiensium infirmatorio.

Litterae confirmationis domini Rasonis fuerunt expeditae Romae, anno MCCCCLXXXV, pridie idus Augusti, pontificatus Innocentii anno primo. Recitatur in eis et obitus praedecessoris Galteri.

Ballivus et receptor censuum in *Saleghem*, Johannes *Steemaer*, primo anno praelaturae D. Rasonis.

D. Hector *Tackoen*, receptor honorum in *Heynsdyck*, Pauli *poldere en binnen de stede ende parochie van Hulst*, et terra circumjacente.

MCCCCLXXXVII. Obiit illustrissimus D. Hugo, cujus sequens erat inscriptio ad parietem : *Hier vooren licht beghraven joncheer Huges van Grames, filius mynheer Huges ruddere, die overleet in Meye, anno MCCCCLXXXVII. De quartierien Grames, Wincle, Jeghem, Mote.*

Dicitur elocari domus, quam emimus Gandavi a magistro Cornelio *Voet* et ejus fratre *Johanne*, et caetera; item et altera, quae erat braxatoria, cum totalibus utensilibus, vocata *'t Swaentse*, quae fuit domus inter refectorium et domum abbatialem angularis, ante vocabatur *den Druyftack*, et modo est refectorium.

Quinque religiosi missi ad ordines Insulas : de unoquoque recipere solebat receptor duo lota vini. Hoc factum antequam factus esset abbas *Guilielmus*.

\* Confertur custodia in *Cherscamp* : nomine praepositi inveni *Henricum Huygs*, praesente fratre *Guilielmo Huygs*, septimo Novembris.

MCCCCLXXXVIII. Multi hic assignantur combusti et captivi, unde colligo pessima fuisse tempora.

<sup>1</sup> Vide Maximiliani pro novo abbate commendatitias in appendice. N. C.

Decimo sexto Maii, celebri ac famosae pacificationi initae inter Maximilianum, imperatoris filium, cum e captivitate dimitteretur Brugensi, et Flandriae primores ac quatuor membra; inter caeteros Belgarum heroës ac magnates interfuere ac subscripsere Praemonstratensis ordinis hi abbates: Raso Trunchiniensis, Theodorus Parcensis, Marcus Grimbergensis, Antonius Bonae Spei.

Decimo septimo Maii, obsedit imperator Gandavum, et castra metatus est in parochia Everghemiensi, et post sex hebdomadas, cum nihil particulariter egisset, solvit obsidionem, sed majori....

MCCCCLXXXIX. Obiit R. D. Raso, et nono calendas Aprilis, Romae expeditae litterae confirmationis domini Guilielmi *Huygs*, ab Innocentio papa, pontificatus sui anno sexto, in quibus recitatur obitus praedecessoris sui domini Rasonis.

Electio D. Guilielmi *Huygs* fuit decimo mensis Februarii.

Consecrationi interfuere abbates Ninivensis et Jettensis, deditque eis noster 4<sup>o</sup> 14 sol. 4. d. Episcopo autem dedit 5<sup>o</sup>. 18 s. 4 g.; pro piscibus, pro conventu 3<sup>o</sup> 6 s. 1 gr. Ergo in Quadragesima fuit illa consecratio.

D. Hector *Tackoen*, receptor in *Saleghem*, fuit magister in *Hulsterloo*.

MCCCCXC. R. D. Guilielmus *Huygs* vir admodum fuit eruditus, soluta vinctaque oratione promptus; scripsit poëmata plurima, in his et epigrammatum librum unum, qui hodieque asservatur, caetera autem ejusdem industriae monumenta ac lucubrationes, anno MDLXVI, Iconoclastarum furore perierunt. Vixit et anno MCCCCLXXII.

Vendita domus angularis empta a magistro Cornelio *Voet*. Hoc anno, factum est novum tabernaculum pro sanctis Basino et Aldegunde opere sculptili.

\* Datum pro novo tabernaculo sancti Basini et Aldegundis pro sculptura 21<sup>o</sup>.

\* Decimo septimo Februarii, dati sculptori feretrorum sanctorum Basini et Aldegundis 2 solidi, item *met verdecksel 3<sup>o</sup> gecocht 't Antwerpen*.

Propter bellum ad diversa missi religiosi monasteria.

Decimo octavo Septembris, causa elocatae domus braxatoriae, 't *Swaentse* dictae, recepit praelatus 3<sup>o</sup> g.; et septimo Januarii, receptum a Johanne *Schee*, causa conductionis domus empta a magistro Cornelio *Voet*, 22 s. gr. Hospes domus nostrae Gandensis Walterus *Mestdagh*.

Eodem anno, scribitur procuratori nostri ordinis pro uno equo 2<sup>o</sup> 13 s.



MCCCCXCI. D. Livinus de Leza, puto, prior, accepit 31 s. 6 d. par. pro vestura, singuli certam pensionem.

Michael *Borluut*, calciarius vel secularificus, non religiosus.

F. Rolandus *Sanders* mittitur Antverpian, initio Novembris.

Pro confirmatione mea versus Romam 199 *gaude croonen*, item 80 *gaude salutien*<sup>1</sup>.

Sarcophagus (datae pro eo 9<sup>o</sup>) R. D. Rasonis fuit Gandavi arrestatus, et vicesimo sexto Octobris, libellus supplex pro eo levando oblatus.

MCCCCXCII. Obtinuit R. D. pro se et monasterio salvagardum ab Albrechto, duce Saxoniae, undecimo Maii, poteratque ex monasterio pendere, datae pro eo fuerunt 9<sup>o</sup>; insuper vetitum fuit, ne in *Hassels* fortalitium constituerent. Difficile memoratu est quantam tunc monasterium passum sit calamitatem, nunc ab his, nunc ab illis vexatum.

Decimo octavo Martii, conventus statuum Brugis, ad quem citatur praelatus noster, ut de rebus et negotiis Flandriae disponant cum regis romani commissariis, domino *Waelgheym* et aliis *ambassadeurs*.

Item citatur Mechliniae in proximum sabbatum post Pascha cum iisdem, ut ibidem cum Maximiliano et Saxone agat, pro tuenda patria adversus Francos. Scriptae .... Martii MCCCCXCII.

MCCCCXCIII. Visitavit nos R. D. Johannes, ut puto, abbas Laudunensis, cum abbate Montis S. Martini.

Frater Johannes *Roffens*, praepositus in *Tusschenbeke*.

R. D. Grimbergensis fuit in *Tusschenbeke*, ex parte domini Praemonstratensis, eratque, hoc anno, magna lis in eo monasterio et in curia episcopali Bruxellis.

R. D. duci dedit equum valentem 10 libras flandricas.

MCCCCXCIV. In die Pentecostes, cum R. D. cum conventu suo supplicationem instituens pervenisset, ac transire priores voluissent magnum ostium, quod est inter duo altaria in choro sancti Gerulphi, aliqui parochianorum<sup>2</sup> sese opposuerunt, transitum supplicationi denegantes. Praelatus Ypras se contulit, querelas apud dominos de consilio de Trunchiniensibus expositurus, unde accusati coram dominis de consilio Ypris per procuratorem generalem Flandriae, petitaque capitali sententia super omnes dari atque bona omnia

<sup>1</sup> Notam ipsius abbatis hic inseruit auctor.

<sup>2</sup> Adeo pertinaces exstiterunt ut nec cum sacra-

tissimo corpore Christi praelatum advenientem

transire permiserint. N. C.

mobilia et immobilia mensae principis apponi, per urgentissimas preces protecti et servati ac continua tandem instantia R. D. abbatis et conventus difficulter evaserunt.

Idem R. D. instituit primum, hoc anno, collegium sive confraternitatem sancti Basini et sanctae Aldegundis, cujus collegii primus patronus (vulgo decanus vocatur) fuit Aegidius a *Kerrebroeck*, provisos vero Gerulphus *Haeck* et Amandus *Vanden Bossche*.

*Den ontfang van alle de goederen dese jaere 691<sup>o</sup> 10 s. 8 g., en het uytgheven 1742<sup>o</sup> 13 s. 7 d. en ob g. 5 en p., meer uytghegheven 1052<sup>o</sup> 8 s. en 6 g.*

MCCCCXCV. Dominus temporalis Trunchiniensis Philippus de *Lannoy* et dominus de *Santes*, praecedenti anno nobis vendiderat partem terrae contiguam nostro monasterio, necessariaeque plane pro quadrangulari ambitu complendo, deerat vero antea quartus angulus. Quam venditionem, hoc anno, Guilielmus abbas confirmavit, ratam habuit ac cum praecedentibus fratribus eidem subscripsit. Adeoque ingrata Trunchiniensibus ista venditio fuit, ut praelato supplicationis more venienti fores praecluserint.

Lego hoc anno Petrum *Yde* elocasse quartam partem bonarii pratorum, sitorum in *Quaethem* juxta crucem S. Gerulphi. Sic in computo hujus anni.

Evocatus R. D. a generali Antverpium, causa reformandorum statutorum ordinis: absens fuit quindecim diebus.

Item evocatus a duce nostro Mechliniam, quatuor diebus.

*De concherge te Ghendt jaerlyckx een vette coye, twee mudden rogghe aestimata 2<sup>o</sup> 8 s. gr.*

*De concherge te Moerbeke jaerlyckx onder gheldt ende rogge 20 s. Den orlogie maeker tot onderhaudt van de selve jaerlyckx 2 s. g.*

MCCCCXCVI. Vixit D. Florentius *Vander Gracht*, forte magister in *Hulsterloo*, quia dicebatur hic solvisse praelato 30 solidos grossorum pro 32 *ghemeten van de Neederlanden te Saleghem*.

MCCCCXCIX. Gandavi exstructum sacellum Georgianum a civium sodalitia: nunc domus sancti Georgii dicitur, auctum vero atque dicatum anno MDV, virginibus in vicino per Maximilianum Caesarem collocatis, permissum sub Trunchiniensium tutela ac patrocinio. Nec mirandum, cum et nostrum gestent habitum et sub regula militent Augustiniana<sup>1</sup>. Iisdem tamen certa sta-

<sup>1</sup> Vide J. B. GRAMAYE, *De antiquit. civitatis Gandensis*. N. C.

tuta dedit R. D. Carolus <sup>1</sup>....., episcopus Tornacensis, die nona Januarii, anno MDVI, more scribendi gallicano.

MDI. *D'hoirs* (obierat enim Michael *Kouke*) pro anniversario celebrando, vicesimo septimo Aprilis, dedit R. D. praelato certam pecuniae summam, pro qua assignavit infirmitorio censum annum 10 solidorum super certa bona, *ghenaemt Thiende Vry ghelegghen in de prochie van Nevele, ende Landeghem*. Id fecit auctoritate patris abbatis Johannis Laudunensis, facultate impetrata ab eodem ad hoc praestandum, anno MCCCCXCIII, vicesimo Augusti.

Hic erat pater D. Walteri *Kouke*, cujus mater Margareta *Bolyn*, soror Walteri *Bolyn*, quondam praelati nostri, ita ut praelatus Guilielmus et Walterus *Kouke* fuerint consobrini vel sororum filii.

MDII. Rolandus *Sanders*, ex praeposito in *Tusschenbeke*, declaratus fuit abbas Jettensis (legi Rolandum, Jettensis abbatiae abbatem, MCCCCLXXIII, vicesimo Septembris).

De mandato generalis cum hic desereret curam, recepit duas libras grossorum ad praelati instantiam, dum viveret.

Domina Trunchiniensis Magdalena *De Lannoy*.

MDIII. R. D. Johannes, abbas sanctae Gertrudis Lovaniensis, iudex et conservator jurium et privilegiorum almae universitatis studii Lovaniensis et suppositorum, fatetur aliquando F. Gerardum *Van Steelant* fuisse scholarem et suppositum dictae almae universitatis, inibi in facultate sacrae theologiae studentem, modo pastorem in Pauli *poldere*, et mandat, nomine pontificis, et quidem sub anathemate, notariis vel aliis quibusdam, ut eidem satisfiat infra septem dies super jure fructuum sive curae. Resistebat quidam Michael *Isenbaert*, rector fabricae ejusdem ecclesiae, et executum fuit praesens mandatum apostolicum, ultima Octobris, et executionem acceptarunt.

MDIV. Obiit frater Hector *Tackoen*, pastor aggeris Henriciani (*Hinsdyck*).

MDVII. R. D. Jacobus *Steemaere*, hoc anno, computum subsignarat Trunchiniensis ecclesiae, loco pastoris, eo quod forte aegrotaret.

MDVIII. F. Petrus *Colins*, cum magister esset in *Nevele*, receperat, sicut et praedecessores, a monasterio, annis singulis, 29 vasa cerevisiae, et in redemptionem eorum vasorum tradidit eidem praelatus Guilielmus *Huys* receptionem quamdam censuum, quos vocant census plateae Brabantinae, va-

<sup>1</sup> In chron. Tornacensi nominatur d'*Haultbois*. V. *Chronique rimée de Phil. Mouskes*, app. p. 547.

lentes 24<sup>o</sup> 18 s. par., cum obligatione quod receptor ejusdem debebat persolvere quidquid monasterium debebat, ratione talium, tum domino Nivellensi, tum ecclesiae ac mensae Spiritus Sancti.

MCIX. R. D. Jacobus *Steemaere* hoc anno anniversariorum renovavit catalogum.

Obiit R. D. Rolandus *Sanders*, abbas Jettensis, quem Germanum fuisse putem. Audivi a pastore in *Leeuween* illius monasterii, qui mihi viva voce retulit Rolandum in praelaturae dignitate non obiisse, sed remissum fuisse ad nos.

Commissarii principis pro renovando magistratu Gandensi erant quatuor : *monsieur de Fienes, monsieur l'abbé de S. Bertin, Robert de Melay (ou Melan), seigneur de Rongny et l'abbé de Tronchiennes, au lieu de monsieur de Castre par subrogation.*

MDX. R. D. generalis Johannes visit monasterium Trunchiniense, ibique dispensavit cum fratribus Apollonio *Craie* et Arnaldo *Moortgat*, et copiam iisdem fecit promovendi ad sacrum presbyteratus ordinem, vicesimo tertio aetatis anno elapso, Augusti septimo.

Iterum quartus constituitur commissarius, *au lieu de monsieur le grand bailly, le seigneur de Castre.*

MDXI. Maximos passus sumptus pro aggeribus conficiendis *elck ghemet* 3<sup>o</sup> 6 s. 6 d. paris.

Debebat ecclesia nostra 33<sup>o</sup> 6 s. paris.

MDXIV. Decimo nono Augusti, obiit R. D. Guilielmus *Huygs*, qui a magistro Petro <sup>1</sup> Hectoris celebri honoratur epitaphio magnisque effertur laudibus. Cujus haec fuit divisio : DOMINUS OPEM FERAT.

IN CUPREO SEPULCRO.

En jaceo, quondam Gandensi fatus in arce  
 Tam celebri, gelidum marmore corpus habens.  
 Sceptra manu gessi tanto dominantia templo,  
 Vixit et arbitriis candida turba meis.  
 Forma mihi florens, ipsis velut aemula divis,  
 Vita decens, virtus ardua, grande saphos.  
 Multa struens colui, longum curiosa per aevum,  
 Et sacer insigni laude patronus eram.

<sup>1</sup> Petrus vir singulari prudentia ac maxime et animi dotibus insignis Petrus *Block*, Guilielmi in Deum pietate fervens vivebat. Multis corporis successor. N. C.

Denique vel cuncta Guilielmus dote coruscans  
Occubui, fatis cedere jussus ego.

MDXVIII. Philippus, archidux Austriae, Burgundiae, scripsit Bruxellis nostro praelato, octavo Septembris, requirens ut idem mutuo concedere velit *drie coppen*, pro puerperio uxoris suae cohonestando, et in aula sua ponendis super armarium, seu *bufet*, tempore puerperii: « Collige valde pretiosos fuisse », subsignarat manu propria.

Commissarii ut in medio.

Secundus commissarius, praelatus sancti Bertini, tertius *messiere Nicolaes Utenhove*, *chevalier* toparcha in *Markeghem*, praeses Flandriae, loco Johannis *seigneur de Lalaing*. Quartus fuit R. D. praelatus Trunchiniensis. Commissarii principis, hoc anno a se deputati, fuere *messiere Lieven de Pottelberghe*, *chevalier recepteur de Flandres*, loco *de seigneur de Fienes*, et caeteri.

MDXIX. Ipsa Benedicti abbatis, reaedificatum est secundum veterem formam sacellum sanctae Mariae de *Heinsdyck*. Haec frater Johannes de Vinea, qui plura ibidem, adscripsit; sed caetera litura sunt obducta. Haec eadem reperi ab eodem in sequentem annum relata ad festum Bavonis; quia forte, hoc anno, ipsa Benedicti, inceptum, et sequenti ipsa Bavonis, dedicatum.

*Betaelt aen Bauwen de Buck als overdeken van oude gulde van S. Jooris binnen Ghendt, op den dootcoop myns heere prelaet by laste van de selve 30 s. gr. Aegidius Van Rysselberghe pitantiarius, credo, et receptor bonorum conventualium 5 s. gr. over het jaerghetyde van heer Raesse.*

MDXX. Habita synodus per R. D. Ludovicum, episcopum Tornacensem, feria tertia post Quasimodo, scilicet decimo septimo Aprilis, ad quam R. D. certos misit procuratores et syndicos, cum hac protestatione, quod ipse et ecclesia sua a jurisdictione reverendissimi esset exemptus et exempta, et quod suis constitutionibus synodalibus non possit nec potest quovis modo coërceri vel ligari. Et hoc proponendum, exponendum et allegandum, quod nihil in hujusmodi synodo agi, tractari aut statui potest aut debebat, quod in suum vel ecclesiae suae vel etiam ordinis nostri Praemontratis exemptionis et privilegiorum praejudicium pariter et derogationem vergat, protestandum seu appellandum. Audiendum tamen et fideliter referendum, quae inibi agentur et ordinabuntur, dictis juribus nostris in omnibus et per omnia semper salvis atque illaesis permanentibus.

\* Ipsa Lucae, vel forte Luciae, consecratus Carolus imperator, fuitque dies Lunae.

MDXXI. Defunctus est frater Gerulphus *Vander Donck*, et frater Johannes de Vinea fit sacellanus in *Hulsterloo* Teneramundanus, constatque ibidem sacellum fuisse usque ad festum Annuntiationis anno MDXXXIX inclusive, imo usque ad festum sanctae Barbarae MDXXXIX.

Dominus Thomas *Vander Donck* hoc anno renovavit librum receptuum infirmitorii Trunchiniensis.

MDXXII. Hoc, vel praecedenti anno, quarto Januarii, solverat plenariam suam taxam R. D., debitam pro iis qui deputati erant, ut irent ad Tridentinum concilium: taxa autem integra erat 1600<sup>o</sup> parisienses,.... floreni apud nos.

D. Johannes *Reselberghe* renovavit hoc anno librum censuum de *Hulsterloo*, *den cheyns boeck*.

Decimo octavo Decembris, obiit, ut opinor, D. Hugo de *Lannoy* eques, toparcha de *Rolencourt* et Trunchiniensis dominus.

Vidi apocham fratris Johannis *Assaert*, qua fatetur se recepisse pro vestura sua, vicesimo Julii, 20 s. gr.

MDXXIII. Causa fratris Petri *Vrient*, conceditur conventui sylva magna 400 virgis; et hoc anno, primum susceperat ordinem majorem, eratque Trunchiniensis.

MDXXV. Ipsa Matthiae, captus ante Papiam a Caesareanis rex Franciae Franciscus.

Petrus *Vrient* Romae, hoc anno, Barnabae apostoli festo, fuit caupo, nec inde adhuc reversus, imo in apostasia obiit.

MDXXVII. Septimo Maii, victa superataque Roma a Borbonio, qui in murorum ascensu globo ictus periit.

MDXXX. Maxima inundatio maris circa Hulstum, unde gravissimos passus sumptus praelatus. Oceanus se in continentem effudit. Mare, ruptis aggeribus, Flandriam inundavit.

Quinto Novembris, tantum extumuit mare, ut maximam partem terrae in parochiis *Hynstdyck*, *Serpauwels poldere*, *Kieldrecht* ac in magistratu cappellae beatae Mariae Virginis de *Hulsterloo*.....

Amatus, sanctae theologiae professor, abbas Laudunensis, et pater abbas noster, fuit in nostro monasterio, mensis Augusti die decima, et probavit emphyteusim datam alicui Alexandro *De Clercq*, ad consensum et assensum con-

ventus, prius tamen informatus de utilitate, melioratione et commodo uberiore, partem terrae magnam *een ghemet en 28 virgas* jacentes in parochia sanctae Catharinae in *Wondelghem ten overbronck* post domum vocatam *ten drie conjughen*.

MDXXXII. Reverendissimus generalis venit Trunchinium cum quatuordecim equis.

MDXXXIII. Medietatem proventuum et fructuum exegit Caesar; quare praelatus coactus fuit onerare domum suam venditione census 18<sup>s</sup> et 10 solidorum; vendidit Rolando *Sanders*, et obligavit domum nostram seu ecclesiam pro summa 300<sup>s</sup>. Petrus abbas, Hermanus *Muyshout*, Ludovicus *Martens* supprior.

R. D. in subsidium Caesareae majestatis contribuit, permissione summi pontificis, pro sua quota pro 2 et 3 paimento septingentos florenos...., decimo nono Februarii, et caetera, *verschenen den lesten van lauwe*. — Decimo nono Novembris, *betaelt t' eerste payement*, ergo sequens apparenter anno sequenti.

Frater Aegidius Petri impetrat a praelato commendatitias ad patrem abbatem (intercessione tum propria, tum amicorum), ut ibidem inter confratres suos vivere queat, rationem allegans se non tam commode posse inter notos et amicos salutem operari.

*Voor grauwen laken t' Antwerpen 20<sup>s</sup>.*

MDXXXV<sup>1</sup>. Die nona Martii, R. in Christo pater ac dominus D. Gedeon *Vander Gracht*, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Castoriensis, in archiepiscopatu Thebarum, suo tempore prior ac sacrae theologiae lector in conventu fratrum eremitarum sancti Augustini Gandensi, locum nostrum capitularem cum altari ibidem posito consecravit, in honorem Dei omnipotentis et in memorias et nomina sanctorum Landoaldi cardinalis<sup>2</sup>, Livini archiepiscopi et martyris, Macharii archiepiscopi, Bavonis confessoris et Genovevae virginis, cum indulgentiis consuetis pro devote visitantibus.

Commissarii principis, *maistre Charles Claisone, au lieu du seigneur de Saimpy; Philippe bastard de Lalaing, seigneur de Lamoillerie*, loco comitis

<sup>1</sup> Gramaye, capitulo XXIX, hunc assignat annum cum Trunchiniensis praelatus coemisset sibi Gandavi refugii domum. Sed fallitur, ut credo. Quod patet per D. Walteri insignia in

muro domus: imo supra portam majorem adhuc est videre litteram S cui insertum est pedum pastorale. N. C.

<sup>2</sup> Seu potius Tungrensis archipresbyteri.

Hooghstratani; *messire Hugues de Grammes chevalier, seigneur de Wingene*, loco domini *de Gaesbeke*; et quartus fuit praelatus Trunchiniensis, loco domini *de Castre*, ex commissione episcopi Tornacensis.

MDXXXVI. Octavo Februarii, domina *Jacoba Baudrenghyen*, domina Trunchiniensis.

MDXXXVII. Taxa praelati nostri pro subsidio Caesareae majestatis, in decanibus Pamellensi et Alostensi, dioecesis Cameracensis, per clerum Cameracensem partim Flandriae pro hoc anno accordato, ascendebat ad 158<sup>o</sup> parisienses.

MDXXXVIII. Pro vestura religiosis datum fuit priori Hermanno *Muyshout* 1<sup>o</sup>, Ludovico *Martens* suppriori 15 s., et septemdecim religiosis singulis 10 s.<sup>1</sup>, et fuere sequentes: *Johannes Assaert*, *Georgius Volpot*, *Aegidius Hauwaert*, *Johannes Vande Wingaerde*, *Aegidius Petri*, *Maximilianus Van Pottelberghe*, *Johannes Dhenys*, *Johannes Van Ryselberghe* (hic erat receptor honorum conventualium), *Adrianus de Rivo*, *Johannes de Vischere*, *Walterus Dhenys*, *Ludovicus Cotthem*, *Arnoldus Brecht*, *Guilielmus Goemare*, *Guilielmus Dhauwe*, *Johannes Brune*, *Johannes Galle*. — Et in vigilia nativitatis Domini dati priori 8 solidi et suppriori 6 solidi et singulis religiosi 4 s.<sup>2</sup>.

Commissarii imperatoris fuere hoc anno *messire Anthoine de Croy, chevalier seigneur de Saimpy*, *messire Jan Hauwaert, seigneur de Lydekercke*, *le seigneur de Gaesbeke*, *monsieur le prelast de Tronchienes* et *monsieur de Schardan, grant bailly*; *le grand doyen de mestiers estoit Jan Block, fils de Thomas Mareschal*.

MDXL. Hoc anno, confecit R. D. mitram, in qua hae erant effigies sanctorum: a fronte sanctae Mariae et sancti Petri, et a tergo sanctorum Gerulphi et Basini.

Feria quarta ante coenam Dominicam, nono calendas Aprilis, Ferdinandus, Hungariae et Bohemiae rex, in transitu, monasterium Trunchiniense, celebraturus ibidem solemnitatem Paschae, cum suis adiit.

Dati religiosis de curialitate eorum, in festo Johannis, singulis 10 floreni; priori 20, suppriori 15, usque ad sexdecim religiosos; et in Natalitiis iterum quatuordecim religiosi 4 solidi, priori 8, et suppriori 6.

<sup>1</sup> *Comt t'samen* 9<sup>o</sup> 18 s. 6 deniers grooten et alibi 10<sup>o</sup> 5 s. N. C.

<sup>2</sup> *Betaelt* 14 religiosi, ut supra, *comt* 5<sup>o</sup> 10 s. alibi 4<sup>o</sup> 2 s. N. C.



Quinto nonas Martii, id est tertio mensis, Paulus papa III, pontificatus sui anno primo, confirmat corroboratque cessionem<sup>1</sup> R. D. abbatis nostri domini Petri de *Block* ac tertiam illi omnium proventuum partem cedenti assignavit; imo exemit illum ab omni obedientia successorum ac a reddenda ratione honorum sive proventuum illi assignatorum. Hoc anno, is primus usus fuerat mitra.

\* Quod indultum adeo pontifex stricte observari voluit, ut super ejusdem executione judicem constituerit Petrum Lambertum, episcopum Casertanensem, qui anno MDXLI, decimo quinto Junii, Roma scripsit processum in longum, constituens certos hujus processus executores, quandoquidem in propria persona comparere non possit. « Omnes resistentes, vel eidem indulto satisfacere et acquiescere nolentes, in singulos sex dierum, canonica praemissa monitione, excommunicationis; in capitula vero et conventus et collegia quaecumque in iis forte delinquentia, suspensionis a divinis, et in ipsorum delinquentium et rebellium ecclesias, monasteria et capellas interdicti ecclesiastici sententias ferimus. »

\* Credo D. Petrum idem sollicitasse, eo quod forte difficultatem ipsi fecerant.

Ultima Aprilis, lata a Carolo imperatore sententia contra Gandenses, et mansit ibidem tribus mensibus.

\* Plurimi heroës, proceres, principes, potentes et magnates tam ecclesiastici quam seculares, secuti sunt Carolum imperatorem. Gandavi hospitabantur episcopi, archiepiscopi et cardinales, et in aedibus nostris, via lapidea, hospitabatur episcopus Palermæ.

MDXLI. Bona nostra in parochiis *Vracene* et sancto Aegidio fuerant elocata 209<sup>o</sup> annue<sup>2</sup>. Receptae duae librae Flandrenses de ejusdem censu vitali.

Cessit plenarie R. D. *Petruck Block*, die tertia Martii, eique datae sunt 25<sup>o</sup> vicesimo secundo Martii.

Data in subsidium Caesareae majestatis (vel petiit habetur) medietas<sup>3</sup> omnium proventuum nostrorum. *Eerste payement is betaelt dese iaere, en het ander tot volle betaelinghe anno sequenti. Voor tweede payement wiert betaelt 332<sup>o</sup> 13 s. 4 g.*

Item eodem anno MDXLII, solverunt nummum decimum omnium pro-

<sup>1</sup> Reperi bullam vel copiam ejusdem, ubi approbat Petri cessionem. Vide in appendice. N. C.

<sup>2</sup> Forte *niet*. N. C.

<sup>3</sup> Medietatem omnium honorum a sacerdotio exegit, dein decimam ac vigesimam imposuit.

ventuum *bedraeghende* 75<sup>o</sup>, et anno MDXLIII, medietatem nummi decimi 38<sup>o</sup>, et anno MDXLIV iterum 38<sup>o</sup>.

*Heynsdyck* inundatur, quarto Januarii MDXLI, sic quod Antwerpia periclitaretur.

Solvit pro nova cataracta pro sua quota R. D. 47<sup>o</sup> 12 s. 8 p.

MDXLII. Decimo octavo Januarii, concessus fuit Dom. Mariae, sorori imperatoris, nummus decimus omnium bonorum, terrarum, domorum, censuum, decimarum, emphyteusium, mercatum per totam Flandriam, Brabantiam et Hannoniam.

Decimo quarto Octobris, conceduntur 400 *duysent croonen* imperatori, ut patriam contra Francos defenderet.

MDXLIII. Thomas *Vander Donck*, mense Julio, cessit magisterio de *Hulsterloo*, cujus vices postmodum gessit, non ut magister, sed ut sacellanus sacelli in *Hulsterloo*, frater Cornelius de Voragine, qui octavo calendas Augusti, hunc ornamentorum dedit catalogum, fideliter omnia inibi scribens, sicut ea a domino Thoma receperat. 1<sup>o</sup> est calix cum adjunctis, cum missali; *een witten damasten mantel met roode boorden*; 2<sup>o</sup> *eenen groenen met swart fruweel gheboordt*; 3<sup>o</sup> *eenen rooden fruweelen met vellekens gheboordt*; 4<sup>o</sup> *een rooden damasten met geluwe gheboordt*; 5<sup>o</sup> *eenen rooden damast fruweel met geluwe gheboordt*; 6<sup>o</sup> *een rooden fruweel met groen gheboordt*; 7<sup>o</sup> *een swarten met gaude drayen doortrocken*; 8<sup>o</sup> *een van gauden laecken*; 9<sup>o</sup> *noch een roodt fruweel met gaudt doortrocken*; *een rood fruweele busse met een corporael*; *een swart sayen scutcleet met een roodt cruyce*; 2 *roode gordynen*, 2 *blauwe*, 2 *witte gordynen*, 9 *witte cappen*, 6 *remonstrantie*, 3 *casulen*, 3 *albe*, cum necessariis *voor elck twee*, 2 *gordelen*, 2 *antipendia*, unum *quotidianum*, alterum *gaude laeckenen*, 3 *candelabra in summo altari et aliud parvum*, item *candelabrum ante crucem sanctam*, et aliud ante aedem venerabilis sacramenti; *een wywaetervat*, *een lampet*, 6 *authaer dwaelen*.

\* Mense martio, iterum exiguntur 600,000 *croonen*, solvendae spatio sex mensium sequentium, singulis mensibus 100,000.

MDXLIV. Obiit R. D. Petrus *Block*, vicesimo nono Septembris, jacetque sepultus Trunchinii in dextra parte chori ac sub tumba lapidea, cum inscriptione; in lapide sepulcri caeruleo haec habentur verba: « Hic decubuit <sup>1</sup>

<sup>1</sup> Aetatis suae anno septuagesimo.

D. Petrus *de Block*, Gandavus, qui concordibus suffragiis hujus domus archimandrita electus exstitit, cum provincia iniqua tempora sustinuit, maris inundationes ac suppetias graves, praeter haec architecturae peritia claruit. »

Et circumcirca dictum sepulcrum habebantur haec verba : « Obiit D. Petrus *de Block*, hujus ecclesiae seu monasterii abbas, provinciae frugaliter gestae, eloquium posteris relinquens, anno Domini MDXLIV, decimo nono Septembris<sup>1</sup> : qui primus ad gloriam Dei mitra usus est. Orate pro eo<sup>2</sup>. »

Fratres Johannes *Galle* et Johannes *Ruyschinck*, cum ex insula, monasterio nostro opposita (*d'Hassels* vocant), octavo Julii, domum navigare ac Lisam trajicere tentant, in ipso fluminis medio cymba soluta est, ipsique natandi arte imperiti, undis continuo absorpti, finem vitae fecerunt.

Quinta Octobris, per scabinos primi scamni indicta supplicatio generalis pro pace, et pax publicata inter Carolum et regem Francia. Interfuere D. Bavonis, Trunchiniensis et *Baudeloo*.

MDXLV. Decimo quarto Januarii, Jacoba de *Brandeghem*<sup>3</sup> domina Trunchiniensis.

MDXLVI. Decimo sexto Augusti, impetrarunt praelati nostri (intercessione Ferdinandi, regis Hungariorum, etc.) privilegium dandi benedictionem solemnem in omnibus ecclesiis, ordines quatuor minores conferendi, paramenta ecclesiae et altarium, item campanas, vasa sacra et alia benedicendi; puto et hoc anno, infulae et annulorum usum iisdem esse traditum.

MDLIX. Tertio Junii, fuit R. D. abbas Saleghemii, ubi convenit cum domino Cornelio *Doolaeghe*, sacellano in *Hulsterloo*, de bonis istius villa pro summa 36 lib. fland., ipsique eadem elocavit, cum ea inter caetera conditione, ut suis expensis quotannis semel R. D. cum suis ibidem tractaret; qui contractus tamdiu duraret quam dominus bene solveret et honeste se gereret.

MDLII. Abbas Aegidius dedit, decimo tertio Octobris, ecclesiae sancti Martini de *Ackerghem*, pro anniversario quotannis pro parentibus faciendo, casulam *van ghefriseerden gaude laecken* et duas dalmaticas ejusdem materiae *met het bordursel*, valentia simul amplius quam 60 libras flandricas. Insuper hic abbas a fundamentis erexit novum chorum ex albo arduno.

<sup>1</sup> Profectus Bergas Hannoniae pro censu Maximiliani recipiendo. N. C.

<sup>2</sup> Vestra per ora virum fama perennis eat.

Vir erat experiens memoriaque dignus, omnibus suis carus atque venerabilis. N. C.

<sup>3</sup> Haec superius nominatur *Baudrenghyen*.

MDLIII. Magister fit in *Hulsterloo* D. Cornelius de Voragine, octavo cal. Augusti; subsignavit ornamentorum inventarium ipsius sacelli, spondetque ea sese fideliter servaturum, prout D. Thomas ibidem reliquerat, credo, *Vander Donck*, qui prior est declaratus, anno MDXLIII, specificatque quaedam summi altaris ornamenta, ex quò colligere licet plura eo in sacello fuisse altaria, ac curam ejusdem sacelli a nostris tantumdem pependisse.

MDLIV. Monumentum illustris viri Oliverii a *Poucke*, a carie plane vindicatum, R. D. Aegidius *Baes* restituit in integrum.

MDLV. Ad concilium Tridentinum ex mandato reginae regentis 600<sup>s</sup> flandricas et pro sua quota debebat R. D. 14<sup>s</sup>. Abbas de *Baudeloo*, Jacobus dictus, constitutus est ut executor et receptor.

MDLVI. Vicesimo secundo Junii (puto), vendiderunt Dilighemenses suo patri abbati (sic enim expresse habetur in contractu venditionis) crucem argenteam inauratam 258 rhenensibus: singuli rhenenses valebant 20 assibus.

MDLVII. R. D. commodato dedit regi 1000 floren., unde annue recepit 62 floren. en 10 gr. fland., censum a sua majestate consitum *op den spycker van Ghendt ende generaelyck op syne domynen van Vlaenderen*, et cessit eidem anno MDLX, partim cuidam novum collegium erigenti, magistro Francisco de Nova Terra; partim pro redimendo pane Adriani *Van Grimmeghem*.

MDLVIII. Obiit R. D. Aegidius *Baes* abbas, cujus divisio erat PARCAT DEUS. Humi in cupreo sepulcro haec sequentia sculpta erant: « Anno incarnationis Dominicae MDLVIII, quarta die Februarii, obiit R. D. Aegidius *Baes*, abbas Trunchiniensis, hujus novae ecclesiae a fundamento erector, cujus anima requiescat in pace. Amen. » Ejusdem et epitaphium, carmine compositum, in marmore scriptum, haerebat muro, sub Virginis Mariae figura.

\* Aegidio abbate inter III et IV Februarii mortuo, mox, eodem adhuc die, notarium publicum religiosi accersivere cum protestatione quod in defuncti locum eligerent D. Livinum *Baes*, et ut eorumdem desiderium majestati suae indicarent rogant.

Et Dominica *Laetare* proxima, abbatiali decoratur infula D. Livinus. Puto hunc consecratum a suffraganeo Cameracensi: ad vicesimum nonum aetatis annum infulas accepit.

Assignantur annue pro infirmitorio 2 librae ad anniversarium Dom. Aegidii *Baes*.

Sexto Februarii, religiosi habuere testamentum a patre praelato: prior

3 gr., Franciscus *Leenheere* supprior 30 s. gr., Johannes *Wyngaerde* pastor 20 s. gr., Johannes *Dhenys* 20 s. gr., Johannes *Mensins* 20 s. gr., Livinus *de Suttere* 6 s. 8 d. gr., Lucas *Fransman* 6 s. 8 d. gr., *J. Ruutere* 6 s. 8 d. gr., et sic consequenter Martinus *Cueninck*, Livinus *Vande Velde*, Nicolaus *Verdonckt*, *Sturterwaeghen*. Summa totalis 151<sup>o</sup> 19 s. 8 d. gr. Annae *Baes* moniali *Tusschenbeke* 20 s. gr.

MDLIX. Philippus, Hispaniarum rex, concedit Adriano *Grimmeghem* alimentationem apud nos, imo adeo absolute quod mandat ipsi victum et amicum sibi dari. Datum Gandavi prima Augusti; sed praelatus cum eo transegit, anno MDLX, tertio Septembris.

Philippus invitat praelatum nostrum, ut cum omnibus ornamentis abbatibus compareat Gandavi in officio divino, die decima quinta Julii, cum capitulum celebrabit Aurei Velleris cum caeteris praelatis et episcopis, et ob particularia aliqua illi dicenda. Bruxella, tertio Julii MDLIX. Propria manu scriptum: *Phls. in longo*.

MDLX. Dominus Johannes de Vinea, multa confectus aetate, in humanis esse desiit, aetatis anno septuagesimo quarto, eique in cura pastorali Trunchinii suggeritur, qui antea munus ejus ob decrepitam nimis aetatem obierat, Dom. Franciscus *Leenheere*, simulque docuit juventutem, vir enim erat doctus, studueratque aliquandiu theologiae Parisiis.

Hactenus religiosi usi fuerant orbe in mensa e pane siliginoso: in tres enim scindebantur panes rotunditates, insuperet integer singulis ministrabatur panis triticeus, sed minoris ponderis. In obitu autem fratris Johannis de Vinea, cum amplam nimis ac locupletem haberet suppellectilem, impetrato R. D. praelati assensu, legavit conventui tot orbes stanneos quot essent necessarii, et ex eo tempore remansit apud nos usus stanneorum.

MDLXII. Secunda mensis Aprilis, ante Pascha, visitavit R. D. praelatus moniales Intertorrentinas; ibique multa salutaria, reformationis gratia, reliquit decreta.

MDLXIII. R. D. novam aedificavit domum in *Ursele*, et expendit 68 *mudden*, 2 *sacken tot 13 pond. grooten*. Item et 23 *midde en half tot 3<sup>e</sup> 18 s. 4 d. gr.* et pro aliis materialibus et opera 170 gr.

Magnos quoque sumptus pro reparatione domus in *Baerelvelde met scaillien gedeckt tot 17<sup>e</sup> 10 s., en 6<sup>e</sup> 6 s. gr.*, et pro murorum restauratione ac multis mutatis pro 34<sup>e</sup>.

MDLXIV. Pro reparatione cataractae ante *Monteham*, et portae majoris, quae respicit prata, et murorum adhaerentium expendit 38<sup>o</sup> 17 s. 3 d. gr. *en half*.

Abbas Livinus, Hermanus *Vanden Foreeste* prior, Carolus *De Ligne* supprior, Gerulphus *Borluut* circator, Franciscus *Leenheere* pastor Trunchinii, *Jan Meensens* cellarius, *Lieven de Zuttere*, Dionysius *Sturtewaeghen*, Petrus *Croesens*, *Jacob Verdebaudt*, *Jan de Blicck*, Aegidius *Van Haute*, presbyteri et religiosi, repraesentantes omne corpus et conventum monasterii beatae Mariae, intra Trunchinium capitulariter congregati per capituli campanam, maturo consilio et bona deliberatione, certis rationibus ad id inclinati, ad vitam elocarunt Aegidio *Baers*, fratri praelati, et uxori ejusdem, quamdiu vixerit, *de consergerie van onsen huuse te Ghendt, gheseydt het Dronghen hof*, in hoc sese et posteros obligantes cum his conditionibus: 1<sup>o</sup> per inventarium et binam specificationem debet recipere omnem suppellectilem ibi inventam, permittentes per proprium chyrographum cuncta et singula *te garanderen en te hauden staene ten..... van haer lieden behaudens*, quod singulorum habebunt usum. Tenebuntur et eandem domum mundam semper ac puram servare, religiosos ac monasterii ministros hospitio excipere, ac iisdem quotidianum victum proponent; vinum bibere volentes vinum solvent. Si autem contingeret aliquos ibidem infirmari, vel infirmos ibidem decumbere, portio ipsorum e monasterio procurabitur; et quotiescumque praelatus superveniet, Aegidius cum uxore sua praedicta semper intenti et parati erunt in ipsius servitium, pro quo iisdem annue concessit praelatus 4 libras flandricas in natalitiis Domini; insuper etiam 2<sup>o</sup>, in subsidium *van de huere van boden en de maerte* eorumdem. Item 3 saccos tritici, 3 saccos siliginis, 5 lapides candelarum, 600 truncos en 600 *ryshaudt*. Item singulis braxationibus, quibus in monasterio braxabitur *een smalle tonne biers, een aelster erweten*, 20 lapides boni butyri, *een hame petaus... een vercken met de onse te meughen loopen*. Acta fuerunt haec in capitulo, decimo Octobris anni MDLXIV, sed quam insipienter, eventus docuit.

MDLXVI. Hic annus nihil praeter clades et calamitates attulisse visus est.

ANNUS TRIBULATIONIS.

Omnia hoc anno ad mutationem ac perturbationem spectabant, multa namque inquieta ingenia, factiosique homines, homines, inquam, trioboli et alga viliores, quibus omnis urbana quies odiosa erat, rebusque novis sem-

per intenti, juvenes temerarii, nebulones, ganeones, spreta omni superioribus debita reverentia et obedientia, omnique legum metu sublato, passim in templa monasteriaque impetum facientes, eadem spoliare, aras profanare ac evertere, imaginesque sanctorum demoliri coeperunt. Et haec quidam erat miseria ac calamitas fato quodam debita Flandriae; omnemque clerum execrantes, majorum religionem ut falsam et erroneam ac fallacem abrogandam volebant, aut ad minus reformandam. Quae hominum insolentia ac nebulonum insania ut primum in Flandria occidentali circa Ypras coepit, mox eorum exempla secuti sunt caeteri; per omne fere Belgium, ejusdem farinae ac notae homines eandem ubique uno eodemque fere tempore exercuere petulantiam. Mensis anni Augustus erat et dies vicesimus tertius, quo haec eadem Gandenses, assumpto duce et singulari capite causidico quodam, cui nomen erat Sine Misericordia, *Ongghenae*, homine audacissimo ac factiosissimo, perpetrarunt. Mimilogus erat, qui ad aedes undequaque vocabatur, ut animos convivantium ac compotantium suis oblectaret facetiis. Quo duce et auctore, ut ubique, pro sua libidine ac insania, per omnia urbis monasteria, templa sacrasque aedes, cuncta peregerunt <sup>1</sup>.

Altera die, vix albescente coelo (mali enim, ut faciant mala, non dormiunt), pariter enim congregata erat turba vilissima, ex faece civitatis collecta, facinorosa omnino colluvies, apertisque civitatis portis, Trunchinium ingeminant et magnis conclamant vocibus <sup>2</sup>, nec ausus est quisquam eisdem obviam ire, ita ut impune illi omnia devastarent et diriperent pro libitu; dies hic erat IV supra XX mensis Augusti, D. Bartholomeo sacer.

Arcam autem ut primum attigerunt Trunchiniensem (locus is est ante coemeterium), sub horam scilicet VI matutinam, insanis clamoribus et vociferationibus omnia implent, et sic repente in omnia monasterii loca et officinas sese turmatim effundunt, nihil audaciae, nihil malorum praetermittunt <sup>3</sup>. Qui autem templum ingressi (scripta enim scribimus et narrata narramus), ut Dei sacerdotem hostiam immaculatam ad altare offerentem a longe con-

<sup>1</sup> Haec legenda sunt in margine: Regnabant ea aetate pro virtutibus vitia, plenaque malorum erant omnia; bellis, fame, pestilentia, frugumque calamitatibus mundus premebatur, nec mores tamen longe depravatissimos emendat, sed in dies auxit foedam vitiorum colluviem.

<sup>2</sup> Terribili cum clamore haud secus atque rabidae belluae. N. C.

<sup>3</sup> Haud aliter sese gerentes istic ac si furore quodam perciti fuissent. Cupiditate praedae omnia penetrant, omnia effringunt, evertunt, polluunt profanantque. N. C.

spexere, ipsi velut rabidi ac insani ocyus accurrunt (celebrabat F. Jacobus *Verdebaut*), ex manibus sacrifici vi calicem abstulerunt, etc., eumque de altari propellunt ac sacris exutum vestibis intolerabilia in eum convicia, irrisiones et scommata effundunt, illaesum tamen abire permiserunt. Calicem ex altari diripientes impuris suis manibus contingere non verentur; imo cauponam ingressi, ex eodem sibi mutuo in sacrificulorum irrisionem et sacrosanctae missae contemptum propinarunt. Religiosi autem, tam insane ac furentis plebeculae rabie impetum ac vim declinantes, secesserunt in proximum, quod in altera Lisae ripa exstructum erat, castrum, quod, ab emptore Blaserio, modo et Blaserii nomen obtinet; ibique rei eventum praestolantes, sese ad diei illius vesperam quiete continuerunt, nebulonibus interim illis obvia quaeque diripientibus ac evertentibus. Altaria omnia et singula denudant, profanant ac demoliuntur, tabulas altarium dejiciunt ac in frusta secant. Duas admodum affabre elaboratas picturas, unam summi altaris et alteram illius, quod in honorem sancti martyris Gerulphi consecratum erat, R. D. abdiderat, hanc sub tecto in caupona e regione templi, illam in magnum foeni cumulum, sed prodeutibus illis, quorum opera usus fuerat, inventas comminuerunt. Pendentis e cruce Christi Salvatoris imaginem<sup>1</sup> funibus alii e sublimi detrahunt, detractum (ineffabile est quot eum irrisionibus exceperint, quamque indigne tractarint) alii pedibus impetunt atque protrudunt, alii enses infigunt, alii hastis transfodere nituntur, ac demum in partes minutiores comminuunt. Fontem baptismalem quoque subvertunt ac in terram, effusa per pavementum aqua, prosternunt. Organum, quod magnum sonorumque admodum erat, fistulatim dejiciunt ac pedibus conterunt. Vitreas fenestras recenter tantum positas lapidibus injectis comminuunt, quorum exemplo et pueri audaciores facti et ipsi passim rudera aliaque minutiora in eas conjiciunt. Praelatus vero, qui haec futura minime ignorabat, pro reliquiis sanctissimis sollicitus abdiderat sanctissimas reliquias, Basini scilicet filiaeque ejus Aldegundis ac sancti Gerulphi martyris cum eorum feretris. Collocarat autem ea super cellae vinariae fornices, ac foramen muro (lapide) obstrui ac recludi curarat; metuens autem ne non arcano satis essent ac tuto locata loco, clam eadem cum sanctissimis reliquiis in Gaverense asportari curavit castrum, cujus toparcha prioris nostri domini Hermanni *Vanden*

<sup>1</sup> Non ambigendum quin infensa nimium Flandriae numina hanc calamitatem fieri permiserint. N. C.



*Foreeste* frater erat. Aliis igitur ita in templo debacchantibus, non minori petulantia ac furore alii interim omnia monasterii loca percurrunt, nullam obviam seram non effringunt, cellas omnes religiosorum, refractis januis, avidius perlustrant. Imagines, cruces, quidquid devotionem ac pietatem referebat, id omne in frusta comminuunt, libros dilacerant, et omne quod sub eorum aspectum venit, ipsis praedae cessit. In bibliotheca libros omnes, vel medios, secant, vel pugionibus confodiunt, vel folia evellunt ac dilacerant. Musaei quoque claustrum, ut vi adaperuerunt, chartas omnes, tabulas, codicillos omnes, omniaque privilegia, instrumenta ac documenta, litterasque omnes partim frustratim dirumpunt, aut sigilla ipsis detrahunt, et sic e fenestris in aëra jaciunt, unde, quandoquidem multam illa die coelum stillaret pluviam, multa quoque tum putrefacta, tum perdita fuere privilegia ac instrumenta. Coquinam quoque perlustrantes, quidquid ibidem edulii potusve repererunt, absumunt, ac, clastro promptuarii effracto, aliquot in illud declinantes ad insanam ebrietatem sese mutuo provocant<sup>1</sup>. Vasa ad hoc in altum erigunt, et sic adaperita superiori vasorum parte, iisdem in orbem circumstantes pileis seu galeris suis sibi invicem propinarunt, et ut venter ac caput jam multo mero potuque aestuabat, ut reliquum nihil remaneret, pertusis fractisque tum vini, tum cerevisiae vasis ac doliis, vias, quibus reliquum efflueret, aperiunt, sicque saturi, omnibus jam corrasis et quassatis, monasterio sub vesperam excedunt et Gandavum revertuntur<sup>2</sup>. Quibus egressis, jam sole declinante, ad monasterium revertuntur religiosi, sed cum nihil reperirent (omnia enim vel abstulerant, vel absumpserant) quo famem explere possent, ab incolis emendicare necessitas et gravis inedia coëgit; sed in ipsis nihil solatii repertum, renuunt quique, et, nisi visa ac numerata prae manibus pecunia, nihil ipsis vendibile aiebant, quippe quibus omnia jam essent ablata nullaque spes ultra (ut sibi mutuo persuadebant) aliquando futura honorum recipiendorum. Jam omnes decimas spe absumpserant, qui jam spe devoraverant facultates et bona omnia, etc., nullasque amplius dandas

<sup>1</sup> Eos exitus plerumque habere solent turbulenta et seditiosa consilia et machinamenta, suisque auctoribus ut plurimum exitio esse consueverunt, rerum humanarum pervigilem curam gerente divina providentia, quae etsi interdum occulta sua justitia permittit homines pessima quaequae moliri, non tamen patitur semper eos

voto potiri suo. Ipse enim est qui non in perpetuum irascitur neque in aeternum comminatur. Sic non deest praepotens Deus spem suam in ipsum collocantibus. N. C.

<sup>2</sup> Ubi autem praeterea nihil restaret nec diripiendum nec ligandum, praedam omnem secum reportarunt. N. C.

dictabant. Omnia sibi cessisse putabant, sed aliter atque rati erant accidit. Conductor se bonorum ecclesiasticorum dominum aestimabat : sed non dormitabat neque dormiebat *qui custodiebat Israël* ; et ut ait D. Augustinus, *florere ad tempus quidem potest iniquitas, sed permanere non potest*. Nec etiam absque digna pro tantis excessibus mercede auctores hujusmodi immanitatum atque sacrilegiorum divina justitia dereliquit.

Alteram enim, postquam licentius illa perpetrassent die, publico edicto<sup>1</sup> mandatum fuit, ut ubique locorum severius in hujusmodi nebulones animadverteretur. Plures itaque fuga sibi consuluerunt, quotquot autem reperti ad supplicium rapti ac comprehensi sunt et crucibus (patibulis) dati fuere. Fugerat et omnium scelerum caput, *Onghenae*, sed hic perfidiae suae poenas dedit aliquo post tempore (forte non diutius eum sic permittente vivere supremo numine). Sperans factiosam omnem suam malitiam et impietatem oblivioni traditam, uxoris suae visendae nimio amore exardescens, Gandavum venit, sed ut primum oculis civium sese objecit, agnitus est ac in vincula conjectus, brevi post resti finem vitae sortitus est, patibulo suspensus.

Diruta quaeque ac vastata mox R. D. restituit, pristinoque nitore ac fulgore domum Dei imprimis reddidit.

Et is quidem fuit exitus hominum sceleratorum, qui revera pejora adhuc meditabantur, nisi Dei providentia, quae nunquam deest rebus humanis, eorum furiosa consilia retardasset et impios conatus perfregisset ; ac nec sic tamen ea perfidia exstincta est.

Sed eam quietem ac tranquillitatem necdum merebantur corruptissimi hominum mores et effrenis peccandi licentia, cui castigandae nova parabantur et acerbiora quidem flagella.

Id genus flagella Dei admonent malos ut resipiscant ; bonos exercent ad patientiam. Verum plerique omnes casu putant evenisse talia ; ita fit ut maneat sui similes, et parum aut nihil corrigantur.

MDLXVII. Vicesimo septimo Aprilis, obiit frater Johannes *Avere*, sacellanus

<sup>1</sup> Gubernatrix nostra, perstrepe publico tympani tubarumque clangore, mandavit ut....

In culpa fuerat senatus quod non in tempore hujusmodi malis obviasset, cum in rebus hujusmodi principiis obstandum sit semper :

..... Sero medicina paratur,  
Cum mala per longas invaluere moras.

Quantquam ad morum emendationem non ita multum conferent. N. C.

in *Heinsdyck* : hic tam procerae erat staturae, ut gigantem magnitudine aequare videretur.

Revocatus e praepositura D. Vincentius *Crop*, eo quod parum forte aedificatorie ibidem vixisset, traditaque est praepositura Ninivensi praelato, qui eo e familia sua destinavit fratrem Petrum *Clays*, qui ibidem haesit ad annum MDLXXIII, succedente fratre Johanne *Sadelere*, ejusdem congregationis religioso, qui eandem deserere coactus fuit, tempore tumultuum Belgicorum, et deinceps, mandato R. D. generalis nostri, nostratibus cessit.

MDLXVIII. R. Guilbertus Ongniesus (*Dognies*), LXXVII episcopus Tornacensis, indixit synodum Tornaci celebrandam, ad quam R. D. suo nomine misit, ut procuratorem et syndicum, F. Franciscum *Leenheere*, pastorem Trunchiniensem, cum hac protestatione ad reverendissimum in litteris contenta, « quod nos nostraque ecclesia Trunchiniensis sumus et est a jurisdictione R. D. episcopi Tornacensis exempti et exempta, et quod suis constitutionibus synodalibus non possumus nec potest quovis modo coërceri vel ligari, quod nihil in hujusmodi synodo agi, tractari aut statui debeat, quod in nostrum nostraeque praefatae ecclesiae Trunchiniensis seu etiam ordinis nostri Praemonstratensis exemptionis et privilegiorum ejusdem praejudicium pariter et derogationem vergat, et quatenus idem fuerit de appellando protestandum. »

MDLXIX. R. Dom. D. Cornelius Jansenius episcopus Gandavensis, rogatus R. D. praelati nostri, secunda mensis Maii die, Trunchinium venit, una cum eximio Dom. D. Cunero Petri a *Brauwerschaven* Zelando, sacrae theologiae doctore, et Leovardiensis ecclesiae in Frisia secundo episcopo, designato, quondam praelati nostri, dum Lovanii studiis operam daret, professore. Cujus in praesentia, totiusque conventus, feretrum gloriosi martyris Christi Basini (verba sunt episcopi) miraculis ibidem clarissimi visit, eoque reverenter aperto, magnam ibi sacri ipsius corporis partem, ac praecipua quaeque martyris ossa reperit, quae ubi diligenter examinarat, recensque purgarat, in eodem feretro ad Dei honorem religiose reposuit, relictis ibidem in testimonium veritatis litteris, sigilli sui appensione communitis, pauculis sublatis reliquiis ejusdem corporis ad altarium consecrationem necessariis. Et proximo die, qui fuit inventionis sanctae crucis, chorum, aliquot ante annos a praedecessore praelati nostri aedificatum, et ab improbis sectariis indigne tractatum, nunc autem denuo ingentibus sumptibus summaque diligentia ad Dei honorem insigniter restitutum ac exornatum, consecravit

una cum summo altari ad honorem et gloriam Dei omnipotentis et gloriosae Virginis Mariae. Quarta autem die, alia quoque tria in eadem dedicavit ecclesia, primum in honorem sancti Livini martyris, quod exstructum erat supra summum altare, ibique in dies canebatur missa de Domina; reliqua vero duo extra chorum, alterum a dextris chori in honorem sanctae Aldegundis virginis, filiae sancti Basini regis et martyris, et alterum a sinistris in honorem ipsius martyris Basini. Consecravit et eodem anno altare in veteri bibliotheca, in honorem sancti patris Augustini, ipsa translationis ejusdem; item et duo in parochiali ecclesia, unum in memoriam sancti Gerulphi, et aliud in memoriam sanctae Deiparae parentis Annae. Verba fere sunt ipsius episcopi desumpta ex patentibus quas nobis reliquit litteris.

Consecrationi chori praeter abbatem nostrum interfuere D. Carolus *Ligne* prior, F. Gerulphus *Borhuut* supprior, F. Petrus *Croes* circator, F. Franciscus *Leenheere* pastor Trunchiniensis, F. Dionysius *Sturtewaeghen*, F. Jacobus *Verdebaut*, F. Aegidius *Haute*, F. Franciscus *Moor*, F. Aegidius *Christiaens*, F. Franciscus *Bosche*, F. Judocus *Sterck*, sacerdotes, et F. Johannes de *Clercq*, F. Guilielmus *Fransman*, clerici professi.

Obiit F. Livinus *Vande Velde* pastor in *Hynsdic*, et succedit F. Nicolaus *Vander Donct*. Octavo Junii vel Julii acceptavit, sed resignavit F. Johanni de *Blieck*. Ad hujus praesentationem ita scribit praelatus: R. in Christo patri ac D. D. Cornelio Jansenio, Dei et apostolicae sedis, etc., Livinus permissione divina humilis abbas, etc., *reverentiam et honorem*: non facit mentionem *obedientiae*. Cum R. Tornacensi scribit, ibidem dicit *obedientiam* et *reverentiam*.

MDLXX<sup>1</sup>. Ipsa Ascensionis Dominicae, candidum professi sunt ordinem nostrum fratres Franciscus *Schantheet* et Michaël *Ghiers*, eadem quoque die candido indutus est amictu F. Livinus *Vander Meulene*, qui tres postmodum abbatiali condecorati sunt infula, primus et tertius Trunchinii et secundus Dommartini in Artesia.

Mensis Februarii die septima, est celebrata prima synodus episcopalis Gandavi per R. Dom. D. Cornelium Jansenium, urbis Gandavensis episcopum, cui praeter Trunchiniensem nullus interfuit abbas; comparuit autem, nomine abbatis sui, prior D. Petri.

<sup>1</sup> Forte hoc 1571. N. C.

Habita synodus Mechliniae et finita mensis Julii die decima quarta. Interfuit R. D. cum fratre Gerulpho *Borluut*.

Lego hoc anno consecratum altare D. Virginis Trunchinii in parochiali ecclesia.

Solvit R. D. 62<sup>o</sup> 14 s., decimo nono Aprilis, pro restauratione novae cataractae in *Heynsdyc*.

MDLXXI. Supremus Ballivus, consul et scabini, aeditui ac tota communitas urbis et *vryhede van Nevele* libellum supplicem offerunt R. D. Gandavensi, ut sacellulum quoddam juxta xenodochium situm, in quo hebdomadatim celebrari consueverat missa, quod sacellulum nunc deficere incipiebat pro vetustate ac maxima egebat reparatione, quae nonnisi magnis sumptibus fieri poterat, ac tenues nimium sint proventus ejusdem sacelli et nesciant num consecratum sit necne, consequenter supplicant ut idem sacellum demoliri queant ac vendere cum fundo, in quo situm est, ad usum pauperum: *Mitsgaeders oock't incommen van den selven gasthuysse, te appliceren tot den ghemeen en oorboore van den aermen als boven: behalven, dat men de misse sal doen celebreren te Nevele in de prochickercke*, constituentes eum in finem procuratorem suum D. Sebastianum *Van Hecke*, magistrum et pastorem nunc Nivellensem, submittentem sese plenarie ejusdem in hoc arbitrio et directioni.

R. D. Michaël a *Male*, abbas monasterii sanctorum Cornelii et Cypriani, ex commissione R. D. Guilielmi *Douppaix*, abbatis Floreffensis, visitavit monasterium nostrum paulo ante decimum mensis Martii, et constitit ejusdem relictum 44 articulis.

*Heer Brussaet de Stoppelaer, hofmeester van den here ter Meuncken te Nevele*: sic vocant residentiam Nivellensem.

MDLXXII. Mense Febuario, a XV inclusive usque ad XVIII inclusive, celebratum fuit in monasterio Parcensi capitulum provinciale, cui praesidebat R. D. Guilielmus, abbas Floreffensis; intererant autem, praeter capituli praesidem, XIV Belgii abbates, inter quos et R. D. noster Livinus *Baers*, cum fratre Gerulpho *Borluyt*, qui pastor erat Nivellanus. Hujus capituli XXIII<sup>s</sup> articulus fuit: « Monasterium sanctimonialium de *Tusschenbeke* commisit capitulum, consentiente abbate Trunchiniensi, abbati Ninivensi. » Sed quandoquidem, inconsulto illustrissimo ac R. D. D. generali, articuli isti, qui fuere tres et triginta, sunt positi, ideo generalis imprimis hunc articulum

revocavit, anno MDLXXIV. Imo a capitulo generali sub Johanne De Spruetis, Praemonstratensi abbate, omnia illic acta fuere reprobata et abrogata, in eoque generali capitulo, abbatibus Belgii prohibitum fuit, sub poena excommunicationis, ne in posterum capitulum generale vel provinciale in Belgio celebrare praesumant.

MDLXXIII. Mensis Maii die secunda, venerunt ad monasterium nostrum, visitationis ergo, R. D. D. Guilielmus *Douppaix*, monasterii Floreffiensis abbas, necnon per Belgium omne reformator generalis, cum R. D. Oliverio, abbate monasterii de Castello in Mauritania, qui, quinto ejusdem mensis, publicato capitulariter prius relicto, abierunt. R. D. noster dedit abbatibus Floreffienti et *Chasteu. Labbie*, singulis *een schale van silver weert*, 7<sup>o</sup> 6 s. 8 d. gr.

MDLXXIV. Septimo Februarii, illustrissimus ac R. D. generalis D. Johannes De Spruetis, una cum R. D. abbate sancti Michaëlis, religiosas nostras Intertorrentinas visitavit<sup>1</sup>, ibidemque ut religiosum offendit Ninivensem<sup>2</sup> aegerrime tulit, cur tam temere suis praelati renuntiarent privilegiis, gravique vetuit edicto (ut ad nostrum descendit monasterium) ne a morte ejus, qui modo munus obit praepositurae alius quam Trunchiniensis designaretur.

Die decima Martii, venit ad monasterium nostrum visitationis ac reformationis gratia R. D. D. Johannes De Spruetis generalis ordinis nostri, una cum R. D. Guilielmo comite, dicto *Greve*, abbate sancti Michaëlis, quem rex catholicus eidem in itineris socium ac reformationis testem assignarat, cavique imprimis ne alius, a morte praepositi Intertorrentini, praepositus designaretur quam religiosus Trunchiniensis.

Cohabitare venit nobiscum F. Franciscus ab *Hoochstraeten* e Middelburga Zelandiae; id supplex petiit<sup>3</sup>.

Na domus emptae et solutae a nonis *Tusschenbeke*.

Anno Domini MDLXXIV, mensis Aprilis die ultima, ego Cornelius, Dei gratia episcopus Gandavensis, hoc altare<sup>4</sup> consecravi in honorem sancti Livini, et in eo reliquias sancti Blasii et Christinae inclusi, omnibus Christi fidelibus,

<sup>1</sup> Priorissa Anna *Baes* et suppriorissa domina Gertrudis *Van Hemelghem*. N. C.

<sup>2</sup> F. Johannes *De Saedeleere*, monasterii Ninivensis religiosus, praepositus. N. C.

<sup>3</sup> Vide in app. litt. abbatis Floreffiensis de religiosis de Middelburga.

<sup>4</sup> Loquitur de Trunchinio. N. C.

hodie et in anniversaria die consecrationis altare hoc devote visitantibus, quadraginta dies verarum indulgentiarum in forma ecclesiae consueta concedens.

MDLXXV. Hactenus annus incepit cum novo Pascha, sed hoc anno, prima Julii, mandato commendatarii ordinatum, ut posthac annus suum haberet initium a prima die Januarii.

MDLXXVI. Vicesimo primo Maii, suffraganeus illustrissimi D. Cameraensis consecravat apud moniales nostras tria altaria.

Elocavit R. D., vicesimo secundo Junii, fratri suo Aegidio *Baes* et dominae Livinae *Van Havere*, ipsius uxori, sylvam Waerschotanam, praesentibus dominis Carolo *De Ligne* priore, Judoco *Sterck* suppriori Brabanto.

Decimo quinto Junii, emit R. D. *een backwaeghen* 3<sup>r</sup> 13 s. 4 d. gr.

Vicesimo septimo Octobris, tapetum valentem 4 g.

MDLXXVII. Pridie festi sanctissimae Trinitatis, sacerdos est initiatus Tornaci Dom. Livinus Molineus a R. D. Petro *Pintaflour* Casletano, qui fuit septuagesimus octavus Tornacensium episcopus.

Annus MDLXXVII catholicae religioni et orthodoxae fidei valde infaustus : *Nisi praecedant delicta, non sequuntur flagella.*

Rursus annus pie et catholice viventibus fuit admodum infaustus, monstruosus enim ille ac pestilentissimus, anno MDLXVI conceptus foetus, utpote qui per undecim annos in malevolorum cordibus delituerat, in lucem editus est, in ruinam omnium proborum ac regi fideique romanae fidorum hominum, ita ut vere de hoc seculo tum dicere potuerit, quod alias dictum legimus :

Lux, lex, rex pereunt; tenebrae, vis, scurra gubernant.

Sed quis omnia mala et patrocina tum facta praescripserit, praesertim cum a rerum usque primordiis nunquam nostra haec Belgica tantam vidisse credatur calamitatem.

Certe tanta calamitas, ea tempestate, vigebat in Flandria, ut nec jura, nec leges ullae servarentur. Nihil nisi crudelis ubique grassatio, caedes, rapinae, vincula, carceres, latrocinia ubique audiebantur. Insuper homines multorum scelerum criminibus operti, e faece et colluvie plebis collecti, crudelissime illi in quoscumque quietissimos saeviebant; alios bonis spoliarent, alios patria expulerunt, eamque per septennium continuarunt tyrannidem tanta crudelitate, ut bonos omnes vitae suae taederet. Exules ac quicumque ob

scelera aut aes alienum a patria erant profugi, domum revertunt; praetores, magistratus, praefecti aliique regis ministri dignitatibus sunt spoliati; mutata omnis politica; loco proborum et bonorum virorum ad dignitates provehebantur perditissimi quique homines, seditiosi, exules, adulteri, homicidae, fures, et quotquot exosam magis haberent quietam tranquillamque vitam. Ita ut suorum decretis atque statutis tota subijciebatur civitas, summumque sibi in omnibus imperium auctoritatemque reservabant; et haud secus ac diabolica fraude triumphati, horum omnium malorum auctores in probatissimos quosque atrociter saeviebant.

Quare non immerito, eo tempore, frater Gerulphus *Borluut*, qui harum tragoediarum inspector fuit,

Quaeque ipse miserrima vidit,

exclamavit, ut in ejusdem scriptis videre licet: « O mentes, inquit, amentes, amantes perniciose civilia bella, et tempora pacifica repellentes, quis est hic, non error, sed furor? » Et iterum perturbatores isti reipublicae quaerunt tempora, non quibus sit quietas vita, sed potius impunita securaque nequitia. Et certe bonorum innocentia a violentia haereticorum et improborum jam non est tuta.

Scelerum capita fuere Johannes Embysius et *Rihove*. Quotquot in magistraturegi fideles noscerent, rebus omnibus spoliatos ex urbe exigunt, nec a conviviis in abeuntes jactandis sibi temporandum putarunt.

Nobiles Gandenses genere, aere vero ignobiles, quare cum pecuniae corrodendae studerent, hanc optimam sibi nactam putabant viam, ut, persequendo, perdendo probos ac ecclesiasticos viros, eorum invaderent bona, et velut alter *Achab*, insontem quaerentes perdere *Naboth*, ut vineam ejus, eo sublato, possiderent. Quid igitur egerunt (in longum hic cuncta recensere nostri studii non est, sed ad alios remittimus auctores; sola enim ea hic perstringere paucis intendimus, quae nostrum concernunt monasterium ac societatis nostrae religiosos)? Vi et armis cuncta obtinere posse diffidebant, metuentes ne austeritatem, ne dicam tyrannidem, priores experti, caeteri hoc viso exemplo thesaurum abscondant. Igitur vulpinam induunt speciem ac astu doloque procedere decernunt, inimicum animum blando obtegunt vultu, romanam fidem inviolatam semper servandam consulunt, utpote eam quam a majoribus hauserant, sed Hispanorum fastum ac tyrannidem minime



ferendam. Quare omnibus consulébant, ne pretiosa quaeque in praedam Hispanorum devenirent, ut eadem in communi aerario servanda traderentur, promittentes quod cuncta inviolate suo tempore redderent. Litteras igitur millies, ut ita dicam, signatas dabant, juramento confirmabant, sed perfidis nulla fides erat adhibenda.

Praelati alii, qui erant cordatiores, videntes quorsum ejusmodi vergerent consilia, sibi tempestive providerunt. Solus autem noster, quod deplorandum est, etiamsi a pluribus ipsi id ipsum esset consultum, qui haec futura minime ignorabant, perfidis hujusmodi nebulonibus credidit.

Quid agis, o reverende pater, qui in priori illa devastatione ac depilatione tam fuisti providus ac in omnibus prospectus? Nescis quod agnam lupo devorandam tradas, ac gregem tuum leonum faucibus absumendum objicias? Quis sic oculos tuos fascinavit? Quis sic te, audeo dicere, dementavit, ut regis tui rebellibus bona tua omnemque Christi et ecclesiae suppellectilem Christi inimicis, quasi in depositum tradas? Si quid recte candideque servatum volebas, num sanis acquiescere debuisses proborum consiliis, quibus omnia insanorum ac factiosorum consilia nota satis erant atque perspecta? Quid dicam? saniori relicto consilio, nebulonibus fidem adhibet. Omnia igitur aurea argenteaque vasa templi ipsis tradita, sacrae vestes, aliaque omnia templi ornamenta, quae multa erant et pretiosa, Gandavum asportata ac in scriniis curiae civitatis cum inventario bene munito, ut putabatur, fideliter collocata.

Inter pretiosiora abbatiae ornamenta fuere tres thecae sive feretra, in quibus patronorum loci reliquiae asservabantur, ac imprimis in quo sancti martyris Gerulphi erant reconditae; argentea celatura in integrum erat coopertum. Feretra vero sancti Basini ac sanctae Aldegundis, ejusdem filiae, lignea quidem erant, miro tamen opere ac arte fusae erant desuper sanctorum aliquot imagines. Omnia igitur ablata (et quod maxime dolendum ac omni seculo deflendum), cum inclusis sanctorum reliquiis. Solum autem sancti Gerulphi craneum his inclusum non erat, sed argenteae alteri thecae, ad instar plane ejus, quam modo e cuprea habemus materia. Prior igitur Judocus *Sterck*, vir religiosus ac pro sancto martyre zelosus, accepto craneo, ipsum in veteri illa, quae adhuc apud nos est theca collocavit, ac in aedibus magistri Livini *Nemegheer* Gandavi abscondit. Postmodum tamen, ex rumoribus sparsis, metuens ne forte in manus grassatorum deveniret, tutiori abscondere voluit

loco, atque illinc sublatum in horto viduae Elisabethae *Jansens* fodit, prope sanctum Bavonem, in vico qui dicitur de *Quaetdam*, ac inde, urbe reconciliata, denuo cum reverentia ad nos est relatum, idemque adhuc est holosericum, quo hodie adhuc craneum est involutum. Mirabilis Deus in sanctis suis, quod nec theca, quae ex levi est materia (est enim adhuc eadem, nisi pedaneum ei coaptarint), nec holosericum humore sit putrefactum.

Mitram, anno MDXL factam, cum quatuor capitellis pluvialium seu capparum sericarum, quorum unum exprimit nativitatis Dominicae figuram sive imaginem, et est illud majus, alterum resurrectionis, tertium Lazari, quartum Moysis ante rubum, sartor noster, qui tamen haeresim olebat, abstulerat; fideliter tamen postmodum restituit.

Ut autem cuncta manus haereticorum abstulerat, ipso divi Aegidii festo, fratres omnes monasterio expellunt, et quidquid reliquum inventum est, nebulonibus cessit, fratribus interim hinc inde per Belgium vagantibus, ac sedem tutam quaerentibus. Hac igitur tempestate, cum Brugis, ut dicebatur, omnibus indifferenter in qua vellet religione vivere permitteretur, eo se recipiunt F. Aegidius *Christiaens*, F. Gerulphus *Borluut*, F. Franciscus *Vanden Bosch* et F. Franciscus *Schauteet*; sed quam optabant requiem ibidem non invenere<sup>1</sup>. Quarta enim post die, omnes sacerdotes urbe sunt interdicti, omnesque ecclesiastici redditus per Flandriam sunt annotati, omnesque praeterea sacerdotes per portam Smediam (unam enim omnes egredi jubebantur portam) egressi sunt; sed nebulonibus eos extra portam exspectantibus, iisdem pallium, galerum detraxerunt ac omni peculio spoliarunt. Sicque Gandavum reversi sunt et paulo post per varias Belgii plagas sese diffuderunt; plures Tornacum se receperunt, F. Dionysius *Sturtewaeghen* Middelburgum Zelandiae, F. Aegidius *Christiaens* Parisios, ubi aliquandiu haesit, Michael Ghierius ad monasterium sancti Judoci in nemore se contulit, vulgo Dommartini, ubi, quandoquidem sacrae theologiae esset baccalaureus, ad lectoris officium assumptus est, ac, post abbatis obitum, in abbatialem ibidem successit dignitatem.

Monasteria ubique per Belgium destruebantur: a diversis diversa empta sunt, sed cum nihil destruerent, mandatum est ut cuncta vel destruerent vel de novo omnia venderentur<sup>2</sup>. Omnia igitur aedificia prostrata terraeque

<sup>1</sup> Haec facta fuere anno MDLXXVIII, in initio Quadragesimae. N. C.

<sup>2</sup> Vide annum MDLXXIX.

fere aequata ac funditus eversa. Praelatus vero pro suo monasterio sollicitus, ut integrum conservare posset, subornavit dominum temporalem Trunchi- niensem, ut id ipse in commodum quasi proprium ac habitationem a rebel- libus sibi coëmeret; sed instigante forte Diabolo, qui dolum suboleverat, nullis rationibus eos eo adducere potuit aut pretio, sed diversis diversa ven- diderunt loca ac officinas, ea tamen conditione, ut easdem funditus everte- rent; eoque in opere maximam navarunt operam, ut vera Diaboli membra, non pretio justo sed furto sibi comparantes, quidquid auferre potuerunt abstulerunt, sicut patet ex flandrigo illo rhythmo istius temporis, quem quis pro valedictione Imbysii, antequam illi caput, proscinderetur, effinxit, ubi et his (inter caeteros plures ejusdem aut deterioris farinae viros) valedicit :

*Adieu, Michaël Dolens, die in uwe oude daghen  
Naer u behaeghen Droenghen clooster vercoghte  
Met Jan de Vosch, men moght hen wel vraghen  
Naer tin, loot, metael, dat sy van buyten brochten  
Daer toe van my ghecomiteert : want sy t' versochten.  
Meer om hun eyghen bate, dan om 't lants verstercken.*

Religiosis junioribus annue concedebant haeretici Gandavi permanentibus, 32<sup>r</sup> 13 s. gr.; senioribus 50 gr., quare conqueritur F. Aegidius Van Haute et libellum supplicem iisdem offert, pro portione seniorum obtinenda, erat enim vir senex.

MDLXXVIII. Ipsa Pentecostes, die decima octava Maii, fuere ex urbe Gandensi emissi fratres quatuor ordinum mendicantium per eos qui fuere de religione reformata, eorumque monasteria direpta, ecclesiaeque prostratae ineffabili Geusiorum furia, qui quindecim post dies, scilicet prima die Junii coeperunt in iisdem monasteriis concionari haeretice; et mense Augusto inse- quente, iidem, qui de religione erant reformata, inceperunt et spoliari et destruere quoque omnes urbis parochiales ecclesias, et ipsa sancti Bartho- lomaei, quae erat vicesimo quarto mensis, non contenti spoliis ecclesiarum intra urbem, sed et omnes etiam extra urbem templa, monasteria, sacella, etc., everterunt bonisque omnibus exuerunt.

Nebulones Calvinistae, vicesimo primo scilicet mensis Augusti, quae tunc in orbe hebdomadae feria erat quinta, Nivellam despolarunt, imagines cru- cesque everterunt, altaria exciderunt, sacram venerabilis sacramenti aedi-

culam diruerunt. Pastor tunc temporis ibidem erat F. Gerulphus *Borluut* et magister Bussardus *Stoppelaere*. — Vicesimo primo Februarii, obiit F. Lucas *Fransman*, sacellanus Nivellanus. Consul Nivellanus Maurus *De Ruyck*.

*Een steenhuys rontom bewalt staende neffens de kercke op hondert roeden landts.*

Novissimus pastor in Pauli *poldere* D. Aegidius *Christiaens*, et in *Heynsdyck* F. *Vanden Bossche*.

Domus lapidea rontom bewalt met een schuer, en stallen te weeten 't ueerhof groot een ghemet, MDLXXVIII; decimo tertio Julii.

Totalis *Tusschenbeke* destructio.

MDLXXIX. Vicesimo secundo Maii, vendita fuere omnia domicilia, stabula ac mori omnes Trunchiniensis monasterii, et quidem hac iniqua conditione, ut omnes muros demolirentur, spatio quatuor dierum, aedificia autem ac domos spatio trium septimanarum, vel ad summum unius mensis, sub poena quod omnia, post effluxum tempus conditionatum, materialia relicta praeda cedent. Omnia autem hic recensere nimis longum foret, quare, brevitatis causa, omittam vendita per Michaëlem *Dolens*, decimum scabinum primi scamni, et Balduinum *Matthaei*, nonum scabinum secundi scamni, .... *confreer van wegghen schepenen van gedeele, en van weghe van de edele en notabele Jan Vander Vennen, en Jan De Vos, en secretaris Blomme, Rogier Van Hulle.*

\* Elocata omnia monasterii bona, paucis exceptis, tempore haereticorum per Michaëlem *Dolens* et Balduinum *Matthaei*, scabinos Gandenses, et Johannem *Vander Venne*, Rogerum *Van Hulle*, et Johannem *Vos*, deputatos per nobiles et notabiles urbis Gandavensis, tertia Junii MDLXXIX, et valor sive pretium ascendit ad 466 lib., 11 s., 9 et 13 par., duos saccos tritici, 16 lapides et quatuor *ponden* butyri, 300 ova, 17 capones, 6 pullos gallinaceos, 8 halteros siliginis, 16 *mudde aevne*. Et magisterii Nivellensis bona ad 72 lib., 19, 6, 3 et 22 halteros *ende een meucken aevne, ende 10 halteros, 4 achte-tinghen en half, een derde achstelings coorens*; et magister, inquit, habebat insigne praedium, *een hof*, vocatum *het hof ter Muyncken betemmert met een steenen huys*, duobus horreis, stabulis, *verkens kot*, et columbario supra portam *bewalt* et plantatum quadraginta arboribus fructuum et magna populo arbore, et conduxerat a praelato pro sexennio decimam dictam de *Kerre-brouck* et primus annus solutionis erat MDLXXIV; item duo bonaria terrae sita in *Meyghem*.

Quarto Martii, Duaci diem clausit F. Franciscus *Leenheere*, vir omni vita laudabilis, vir litteris insignis ac in sacris ad populum concionibus eminent, pastor Trunchiniensis, situsque est Duaci in septo, sive ambitu, patrum praedicatorum. Acerrimus fidei catholicae propugnator fuerat, pessimeque eum oderant Calvinistae ob ejus dicendi carpendique licentiam, quare unice ejus personam perditam quaerebant. Ipse vero secreto certior factus maximum sibi parari malum, clanculum sese subduxit, ac ad generalem nostri ordinis, quocum Parisiis aliquando studuerat, se recepit, et cum ipse penuria laboraret, nummulo saltem animum ejus nonnihil recreavit, eoque valedicto Duacum venit, ubi apud R.R. P.P. praedicatores reliquum exegit aetatis. Hac autem dicendi libertate adeo in se animos haereticorum concitavit, ut de morte ejus tractarent inter se; ubi autem verus pastor insidias eorum suboluit, clam se subduxit.

Constituitur ab haereticis receptor bonorum nostrorum Aegidius *Baes*, qui, decimo Julii ejusdem desuper (anni), fidelitatis praestitit juramentum.

MDLXXX. Die sexta Octobris, moritur F. Aegidius *Haute*, cellarius, jacetque sepultus in sancto Salvatore, parochia Gandensi.

Vicesimo nono Januarii, venditum sacellum Deiparae, dictum de *Hulsterloo*, et quidem ea conditione, ut demolirentur; quare multas sparsim partes vendidere. Id autem sacellum imprimis habebat chorum divae Virginis sacrum, ac in summo altari sculpturam illam miraculosam divae Virginis<sup>1</sup>;

<sup>1</sup> Sancta Maria, quae visitur in *Hulsterloo*, antea venerata fuit in monasterio Tervanae, sive Morini, ubi situata erat in quodam sacello, in quo religiosus quidam Morinensis, filius cujusdam domini Angiensis, multis annis eandem visitare solitus fuerat, et factus est episcopus. Qui episcopus factus Morinorum \* eam visitare neglexit, ac ea ibidem amplius locari noluit, ac post in festo Pentecostes, visa est stare super murum templi, ad orientem versa. Tum duae albae ab oriente cum thure eo advolaverunt columbae, ita ut omnes putarent urbem igne plenam a thure illo. Tum denuo in pristinum relata est sacellum, et altera luce, denuo visa

\* Vixit Gerardus, episcopus Morinorum, MLXXXIX. MEYERUS. N. C.

est eundem super murum. Tum publico per tibicinem edicto mandatum, quod eadem circumferretur, et quod omnis quindecim annos natus et supra in lineis et nudis pedibus incederet et jejunaret, ad Dei et ejus parentis honorem, precarenturque intentissime, ut Deus signo aliquo demonstrare vellet, ubinam locorum esse vellet. Tum caecus quidam presbyter rogavit, ut eum adducere vellent ad locum, ubi beata Virgo erat. Quo ubi advenerat, obsecrat ut manum suam ejus faciei applicari velint; cui dum applicasset, accepit sudarium et ad imaginem alinivit, et post eo oculos linivit et coepit videre. Quod primum miraculum fuit, quod per eam observatum est fieri imaginem. Tum venit ille presbyter qui visum receperat, et accepta sta-

habebat et sacella lateralibus exstantia ab utraque parte, altare unum D. Livini, aliud ignoro, et navim ecclesiae; eratque ecclesia per modum crucis; habebat et turrim ac coemeterium. Omnia materialia vendita 33<sup>o</sup> 17 s.: propriis autem expensis debebant destruere.

Item vicesimo nono et trigesimo Januarii, vendidit arbores ad monasterium spectantes in diversis ibidem locis, 227<sup>o</sup> 8 s., cum tamen in pretio ligna non essent eo tempore. Venditores fuere Reynerus *De Pestere* et Johannes *Van Loo*, scabini, *Vander Keure* et *Livinus Dherde*, decanus textorum, ut commissarii ad hoc deputati: iidem fuere qui vendiderunt sacellum Deiparae.

Durante adhuc tam turbulento reipublicae statu, ac apud Gandanos haeresi principatum tenente, plures e candida nostra familia viri vere apostolici, saevitiam luporum minime timentes, pro Dei honore ac animarum fidelium salute, mille sese periculis in dies objecerunt, indefessam operam impendent, ut iis qui verae ac orthodoxae fidei profitebantur religionem, necessaria administrarent sacramenta. Non minimam inter caeteros tulit laudem Dom. Johannes Clerici qui, cum hoc anno diversa obiret loca ac domos, superstitionem, imo diabolicam hanc offendit machinationem. Domus erat non longe a Biloca distans: huc plures utriusque convenerant sexus; in medio cubiculi pendebat e muro speculum, in quod oculos conjicientes sacris adstantem alta-

tua, eam Cortracum asportavit, et episcopus cum omni populo, semper insequens duas praedictas columbas quocumque volarent, ac semper pene secutae usque ad illum locum, ubi beata Virgo quiescere volebat, Cortraco venire ad vallem viridem in *Groenedaele*, et abbatissa (sacerdos maxima) sive antistita loci eam asportavit ad S. Petrum juxta Gandavum, et illinc ad S. Bavonem; et praedictae columbae semper ante volabant. Et istinc translata ad *Baudeloo*, illinc *' Saleghem*, et Flandriae comes tum degebat in *Baudeloo* et *ter Cluse*, et dum venissent in *Saleghem*, semper ulterius volabant. Ibi aderat comes cum omni comitatu, et tantus ibidem erat populi confluxus, ut pro tanta hominum multitudine commeatus non suppeteret eis ad vescendum, ita quod de urbe ad urbem mittere deberent pro cibo et potu acquirendo; sed, paucis invento,

famem grandem passi sunt. Ibi comes mandavit curari quod omnes, qui quindecim et supra essent annos nati, comitarentur D. Virginem in lineis et nudis pedibus, quousque columbae cum thure volarent. Tum volarunt in solitudinem ad arborem, ubi unguibus defricabant et ibidem nidificabant, in eodem loco ubi adhuc beata Virgo *Hulsterloana* est posita. Tum mansit ibidem eremita, qui visum receperat, multis diebus; quinquaginta annis ibidem stetit, antequam monasterium fieret, ac plures ibidem habitavere successive eremita, cultum beatae Virginis exhibentes.

Haec F. Johannes *Meensens*, qui postremus fuit magister in *Hulsterloo* ante Belgicos tumultus\*.

\* \* Vide ad annum MCXXXVI diploma Theodorici, Flandriae comitis, ubi habetur fundatio sacelli de *Hulsterloo*.

ribus cernebant, divinaque celebrantem; post haec eundem quasi e cathedra verbum Dei detonantem ac prophetias dictantem audiebant. Quae dum peragerentur, ante speculum puella virgo cereum ardentem et consecratum tenebat. Instabat multis hic bonus pater, ut eos ab hujusmodi illusionem diabolica ad saniolem reduceret mentem; sed cum impeditioris esset linguae parumque se proficere videret, negotium priori, qui et tum Gandavi degerebat, aperuit. Qui episcopos Brugensem ac Yprensem, tum Gandavi captivos, adiit, ipsique, matura prius habita deliberatione, consulere ut ipse eadem perlustraret loca, et auritus et oculatus ea de re testimonium ipsis referret. Ipso igitur introeunte, Dominica die (mirabile), illico omnis illa diaboli machinatio evanuit.

D. Franciscus *Vanden Bossche* spoliatus ab haereticis Alostum petit, ibique, quandoquidem partibus regiis, in summa veniens inopia, cum nihil a nostris Gandavi degentibus acquireret, libellum supplicem offert dominis de consilio Duaci degentibus, a quibus impetrat receptionem omnium bonorum in terra Alostensi, modo.... obtineat.... omnium accuratum quoque computum reddet. Actum Duaci, secundo Augusti, anno MDLXXX. Alibi reperi eum impetrasse decimo Decembris, puto tum a regia maiestate.

MDLXXXI. Praelatus obtulit libellum supplicem quatuor ordinibus Flandriae, ut liber ei accessus foret in *Moerbeke* et aliis, quod eidem permittitur trigesimo Maii: subsignatum *Heylinck*.

Detenti captique fuere e nostra familia imprimis ipse D. *Christiaens*, Dom. Clerici, etc.; tandem autem custodia dimissi, etc.

Septennium et eo amplius haec tenuit seditio.

Pudet me atque miseret infinitorum malorum, quorum tamen pars mihi memoranda est, nisi mendax historicus haberi velim: recense delicta.

MDLXXXII. *Ontfaen by my H. Franchois Vanden Bossche, religieus ende administrateur van den clooster goedinghe van Droenghen, van Jan Stockaert te somme van 9<sup>e</sup> gr. ten diverschen stonden in graene ende ghelde betaelt, etc., desen derden Februarii MDLXXXII.*

R. D. dedit 16<sup>e</sup> 13 s. 4 d. gr. pro redemptione F. Francisci *Vanden Bosche*, Alosti captivi, primo Maii.

Eodem anno, quinto calendas Augusti, a Gregorio XIII, pontifice maximo, in sanctorum relatus est catalogum sanctissimus pater noster Norbertus.

Vicesimo sexto Maii, Johannes *Cockuut* ballivus, Dionysius *Clautier*, Aman-

us, Georgius *De Rycke*, Johannes *Van Meere*, Gerulphus ab *Ooteghem*, Franciscus *Van Heyen*, Petrus *Cokuut*, filius Johannis, scabini Trunchinienses. Magister Nicasius *Vander Schueren*, magister verbi aut ecclesiae. Sic secundo (reperi scriptum) fuere et anno MDLXXXIV, Martii tertio. Unde haec ad verbum exstant memoria.

*Michaël Ghiers*, canonicus Trunchiniensis, elatus in abbatem sancti Judoci in nemore, anno MDLXXXII, mense Julio, obiit anno MDCIV, Februarii decimo quinto.

MDLXXXIII. De D. Judoco *Sterck* sic habebat D. Johannes *Clercq* in breviario scriptum : « Mensis Novembris vicesimo, obiit F. Judocus *Sterck*, prior noster Trunchiniensis, ac scriptor librorum insignis, qui exemplo bonae vitae nobis et civitati Gandensi multum profuit. » Composuit eidem quoque epitaphium flandrico rhythmico, etc. Religione et pietate imprimis venerandum, longiori vita ob multas excellentes animi dotes dignissimum, priorem lues exstinxit (peste enim obiit in aedibus Livini *Nemegheer*, funeratusque est in sancto Michaële ante suggestum).

Vicesimo tertio Junii, recipit potestatem recipiendi omnes proventus bonorum nostrorum a regia majestate D. Franciscus *De Moor*, quandoquidem D. Franciscus *Vanden Bossche*, Tornaco veniens ut in eo munus suum adimpleret, captus a praedonibus, Alostum abductus erat ante quinque circiter menses.

MDLXXXIV. Furtim sese subducere decreverat D. praelatus ab urbe Gandensi, ut Parmensi sese reconciliaret, novis ad hoc secularibus confectis vestibus, sed morte praeventus est. Et revera tanti in eo erant spiritus ut, si fata fuissent, novum brevi monasterium erexisset, cui si vita paulo longior contigisset.

Ea tempestate, tanta calamitas totius erat Flandriae, ut nihil nisi crudelis ubique grassatio, caedes, rapinae, vincula, carceres.

Decimo nono Aprilis, ut puto, quae Dominica erat, omnes catholici Gandavi in maximo erant vitae discrimine; sed super omnia benedictus Deus, cujus singulari providentia ab interitu liberati sumus! Scripsit haec frater Gerulphus *Borluut*.

Sexto Maii, inter undecimam et duodecimam horam noctis, urbe nondum reconciliata, Gandavi fatalem obiit diem R. D. Livinus *Baers* aetatis suae quinquagesimo quinto, hacque, dum viveret, utebatur divisione vive



UT VIVAS, elatusque est in sacram D. archangeli Michaëlis aedem; postquam ecclesiam rexisset quinque et viginti annis, et quidem laudabiliter, ait *Schauteet*. In tam turbulento rerum Belgicarum statu, placide in Christo obdormivit.

F. *De Moor reysende in Wasiam om te bediene syne ontfanck van syne majesteyt daer toe ghecommitteert wort ghevanghen, en te Sluus gheleydt den achtsten Junii MDLXXXIV, ende verlost ipso Francisci, quarto Octobris, praelatus dabat et aliis expensis 150 flor. et 7 s: hebbende hem belast tot 6<sup>r</sup> t' siaers, redemit successor censum.*

Prima die Junii, convenere Tornaci sex religiosi *Sturteewaghen, Borluut, Bosche, Mensens, Fransman, Schauteet*.

Decimo quarto Octobris, relicto Tornaco, Gandavum petere coeperunt religiosi cum praelato, sed Aldenardae, ob viarum pericula, per octiduum substituerunt.

Mense Augusto, cum spirituales omnes personae urbe ejicerentur Gandensi et exules ac extorres fierent ob fidem romanam, nostrates dicto ac mandatis Calvinistarum non obaudientes, in urbe manserunt; quare apud plures male audire ac passim de eis conqueri coeperunt, ac velut regi catholico infideles disseminabant, quibus dominus Gerulphus *Borluut* in hunc fere modum rescripsit: « Querelas vestras non sine maximo cordis nostri angore perce-  
» pimus, quibus nos calumniamini, quod in urbe regi infida, rebeli ac  
» haeresi infecta degamus. Certe immerito nos arguitis, imo de bono opere  
» nos lapidatis. Incusandi enim sunt illi, qui periculosissimis temporibus,  
» cum summo etiam vitae discrimine, fidelissime in iis, quae animae salutem  
» concernunt, catholicis assistunt. Certe si hujusmodi spirituales functiones  
» ad sinceritatem judicii revocentur, fateamur, necesse est plurimum illis  
» deberi; omni enim honore digni sunt, qui etiam mori parati sunt pro or-  
» thodoxae religionis defensione. Videmini pro Christo zelare, sed talis zelus  
» inimicus est Christo. Gandavi plurima piorum adhuc degit plebecula, maxi-  
» maque et regi et fidei romanae fidorum multitudo. Quare illi luporum  
» faucibus relinquerentur? Paulus ad Philippenses, II Capit., loquens de quo-  
» dam Epaphrodito, qui erat ipsi cooperatore in ministerio verbi divini, dicit:  
» *Excipite illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habe-*  
» *tote, quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens ani-*  
» *mam suam, etc.* Et nos animas nostras tradimus et mortificamur tota die,

» aestimati sicut oves occisionis, continuam mortis imaginem prae oculis habentes. Speramus igitur quod nec nostro defraudabimur honore ac praemio. Magnus est titulus virtutis inter pravos bene vivere. Imo cum aliquis » probro uni daretur, quod inter malos versaretur : *At medici*, aiebat, *inter aegrotos versantur, nec tamen febricitant*. Et testante Scriptura, *talium sunt bona stabilita in Domino, qui, cum potuerunt transgredi, tamen non sunt transgressi, et facere mala et non fecerunt*. Bene valete. »

Decimo septimo Septembris, publicata pax Gandensis. Ita *Groenenb.*

Post obitum R. D. Livini *Baers*, constituta dies decima Junii, causa electionis futuri abbatis. Convenerunt omnes, qui commode potuerunt, Tornaci, atque coram commissariis a sua majestate impetratis atque deputatis, viris illustribus, R. D. Lamberto *Hubert*, abbate divi Petri in Blandinio juxta Gandavum, ac generoso juris utriusque doctore, regiaeque majestatis magni consilii consiliario, Johanne *Vander Burcht*, in monasterio fratrum Cruciferorum, ubi pro tempore abbas divi Petri habitabat.

Expensae in electione factae : D. *Vander Burcht* dati 6 duplices ducati in specie tot 8<sup>o</sup> 8 s. ; servis in domo Crucigerorum 15 s. ; convivium Dominica sequenti habitum constabat 13<sup>o</sup> 8 s. ; *den hofmeester van S. Pieters voor synen dienst, voor een hoet* 11 s. ; secretario ejusdem, eo quod fuisset notarius et scriba in colligendis suffragiis 33 s. ; item aliis servis in genere, qui inservierant, eo quod proprios non haberent, 15 s. ; sex religiosis Tornaci tunc existentibus, cum actum obedientiae praestarent, dedit coronam auream valentem 12 solidos, sicut et sex caeteris ubi domum reversus est. Item pro levatione litterarum a supremo *husier* et sigillario praesidis, simul 1<sup>o</sup> 6 s. 8 d. gr.

Et electione facta denominatus fuit duodecimo Julii in abbatem D. Franciscus *Scauthet*; per Parmensem apud *Bevere* datum placetum; et decimo tertio Septembris, confirmationem patris abbatis, et installatus decimo septimo Septembris, in monasterio sancti Andreae.

Secunda die Augusti, praesentibus viris ecclesiasticis, nobilesque dominis Lamberto praescripto, necnon R. domino Jacobo *Del Rio*, abbate de *Baudeloo*, magni consilii regii praeside *Pamele*; sed *Vander Burcht* aliisque pluribus ad hoc specialiter vocatis in corporalem realemque possessionem loco praenominato missus est, celebrato ibidem honestissimo convivio.

Prius installatus, secundo Augusti, in monasterio Crucigerorum, ubi abbas sancti Petri cum religiosis suis morabatur.

Aetatis suae trigesimo secundo, consecratus in abbatem, Dominica quarta Adventus, vicesimo tertio Decembris, in templo Carmelitarum Gandavi, praesentibus dominis praelatis D. Petri Ninivensis et *Baudeloo*, et hanc sub insigniis habebat divisionem : VITA, SI SCIAS UTI, LONGA.

Vicesimo mensis Septembris, certis conditionibus duci Parmensi Gandenses se dederunt, cujus auctoritate nostratibus in praelatum declaratus est dominus Franciscus *Schauteet*, subtili vir ingenio, et quotquot superstites hactenus incertis sedibus ac locis evagati fuerant, Gandavum confluxere et conventum iterato instituere coepere, sed certe maxima in inopia et indigentia, non enim sedem reppererunt, cui insiderent, non panem, quem ederent. Supererant autem cum R. D. praelato religiosi tredecim. Sub finem autem anni, undecimo Decembris, mors unum e mundo abstulit, fratrem Petrum *Croes*, magistrum in *Hulsterloo*, sepultusque est apud Carmelitas ad plagam meridionalem, ad dextram arae D. Virginis, et solverunt pro sepultura libram flandricam.

In priorem autem elegit sibi dominum Franciscum *De Moor*. Hic praelatus cum honore et providentia pessima tempora et maris inundationes passus est. Reaedificavit horrea, funditus ab haereticis eversa, et domos rusticales, anno MDLXXXIX, Trunchinii sitas; item et tabulam summi altaris, in qua ejus visitur effigies, interior autem tabula erat imago resurrectionis Dominicae.

Juramentum praestitum in manibus R. D. archiepiscopi Mechliniensis, domini Johannis Hauchini, MDLXXXIV, vicesimo tertio Decembris :

Ego F. Franciscus *Schauteet*, ordinis sancti Norberti Praemonstratensis, ordinandus abbas monasterii beatae Mariae Trunchiniensis, Gandavensis dioecesis, promitto coram Deo et sanctis ejus, et hac solempni fratrum congregatione, fidelitatem dignamque subjectionem, obedientiam et reverentiam sanctae sedi apostolicae, sanctissimo domino nostro Gregorio pontifici maximo, aliisque meis superioribus eorumque successoribus canonice intrantibus, secundum regulae nostrae ac sacrorum canonum instituta, et prout recipit inviolabilis auctoritas pontificum romanorum. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei evangelia !

MDLXXXV. F. Gerulphus *Borluut* fuit magister et pastor in *Nevele*, *Vosselaere* et *Landeghem* nomine tenus, quia nondum residebat ob incolarum paucitatem et injurias temporum.

Flandria autem ea in parte ita erat desolata, ut non modo seminari non possent agri, sed, sentibus dumisque crescentibus, sylvarum speciem induerent.

Pridie Omnium Sanctorum, Dom. Livinus *Vander Meulen* primam curam adiit *Sonneghem*ensem, sed nondum resedit.

Vicesimo quarto, vestita est in ordine nostro Maria Roberti *Tornacensis*, in *Beginagio* minori, ibi enim habi tabant nostrae *Intertorrentinae* propter tumultus Belgicos. *Het eerste cleedtsel, onder den prelaet Franciscus, gheschiet by H. Gillis Christiaens, als proost van de selve clooster*, praesente tamen praelato, eratque dies Dominica.

In tantam autem Flandria devastationem devenit, ut, a pago *Somerghe*m usque *Brugas*, mortuis aut profligatis colonis, omnes fere agri et sine cultura et sine populo, a quo coli potuissent, per septennium permanserint, paucis duntaxat portiunculis terrae exceptis. Vidimus vastissimos agros prorsus desertos, incultos, squalidos, et colonos nudatos, dumetis et rubis oppletos, atque plerisque in locis arbores in morem densissimarum sylvarum excrevisse.

MDLXXXVI. F. Jacobus *Verdebaut*, vice-pastor constitutus in *Pauli poldere*, cum per aggeres<sup>1</sup> (*polderos* vocant) semel deambularet una cum religioso ordinis sancti Francisci, aliquot in insidiis latitantes partis adversae, in eos irruentes, captivos *Axellam* abduxerunt, ibique confrater noster in stercorearia positus, tandem, mense Decembri, foetore ac carceris squalore inediaque extinctus finem vitae fecit, relicto ibidem R. D. vicario<sup>2</sup> ad majus martyrium. — In fine hujus anni, obiit F. Jacobus *Verdebaut*, quia, quarto Januarii, anno MDLXXXVII, acceperunt nuntium de ejus morte. Hujus exequiae celebratae tantum fuere decimo quinto Aprilis anni MDLXXXVII.

Tanta fames non fuit ab hominum memoria, ut passim plures fame morentur.

Hoc anno, confici curavit (praelatus) horreum; antiquitus fuerat stabulum in quo apparent et ejusdem insignia, *winnende elck terweel 28 stuyvers daeghs*, et constitit illi in universum 89<sup>o</sup> ll s. 4 d. gr. 5 par.

MDLXXXVII. Habitabant moniales nostrae in *Beginagio* minori.

Theodoricus *Sammelius*, pastor et decanus christianitatis *Alostensis*, commisit deservituram ecclesiae de *Cherscamp* domino *Johanni Rotae*, pastori

<sup>1</sup> Assertas ex mari terras *poldros* gentiliter appellamus. MEYERUS, fol. 124 verso. N. C.

<sup>2</sup> Vicarius Francisci *Hulstensis* fuit vir admodum litteratus. N. C.

parochialis ecclesiae Bellae Scaldae, operam suam ad eam offerenti usque ad ipsius seu illustrissimi archiepiscopi Mechliniensis revocationem.

R. D. contulit obliquam in Beginagio majori fenestram, in latere venerabilis sacramenti, bene valentem 16 libras.

MDLXXXVIII. D. Gerulphus *Borluut*, post undecim annos, tandem Nivellam incolere coepit, ut magister et pastor, cum parochiis *Vosselaere* et *Landeghem*.

Vicesimo sexto Januarii, R. D. Lindanus, designatus Gandensium episcopus, pransus est apud nos cum abbatibus sancti Petri et *Baudeloo* et aliis magnatibus.

Decimo nono Februarii, invitatus praelatus cum aliis praelatis a reverendissimo ad Minoritas *ten gheldt feeste ghegheven in de schale een pond*.

Nono Julii, venit ad nos sollicitatum, ut nobis conviveret D. Judocus *Minne*, religiosus Middelburgensis.

Vicesimo secundo Julii, *Castillion*.

Vicesimo octavo Julii, introductus processionaliter, veniendo a divite leprosorio, prope portam Brugensem, R. D. Lindanus, episcopus Ruremundensis, in possessionem sedis episcopalis Gandensis, et praelati ibant aperto capite sine mitra ad praedictum locum, sed revertentes cum mitra cooperti, cum reverendissimum reducerent.

Decimo octavo Augusti, recreationis ergo praelatus a reverendissimo ductus in Loo Christi *op zyn goedt*.

Decimo octavo Septembris, Dominica die, habita supplicatio generalis in gratiarum actionem, pro reductione civitatis: adfuit praelatus.

MDLXXXIX. Vivebant moniales nostrae Alosti.

D. Judocus *Minne* convivebat nostris, quia ipsi ab haereticis erant pulsii.

Quindecim omnino tantum erant, eo tempore, religiosi cum pastoribus.

Magister Raphael, pictor regiae majestatis, cum saepe in initio anni apud nos cum sua familia (ad majores monasterii sumptus) hic hospitatus fuisset, in grati animi tesseram, depinxit tabellam summi altaris gratis, et repraesentat resurrectionem Dominicam et in *de scutsels* visitur figura praelati nostri Francisci, aestimata sola pictura a pictoribus Antwerpianis 33<sup>o</sup>, 1 s., 4. gr.

*Ghemaect het melckhuys, t'welck ghecost heeft tot heden 28 Septemb. sonder het careel, dat meest van de ruynen quam van 't clooster in universum 33<sup>o</sup>, 13 s., 1 gr.*

MDXC. Proventus conventus et infirmitorii hujus anni 35<sup>6</sup>, 18 s. 9 gr. 3 d. par.

Quarto Februarii, superior generalis.

Magnam instantiam fecit pro emenda aula principis Gandensis, hoc anno, praelatus.

Duodecim sorores adhuc erant Alosti.

MDXCII. Octavo calendas Octobris, F. Franciscus *Vanden Bosche*, pastor in Pauli *poldere* et *Heynsdick*, ab haereticis non procul a portu Gandensi (vulgo *'t Sas*) interceptus, captivus Dordracum ductus, ibique carceribus mancipatus est; brevi tamen post tempore, litro persoluto, libertati restitutus est. Ibidem tamen, cum maximo vitae discrimine, abbatis sui assensu impetrato, remansit ad instantiam decani sive superintendentis (qui e patribus erat societatis Jesu). Qui eo in districtu curam habuit sacerdotum, qui Christi fidelibus panem vitae ac salutis poculum administrarent, et ut aliquo tempore hoc spirituali in opere indefessus desudavit, plenus dierum obdormivit in Domino, ibidemque publico conditus est in coemeterio, plurimis e Christi familia ejus mortuum corpus ad locum sepulcri deducentibus.

Fuere Gandavi sorores nostrae.

MDXCIII. In decimo octavo Martii, citatur R. D. ut cum caeteris statibus Flandriae Brugis compareat. Sic scriptum per dominos de consilio Ypris.

Octavo mensis Decembris, venit ad monasterium nostrum, visitationis et reformationis ergo, R. D. Lucius, abbas Bonae Spei, R. generalis nostri per Flandriam vicarius, cum R. D. Adriano *Wasteels*, abbate Ninivensi, qui, decimo octavo, relictum suum capitulariter publicarunt, depositoque Rev. D. Francisco *De Moor* priore ac ad monasterium castelli Mauritaniae, ablegato, ad prioratus provexerunt officium D. Dionysium *Sturtewaghen*, et propter senium a supprioratus officio liberato F. Johanne *Meensens*, ad ipsum promotus est F. Aegidius *Christiaens*, et cellarius eadem in visitatione declaratus est F. Antonius *Oste*.

MDXCIV. Prior D. Dionysius *Sturtewaghen* simul et pastor fuit Trunchiniensis.

F. Laurentius *Goethals* hoc anno factus pastor in *Nasareth*.

MDXCVI. Mense Decembri, R. D. Michaël Ghierius, abbas Dommartini, aliquando monasterii nostri canonicus, monasterio suo cum sibi subditis religiosus pulsus, misit duos e religiosis suis F. Franciscum *Lefebure* sacerdotem

ac fratrem Petrum *Le Polle* ad praelatum nostrum, rogans ut eosdem, durante bellorum tumultu, suscipere non gravaretur, ut suis conviverent, quos absens commendabat et praesens, decimo quarto Decembris, utpote pulsus monasterio.

Quinto Februarii, renovatus magistratus Donsanus. Commissarii deputati, praelatus noster cum domino toparcha in *Ruddershove*, cum domino *Meyne*. Renovatusque est in aula nostra, et decimo sexto Martii, coram iisdem computum suum fecerunt.

Fuere Gandavi moniales nostrae : patet ex elocatione Gandavi facta, secundo Januarii, in aedibus priorissae, quae fuit invitata apud praelatum decimo Februarii. Et decimo tertio, invitavit praelatum, priorem, suppriorrem et *Borluut* ad edendas gansieras.

*Moor* in Leda pastor et *Serscamp*.

Tertio Martii, dicit R. Gandensis se venturum ad mensam praelati, et reciproce praelatum excepit, quarto mensis.

Septimo Januarii, inexpectatus venit pransum cum praelato reverendissimus et cantor, cum archipresbytero et praeposito Bethuniensi, etc., et iterum, octavo Maii, cum archidiacono, archipresbytero et aliis.... Sic et aliis diebus.

Mense Maio, venit ad nos Dammartinensis praelatus. Vicesimo nono Junii, consecrata ecclesia Carthusianorum ad quam cum reverendissimo invitatus est praelatus noster.

Tertio Julii, cum praelatus esset Trunchinii, venit et ei navigio, princeps Auriacus cum suo comitatu : ante cujus adventum praenominatus praelatus eundem bono haustu vini Rhenensis excepit.

Quinto Julii, erat pastor in *Nazareth* D. Laurentius *Goethals*.

MDXCVII. Trigesimo primo Januarii, fit cellarius F. Petrus, Dommartiniensis religiosus.

Vicesimo tertio Martii, die Dominica, supplicatio generalis in gratiarum actionem *over het innemen van Amiens in Vranckryck*, cui interfuit et praelatus noster.

*Den acht en twintigsten Maerte, hebben de gedeputeerde van de geestelycke possessie ghenomen van sententie, en hebben op het stadthuys als eerste gedeputeerde gepresideert onder de vier leden, Gandenses vero diu multumque restiterant, sed contra eos sententia lata est. Actores principales erant*

dominus Eenhamensis, simul et decanus S. Bavonis et praelatus noster. *Hebben te vooren d'heeren schepenen in hun camer doen saysyren, ende de selve camer met deurwaèrders doen bewaeren tot volcommen van sententie.*

Undecimo Aprilis, venit R. D. Ninivensis, et decimo septimo, exceptit reverendissimum cum praelatis Ninivensi S. Johannis et Eenhamensi, primo scabino et primo pensionario Gandensi et R. Yprensi et aliquot consiliariis pransus, ac tum Hauwegemium, qui erat primus scabinus, ac reverendissimum <sup>1</sup>.

MDXCVIII. Octavo Januarii, fit pastor Donsanus D. Laurentius *Goethals* duravitque ibidem ad annum MDCII. Fuit sex annis ibidem pastor et ex *Nazareth* vocatus, ubi et pastoralis functus erat munere: Ex Donsa Nivellam adiit, et ex ea praeposituram.

Annus erat plane pluviosus, sic quod prata, in fine mensis Junii, adhuc erant inundata et vix sol visus est eo mense, quare missa et preces habitae pridie sancti Johannis Baptistae cum supplicatione in S. Bavone.

Secundo Junii, publicata Gandavi pax inter Francum et Hispanum, et per omnes ecclesiarum pyramides totius urbis pulsatum est, et hymnus *Te Deum* decantatus cum versu *Benedicamus Patrem et Filium*, etc.; et collecta: *Deus cujus misericordiae non est numerus*; et Dominica sequenti, habita supplicatio generalis et excitati per compita ignes triumphales.

MDXCIX. Hoc anno, sorores nostrae Intertorrentinae, relicta urbe Gandensi, antiquas suas incolere coeperunt aedes, vulgo *Tusschenbeken*.

MDCI. Mense Martio, venit ad nos, causa reformationis, R. D. generalis D. F. a Longo Prato cum suo comitatu.

MDCII. F. Aegidius *Christiaens* Trunchiniensis, et vice-pastor in *Droenghen* ac pastor in *Baerle*.

R. D. Franciscus *Scatheet* ob negotia reipublicae de consilio statuum ac quatuor, ut aiunt, membrorum Flandriae, quorum numero et ipse non postremus erat, Furnas sese conferens, ibidem aegrotare coepit, et in dies ingravescente valetudine, haud diu post humanae ibidem naturae debitum persolvit, quarto calendas Martii, ac in ecclesia parochiali, divo sacra Nicolao, conditus est, aetatis suae anno quinquagesimo, praefecturae decimo octavo.

In R. D. Francisci *Scatheet* locum successit R. D. Livinus Molineus <sup>2</sup>; de-

<sup>1</sup> Haec phrasis manca et obscura videtur.

dignitatem proventus. N. C.

<sup>2</sup> Maximo coenobii nostri bono ad abbatis



cimo quinto mensis Julii, placetum accepit principis, et consecratus est a R. Petro Dammantio, episcopo Gandavensi, magna celebritate frequentique magnatum coetu, decimo septimo Septembris, ipsa S. Lamberti, in ecclesia Templariorum, praesentibus illustrissimo D. D. nuntio apostolico, qui archiducem comitatus Gandavum venerat; item RR. DD. praelatis S. Petri, *Baudeloo* et domino Antonio *De Langhe*, praelato Ninoviensi. Installatus autem fuerat a R. D. Ghierio, abbate Dommartinensi, ipsa nativitate beatæ Virginis. Hic easdem quas praedecessor propter temporum iniquitatem, in urbe Gandensi, incolere coactus est aedes; eum tamen locum qui olim refugii domus fuit, variis splendidisque pro capacitate loci exornavit aedificiis. Ecclesiam, refectorium, capitularem locum, aliaque ad commodiorem monasterii usum, dirutis disjectisque inutilibus aliquot vetustioribus domunculis, construxit. Praeterea nova eaque numerosa religionem suam sobole ampliavit. Obiit abbas anno MDCXXV, die septima Januarii, ad medium quintae matutinae; aetatis suae anno septuagesimo tertio, non evoluto regiminis vicesimo secundo, professionis quinquagesimo quinto.

- MDCIII. Vicesimo primo mensis Novembris, ipsa praesentationis beatæ Virginis, quæ erat feria sexta, decessit ex hac vita F. Gerulphus *Borluut*, magister et pastor Nivellanus ac quondam supprior, qui multa sua lectione omnes fere bibliothecae revolvit libros, et cum nunquam academicas triverit scholas, mira tamen dexteritate atque eruditione varios et explicavit et composuit libros, qui omnes Iconoclastarum furore absumpti et igne cremati sunt, paucis ejus lucubrationibus servatis: docuitque suo tempore juventutem, ac tractatum de sacramentis ipsis exposuit. Qui post varios his turbulentis temporibus, tum per haereticos, a quibus gravi captivitate afflictus fuit, tum fidelium animarum lucrandarum causa, superatos labores; post pastoralis curæ diversis locis munia laudabilissime multis annis praestita; obiit, inquam, quarto et quinquagesimo ab assumpto nostro habitu, aetatis vero suae sexagesimo septimo (habitum enim assumpserat tredecimo aetatis anno), sepultusque est in *Vorselaere* ante suggestum.

MDCIV. Decimo quinto calendas Martii, debitum humanae naturae persolvit R. D. Michaël Ghierius, abbas monasterii sancti Judoci in nemore, alias Dammartini, sacrae theologiae baccalaureus, qui e nostra domo ac congregatione ad illam praelaturam evectus fuerat. Obiit, inquam, trigesimo quarto a professione sua anno.

MDCV. Obiit F. Franciscus *De Moor*, praepositus Intertorrentinus, e priore factus praepositus. Divisio ejus erat SANCTITATE ET JUSTITIA<sup>1</sup>. Obiit, inquam, idibus Septembris, aetatis suae anno quinquagesimo quarto.

Vicesimo nono Augusti, visitarunt moniales nostras R. D. noster, cum R. D. Antonio *De Langhe*, praelato Ninoviensi.

MDCVI. D. Antonius *Hoste*, vicesimo tertio Junii, ut deservitor Nivellae et simul parochiarum *Vorselaer* et *Landeghem*.

Pridie calendas Octobris, ad vitae periodum devenit in S. Aegidio, parochia Wasiae, F. Wilhelmus *Fransman*, quondam magister in *Hulsterloo*. Obiit sacellanus S. Aegidio, capellae S. Mariae ibidemque sepultus indutus amictu, alba, manipulo, stola et casula.

Pridie calendas Maias, obiit nobilis dominus Antonius *Vander Schaghen*, receptor noster, qui nobis quinquaginta legavit florenos.

MDCVIII. Erat noster prior Aegidius *Christiaens* (puto) simul a confessionibus monialibus Donsanis sive *Bethleem*, ac etiam monialibus domus sancti Georgii, simul quoque provisor et cellarius, ac postmodum et magister novitorum.

Dominica proxima Ascensui Dominico, decimo octavo Maii, primum decantatae fuere preces horariae in templo recens a fundamentis erecto per R. D. Livinum Molineum Gandavi in domo nostra refugii, eaque ipsa D. supprior Carolus *Van Royen* incruentum Deo patri primum litavit sacrificium, sexta a suscepto ordine hebdomada.

Mensis Julii die vicesima, in feriis sanctae Margaretae virginis et martyris, praefatum templum una cum summo altari ad nomen et memoriam Deiparae Virginis consecratum est per R. D. Petrum Damantium, episcopum Gandavensium, in praesentia R. D. nostri praelati ejusdem templi fundatoris ac horum infra scriptorum religiosorum conventualium: nempe dominorum Aegidii *Christiaens* prioris, Caroli *Van Royen* supprioris, Dionysii *Sturte-waeghen* jubilarii ac pridem prioris, Johannis *De Clercq*, Guilielmi *De Buck* cantoris, Francisci *De Cnuut* succentoris ac magistri novitorum, Apollonii *Vander Vinct* ac fratrum, qui omnes fuere improfessi, Antonii *Vanden Kerckhove*, Judoci *Vanden Heede*, Andreae *Bouchout*, Augustini Morbesii, Norberti Lannuii et Caroli *De Pratere*, qui, pridie sancti martyris Basini, candidum nostrum assumpserat habitum. Et in vigilia nativitatis Domini proxi-

<sup>1</sup> Ne obliviscar VINCE BONO MALUM. N. C.

me sequentis, candidum susceperere habitum fratres Adrianus *Heyndrickæ* et Paulus *Breecpot*.

In hoc templo duodecim obliquae erant vitreae fenestrae, quarum primam, quae erat a tergo tabulae summi altaris, et ultimam, quae erat in fronte templi et caeteris major, dedit R. D. noster cum conventu; reliquas dederunt, hoc ordine, R. Gandavensis Petrus Dammantius, R. Brugensis Carolus Philippus a *Rodoan*, praelati divi Petri et *Baudeloo*, D. praepositus cathedralis ecclesiae, Adrianus *Varens*, et decanus ejusdem D. Petrus *Bernaert*, pater domini *Van Royen*, noster quondam receptor Antonius *Vander Schaghen*, et dominus Oliverius *Meyne*, qui receptor erat Flandriae, et receptor noster Helias.

MDCIX. Mensis Januarii die vicesimo nono, assistentibus et praesentibus cum pronuntiatis superiori anno religiosis fratribus, Adriano *Heyndria* et Paulo *Breecpot*, idem R. D. duo altaria, unum ad honorem sancti Livini martyris, quod est a sinistris ingredientium, alterum vero ad honorem et invocationem sanctorum Gerulphi Basini et Aldegundis virginis, in dicta ecclesia fundata dedicavit et consecravit.

Tertio nonas Maïas, quinto scilicet mensis, quae divae celebris erat Monicae, ex antiquo breviarii illius temporis praescripto, eaque ipsa, qua primum induciae inter Hollandorum status et regem Catholicum apud Gandavos publicarentur, spirituali Deo sese holocaustum fecerunt F. Augustinus Morbesius et F. Norbertus Lannuius, solemnina secundum regulam beatorum Augustini et Norberti institutionem vota emittentes, in cujus memoriam hos feci versiculos :

Trunchinium gradimur, recolunt dum festa Leonis;  
Mensis Aprilis erat undena luce coruscans.  
Vestivit Marcus, strinxit nos Monica voto,  
Anno milleno sexcenteno atque noveno.

Mense Octobri, die septima, cum priores caneremus vespas ad honorem sancti martyris Gerulphi (cujus Adventus diem postridie festum habemus), venit in templum nostrum illustrissimus dominus nuntius apostolicus, qui, post aliquantulam orationem ante summum altare factam, omnibus transiendo benedictionem impertiens abiit, et omnes monasterii officinas visitavit.

MDCX. Undecimo mensis Augusti, excessit e vita F. Guilielmus *De Buck*, pastor aggeris Caballini, vulgo *Heynstdyck*.

D. Apollonius, mensis Junii die vicesima tertia, recepit litteras illustrissimi Matthiae archiepiscopi Mechliniensis, pro cura animarum in parochiis *Sonneghem* et *Letterhauthem*, eratque tum archiepiscopus Ninoviae.

MDCXII. Decimo quinto Julii, venit ad nos, causa reformationis, R. D. Johannes Drusius, abbas Parcensis, potestate accepta a R. D. vicario abbate Floreffensi, qui audito R. D. praelato et religiosis omnibus, re infecta abiit. Rediit autem mense Augusto, adjuncto sibi comite R. D. Philippo *Van Rauberghe*, abbate Grimbergano, et vicesimo tertio ejusdem mensis, relictum nobis satis longum cum reformationis articulis dereliquit, relicto quoque, ad instantiam totius conventus (qui ad unum omnes manu propria id ab eo postulabant), nobis in priore provisorio suo F. Johanne Euselio, cedente domino Aegidio *Christiaens*.

MDCXV. Vicesimo nono mensis Maii, altera Ascensionis Dominicae, decessit prior a R. D. Parcensi nobis praefectus, dominus Johannes Euselius, cui praelatus Parcensis ut filio suo providit de honesto et laudabili pastorate; Parcensis enim erat.

Secunda insequentis proxime mensis die, pro secunda vice ad prioratus officium evectus fuit dominus Aegidius *Christiaens*, cujus divisio fuit : LABORA UT QUIESCAS.

Consecratio R. D. Arsenii Joachimi a *Schayck* per R. D. Franciscum *Vander Burch*, adstantibus R. D. abbatibus de *Baudeloo* et nostro, cui a mitra serviebat dominus prior, et a pedo dominus Norbertus Lannuius, facta, inquam, Suinardae in ecclesia parochiali.

Aedificavit R. D. novam domum juxta culinam veterem a R. D. Petro erectam.

MDCXVI. Excessit e vita F. Livinus *Hebberecht*, pastor in *Vlasloe* prope Dixmudam, professionis suae anno vicesimo sexto, quondam curatus in *Sonneghem*, et sacrae theologiae baccalaureus, quarto mensis Novembris.

Mensis Julii die vicesima sexta, pastoralibus praeficiebatur parochiis *Oostwinckel* et *Ronsel* dioecesis Gandensis F. Norbertus Lannuius.

MDCXVII. Hoc tempore, circa Hulstum multi agri maris illuvione inundati: objectis aggeribus magna ex parte recuperati.

MDCXVIII. Decimo tertio calendis Julias, constitutus est prior per R. D.

pastor Oostwinkelanus F. Norbertus Lannius declaratus per R. D. D. vicarium abbatem Floreffensem, in die visitationis factae, mense Aprili, die quinta, cedente domino Aegidio *Christiaens*.

Ac trigesimo Martii, visitarunt cum praelato nostro Rev. D. Floreffensis, dominus Johannes Roberti, et F. Johannes Odegus, Floreffensis religiosus, ut secretarius, monasterium monialium nostrarum Intertorrentinarum.

MDCXX. Tertio mensis Septembris, obiit Burburgi F. Andreas *Bouchout*, fati sic eum forte trahentibus; cum enim Burburgensis esset, ad instantiam sui avunculi ibidem decani, monasterio evocatus, evoluto primo nondum anno, quo sacellani ibidem functus erat ministerio, diem suum clausit, duodecimo a professione anno.

Decimo Maii, visitarunt moniales nostras dominus praelatus noster cum domino Johanne David, praelato Ninoviensi, etc., et sororem Mariam Roberti Tornacensem, crearunt suppriorissam, cedente ob decrepitam aetatem sorore Gertrude *Van Hemelghem*.

MDCXXII. Quinto calendas Octobris, circa horam quartam pomeridianam, obiit in monasterio nostro nobilis adolescens Fredericus *Borluyt* aetatis suae anno sexagesimo secundo. Vixerat enim caelebs, et a suis celsitudinibus sustentationem apud nos impetrarat, sepultusque est in templo nostro. Hujus avus Flandrici littoris praefectus fuerat. Vide incertam fortunae aleam variamque rerum humanarum vicissitudinem.

Revertitur Nivella dominus Laurentius et succedit dominus Basinus in pastorum. Quod aegrius ferens dominus frater de *Cnuyt*, cum alias sibi providere etiam maximis plurimisque instantiis factis, praelato valedicto, ivit peregrinatum. Quo vero tandem evaserit aut quem habuerit vitae exitum non satis certum habemus.

MDCXXIII. Hoc anno infulatus R. D. Dunensis in monasterio de Nonnenbusco, operante R. D. abbate Camberonensi et adstantibus RR. DD. de *Baudeloo* et nostro.

MDCXXIV. Decimo quarto calendas Februarii, in feriis scilicet sanctorum Marii et Marthae, eratque sexta septimanae feria, cum praeter solitum mugirent tonitrua ac multo coelum fulmine coruscaret, subito inter octavam et nonam diei horam matutinam, turris S. Nicolai in ipsius summitate fulmine icta exarsit, in tantum ut ad longitudinem quadraginta circiter pedum deflagraret, et crux ex ea decidens casu suo gravem in tecto templi ederet ruinam.

Viso igitur incendio, per campanae sonitum (Rolandum vocant) cives turbantur; ad idem restinguendum excitantur. Ad illum vero ita R. D. noster obstupuit, ac in tantum turris deflagrationem apprehendit, ut nunquam posthac idem fuisse visus sit homo, tremore ac horrore semper plenus, ac iudicia Dei praesens ob oculos quasi habens, quae tandem sic eum defatigavit, ut sensibus plane destitueretur.

Quinto Maii, celebratum fuit Floreffiae capitulum provinciale, ad quod e nostratibus ob viarum pericula solus missus fuit D. Jacobus *Goethals*, pastor Trunchinicus.

Decimo sexto Maii, in ipsa Ascensione Dominica, a meridie sub horam secundam, tanta suborta est tempestas, ut grandines instar pilarum palmariarum ad nos coelum ejaculari videretur, unde vitreae omnes fenestrae in templo nostro, quae plagam respiciunt septemtrionalem, quae quinque erant, minutae fuerunt in integrum.

In defunctae dominae Magdalenae *Smaus*, priorissae Intertorrentinae, locum, decimo septimo mensis Julii, suggeritur domina Jacoba *Morgaet* Tene-ramundana, aetatis suae anno trigesimo sexto, praemissa prius canonica electione; cui praefuit ex commissione R. D. praelati nostri R. D. D. Johannes David Ninoviensis, cum fratre Norberto Lannuo, priore Trunchiniensi, ac fratre Aegidio *Christiaens*, ejusdem monasterii provitore. Sorores tum temporis decem tantum erant.

Vicesimo mensis ejusdem, coepta quoque est apud nos electio pro assumendo coadjutore, quandoquidem R. D. noster praelatus sensibus non esset integris ac officio suo satisfacere haudquaquam posset. Commissarii autem deputati fuere ab aula R. D. Ninoviensis ac amplissimus D. D. Marcus *D'Herzoghe*, consilii Flandriae praeses, duravitque decem omnino diebus, et in coadjutorem nobis designatus fuit D. Jacobus *Goethals*, pastor Trunchiniensis, anno aetatis suae quadragesimo quinto. Commissionis autem ejus litterae publicae in capitulo lectae fuere, quarto Septembris, praesentibus R. D. D. praelato Ninoviensi, qui postea obiit anno MDCXXV, die quinta Decembris sub vesperam, amplissimo domino praeside D. Francisco *Ghistelle*, divi Bavonis canonico, Carolo *Schoorman*, causarum per Flandriam auditore, qui... insequentis mensis obiit, et notario (puto) *Kerckvoorde*, qui obiit vicesimo octavo Julii, MDCXXX, a quo litterae lectae fuere. Qui omnes honesto excepti fuere convivio cum dominis priore, suppriori, provitore, cellario nostri

monasterii, ac D. Simone *Praet*, religioso Ninoviensi, ac R. D. sui secretario, qui tertio post mense, nona scilicet Decembris, diem clausit extremum, trigesimo octavo aetatis anno.

MDCXXV. Septimo mensis Januarii, altera videlicet Epiphaniae, ad medium quintae matutinae, R. D. noster e lecto infirmitatis consurgens, dum in phrenesi aquas incautus perlustrat, in easdem incidit, ac statim absorptus suffocatusque obiit, corpusque ejus mox, vehementi aquarum fluxu, ita subito ex oculis nostris raptum est, ut etiamnum hodie, vicesimo septimo mensis Januarii, post omnem possibilem navatam operam, adhuc ejus frustreretur corpusculo. Quis unquam cogitare potuisset aut forte conjicere, quod vir talis, tantusque vir, inquam, tam sanctae laudabilisque conversationis, tam religioni addictus ac pietati, qui nunquam aliud quam pietatem coluit, exercuit ac spiravit; quis, inquam, hoc excogitare ausus fuisset quod tam tristem lugubremque aliquando sortitus fuisset exitum!

Ah! praesul venerande nimis, sublato dolendo  
Interitu! ah! mortis tristia fata tuae!  
Sic miserum sine patre gregem et pastore relinquis!

O diem infaustum! infelicemque diem, diem, inquam, non dignum commemorari inter dies anni, qui nobis tam pium abstulit parentem. *Quis talia fando temperet a lacrymis?.....*

Nullus profecto qui virum probe novit ac vidit. Cui Deus optimus maximus, infinita sua misericordia ac clementia, pro hac temporali infamia, aeterna in coelis concedat perfrui gloria. Amen.

Quis non affirmet modo nihil difficilius in hac vita sciri posse, quam id quod de nobis Dominus statuit, numen pernoscere, certumque sibi cursum promittere?

In lacrymis omnes solvimur: id enim quod res erat, suspicabamur. Re-deunt augenturque lacrymae.

Verum quam inevitabilis summi Dei ordo de rebus humanis pro arbitrato suo disponit, ferendam esse magno animo eam quam nobis imponit necessitatem.

Obiit ergo R. D. D. Livinus Molineus, abbas Trunchiniensis, anno MDCXXV, die septima mensis Januarii, ad medium quintae matutinae, aetatis suae anno septuagesimo tertio nondum evoluto, regiminis autem vicesimo

secundo, mense sexto religionis professae. Utebaturque hac, dum viveret, inscriptione sive divisione <sup>1</sup>: A DOMINO FACTUM. Assumpsit in ordinem ad professionem religiosos tres et viginti. Cui Deus in aeterna quiete concedat vivere!

Sabbato proxime sequenti, undecimo scilicet Januarii, in abbatiali cathedra installatus fuit R. D. coadjutor. Ad horam nonam itum est ad capitulum, in quo praesidet R. D. D. Johannes David, abbas Ninoviensis, potestate accepta a R. D. Laudunensi, et juxta eum amplissimus D. D. Marcus *D'Herzoghe*, consilii Flandriae praeses. Aduere et, praeter religiosos tam forenses quam intraneos, D. Adrianus Varaeus, divi Bavonis praepositus, D. Guilielmus *Arents*, archidiaconus, D. Adrianus *Pelinckx* pastor sancti Nicolai, qui fuit capituli syndicus, D. Felix Martini consiliarius, D. Franciscus *Bossier* advocatus, D. Thomas *Ghyselincx* causidicus, qui fuit notarius capituli, D. Johannes *Van Avere*, Walli toparchus, D. Franciscus *Vander Viveré*, doctor medicinae.

Sedentibus igitur omnibus, primum a notario lectae fuere litterae sive placetum serenissimae Hispaniarum infantis Isabellae Clarae Eugeniae, dein litterae R. D. D. abbatis Laudunensis, patris abbatis nostri. Post aliquantulum a priore petitum fuit, ut ad electionem fratris procedere possent via inspirationis Spiritus Sancti. Quod ut commodius fieret, a priore jussi egredi imprimis excommunicati, suspensi et omnes vocem non habentes. Omnibus religiosiis capitulo dein egressis, processit prior et a singulis petiit, num placeret persona electa? Omnibusque respondentibus quod sic, et capitulum ingressis, prior stans in medio capituli, vice sua et omnium confratrum suorum, nominavit ac elegit D. Jacobum *Goethals*, designatum coadjutorem. Per syndicum igitur petitum, ut omnes quotquot haberent aliquod peremptorium contra personam electam citarentur. Qui semel, iterum et tertio, per notarium fuere citati ac citationis litterae foribus ambitus nostri sunt affixae, et ut nullus comparuit, processit R. D. Ninoviensis ad installationem, cingulumque ei per D. Antonium *Oste* cantorem detractum, et cantando canticum *Te Deum laudamus*, ad templum sese omnes contulerunt, et multis ibidem ceremoniis peractis, in sede praelati, post obedientiam praestitam patri abbati, est collocatus, cum omnes quoque et religiosi obedientiam, reverentiam et assistentiam hoc ordine promiserunt.

<sup>1</sup> In insignibus suis eadem in parma gerens et duo arietum et porcorum capita. N. C.



Nomina autem religiosorum sunt haec :

R. A. D. Norbertus Lannuius, prior;

R. D. Jacobus *De Roucq*, supprior; R. D. Aegidius *Christiaens*, provisor ac jubilarius; R. D. Johannes *De Clercq*, jubilarius; R. D. Laurentius *Goethals*, R. D. praelati nepos in tertio gradu; R. D. Antonius *Oste*, circator et cantor; R. A. D. Apollonius *Vervynck*, pastor in *Sonneghem*; R. D. Carolus *Van Royen*; R. D. Antonius *Kerkchove*, sacrista; R. D. Judocus *Vanden Heede*, succentor; R. A. D. Augustinus *Morbesius*, praepositus Intertorren-  
tinus; R. D. Carolus *de Prater*; R. D. Adrianus *Henderycx*, solatium sacristae; R. D. Paulus *Breecpot*; R. D. Petrus *Manasseer*; R. D. Gerulphus *Vande Winckele*; R. A. D. Johannes *D'Hane*, pastor in *Desseldonck* et *Mendoenck*; R. D. Basinus *Plevier*; R. D. Aegidius *Clays*, cellarius; R. A. D. Franciscus *Lantheere*, pastor Nivellanus; R. D. Norbertus *De Waghenaere*, vice-pastor Nivellanus; R. D. Petrus a Flandria, neomysta; F. Aldegundus *De Bock*, organista; F. Guilielmus *Stroopere* degebat Duaci in studiis, adfuit autem primae electioni; et Augustinus *Merlyn*, assumptus ad habitum suscipiendum.

Dominica secunda post Epiphaniam, quae fuit decima nona mensis Januarii, dum ecclesia canit evangelium *Nuptiae factae sunt*, etc., magna celebritate in abbatem est consecratus R. D. Jacobus *Goethals*, assumptus coadjutor, operante R. D. D. Antonio Triestio, episcopo Gandavensi, assistentibus R. D. abbatibus Ninoviensi et abbate de *Baudeloo*, D. Guilielmo *del Castille*, qui obiit anno MDCXXXVI, die nono Julii. Praeter episcopum et ejusdem assistentes, primores viri adfuere. Invitatus R. D. Dilighemensis ob certa negotia non comparebat. Interfuere autem consecrationi in primis, ex ordine sacerdotali R. D. episcopus Brugensis, Dionysius Christophori, qui pridie forte Gandavum venerat; R. D. Arsenius *Schayk*, abbas divi Petri; D. Adrianus *Varaeus*, praepositus ecclesiae cathedralis, ac ejusdem archidiaconus D. Guilielmus *Arents*; D. Georgius *Chamberlain*, decanus; D. Franciscus *Ghistelle*, diaconus; D. Franciscus *Cotrel*; D. Cornelius *Ooms*, subdiaconus; D. Simon *Kerckhove*, canonici D. Bavonis. Novissimus vero simul fuit et pastor D. Aegidius *Bauters*, pastor in S. Michaële; D. Adrianus *Pelinx*, pastor in S. Nicolai; D. Michael *Sachtmoortele*, pastor in S. Martini in *Ackerghem*; D. Viglius *Breydel*, pastor in S. Salvatoris; e carthusia Gandensi R. D. Jacobus *Dhenys*, prior cum suo procuratore; duo itidem e veneranda societate Jesu cum dominis Johanne Villerio, reverendissimi Gandensis

secretario, ac alio ejus sacellano, ac domino Johanne *Vander Haghen*, canonico S. Pharaïldis, et tandem religioso quodam Dilighemensi, a praelato suo misso, qui excusationis litteras detulit. Ex ordine laicali et imprimis e consilio ipse praeses, amplissimus D. D. Marcus *D'Hertoghe*, D. Franciscus *Bossier junior*, consiliarius ac fiscalis, et Franciscus *Bossier senior*, advocatus, superioris pater. Ex ordine senatorio D. Judocus *Triest*, dominus in *Lovendeghem*, primi subsellii sive curiae consul, comparuit (D. Nicolaus *Triest*, dominus in *Hauweghem*, et D. Philippus *Triest*, dux cohortis cathedractorum equitum, non comparuerunt). D. Philippus *Seclyn*, D. Herpelgemius, scabinus secundarius, aliique tum e nobilitate complures, tum aliis e dignitatibus, D. *De Fyn*, baro de *Jamoye* (ut puto), D. Johannes *Van Avere*, dominus in *Walle*, D. .... dominus in *Lake* et thesaurarius, D. Hermannus *Vander Heyden*, et D. Franciscus *Vander Vivere*, medicinae doctores, aliique circiter duodecim; omnesque, post missarum solemnias ac peractas consecrationis ceremonias, in prandio honesto recepti fuere convivio.

R. D. praelatus pro divisione, ut aiunt, elegit sibi hoc insigne praeloquium: *MEDITARE SAPIENTIAM*. Insignia ejus erant tria virginum capita in campo rubeo. Deus concedat illi in dignitate pro ecclesiae sanctae, ordinis ac omnium nostrum felicitate, utilitate ac commodo, diutius supervivere; pro zelo enim religionis ac singulari in religiosos suos affectu, vix puto alterum monasterium nostrum vidisse, ita ut vere dicere possimus illa, quae in carmine ipsi R. D. nostro dedicato praeleguntur ac scribuntur verba:

Quidquid priori plangimus in patre,  
 Id faustiori reddidit omine  
     Pandora, supremi tonantis  
     Vittigenae decorans Jacobum  
 Gemmis tiarae. Quam locupletia  
 Funus rependit foenora! . . . .  
 Te Deus ad meritos acciri fecit honores,  
 Atque suas sub te pascere jussit oves.  
 Cum suprema aderit metuendi funeris hora,  
 Mens eat ad superas glorificanda domos.

Trigesima quarta elucescebat dies, divae sacra Apolloniae, nona mensis Februarii, quae Dominica erat quinquagesimae, velut a prima die submersionis R. D. praelati, Deus qui cuncta respicit ex alto, nostri tandem ac de-

functi miseratus, continuis, ut speramus, gemitibus, suspiriis ac precibus nostris flexus, ut opprobrium, obloquium, infamiam et maledicta a patre nostro et filiis suis auferret (constans enim fama spargebatur, et a majoribus et dignioribus quidem urbis nostrae, quod sese laqueo interemisset nosque eum alibi abscondissemus aut sepelivissemus, figmentum vere diabolicum!), pro infinita sua clementia ac misericordia, hac supranotata die, corpus submersi oculis plurimorum subiecit, ac in primis movit quemdam villicum, qui mane Scaldim pertransiret e regione domus vocatae *Trium Luciorum* (*Laïcorum*); domus est parochiae de *Wettere*. Ut igitur hic villicus corpus hominis conspexit, nesciens cujusnam esset, mox magistratum adiit, iisdemque ipsum significavit, qui ut post aliquantulam moram adeunt. Haeserat enim aliquantulum in frutetis Scaldae. Forte nautae quatuor, Gandavo Antverpianam meditantibus, praeternavigant, et ut corpus natante viderunt, applicata cymba, nescientes (eo quod supinus nataret ac non nisi dorsum appareret) num hominis vel bestiae esset, appropinquant, ac moventes, hominis esse clamitant corpus, et ex rasura suspicantes praelati esse nostri, sicut revera erat, id ipsum cum per leges extrahere non possent, secundo flumine Wetteram usque pertrahunt, ac ibidem ut appellunt, statim a divino officio omnes templo egressi, ad hujusmodi rumores, ad littus quantocumque accurrunt.

Adest magistratus, scouteta, ballivus, scriba, cum caeteris scabinis, advocati aderant et aliquot viri, ut vocant, foedales, cum chirurgo jurato, spectantibus ad minus ducentis hominibus, ac ibidem publice corpus tractatum visitatumque, et communi omnium sententia decretum, judicatum, non alia via, medio vel infortunio mortem obiisse quam aquis, corpus ejusdem esse suffocatum; et sic *obstructum est os loquentium iniqua*.

His peractis, mox nuntium ad praepositum in *Tusschenbeke* destinant, qui haec nuntiaret, ut praesens judicaret num patris esset corpus necne, distat enim uno tantum milliari. Qui concitus acceleravit ac, ut verus parentis filius, obsequia funeri necessaria procuravit ac in crastinum eidem indefessus adhaesit, donec evocati per ballivum loci dominus prior F. Norbertus Lanuius cum D. cellario F. Aegidio *Clays* adventarent. Ad quorum adventum denuo locus apertus est, ut et ipsi velut oculati testes testimonium visi corporis adhiberent.

Dolor dolori hic accumulatur: tristitiae, gemitus et singultus ad visum tam

pii parentis corpus succedunt : « O pater, quid fecisti nobis sic? dolentes in hunc usque diem et horam quaesivimus te. Quomodo sic cecidisti, qui toties nobis auxiliatrices in necessitatibus porrexisti manus? qui sic cespitarunt pedes, ut aquarum vorticibus absumendus tradereris? »

Mirum dictu! cum quatuor et triginta diebus sub aquis delituisset, ipsissimam adhuc referebat corporis speciem, mutatum nihil; rubebat facies ad instar vivi, nisi quod ingratum parum spiraret odorem, et quis hoc miretur? Pater ergo est, imo est, ipse est et negare potest nemo, imo hoc ipse fateretur, si ei loquendi facultas (quae ei solum defuit) e coelo concessa fuisset.

Hisce diutius immorari paternus cogit affectus, cum tam lamenta suspiriaque parenti haudquaquam prodesse queant.

Quando naturae rapuere patrem  
Fata, non possunt iterum parentem  
Reddere. . . . .

Igitur loculo inclusum et currui impositum (sicut mandatum nobis fuerat, ac a primis metropolitanae urbis nostrae consultum) ad monasterium monialium nostrarum Intertorrentinarum vehi curavimus, loculum ibidem aperire curavi, ut et ipsis manifestum esset de corpore; proque dolore, ut par erat, patrem lugentes, ac velut Davidis illi fidi amici, parentis nostri corpus, aperto ac nudo capite prosecuti sumus usque ad locum sepulcri. Eodem enim adhuc die, scilicet decimo mensis, sepulturae dedimus ad dexteram ingredientium, arae maximae e regione vitrae fenestrae, per eundem dum viveret ibidem donatae, ac ut altera die justa funeri persolvimus, ad propria remeavimus.

Malitia majores habet conatus quam vires.

MDCXXV. In quadragesima, praeficitur pastoratui de *Poessele* F. Petrus *Manaseer*, qui Nevellensibus confratribus cohabitare est permissus.

Altera mensis, cathedrae S. Petri celebri, candido nostro indutus est amictu F. Augustinus *Merlyn* Aldenardanus. Benedicitur in abbatem Trunchiniensem anno MDCXLVIII, Januarii die vicesima sexta, cum antea bienio fuisset prior.

Eodem anno, decimo sexto calendas Aprilis, ante meridiem, R. Dominus praelatus abbatiae S. Amandi visitavit reliquias nostras sancti martyris nostri

Gerulphi, scilicet cranium, ac beati Baptistae, praecursoris Domini, dentem.

Eodemque die, patres Augustiniani a meridie praelato nostro tragoediam suam de Acolasto, Lotharingiae principe, obtulerunt, dedicarunt ac consecrarunt, cum carmine gratulatorio in fine :

Gordugenum antistes, cujus stat credita curae  
 Quae tibi Norberti turba regenda subest,  
 Dignare exiguos pretio quos panximus actus,  
 Qui cupiunt vestro rite favore tegi.  
 Parva damus, fateor, nec tanto praesule digna;  
 Parva solent magnis saepe placere viris.  
 Mens primis juvenum gratetur candida coeptis,  
 Quaeque tibi promit candida Musa, cape.

Dominica inter octavas, quae prima fuit mensis Junii, apud patres Augustinianos in pontificalibus, quoad missam et laudes vespertinas idem officium peregit, ac in supplicatione, quae jam pro secunda vice locum adiit sive sacellum, ubi quondam repertus est cruor in agro sancti Martini, *t' Ackergem* gentiliter dicto, venerandum circumtulit sacramentum, et sequenti Dominica in S. Martini, et mane sacrum et a meridie sub horam quartam supplicationem inibi institutam ad memoriam passi Salvatoris, instituit.

Ac altera, quae fuit feria secunda, nona ejusdem mensis, ad vesperam, cum duobus aliis Gandavi abbatibus, in ecclesia divo sacra Bavoni adfuit, cum in laetitiae symbolum ac ad Deo referendas gratias pro urbe Bredana superata<sup>1</sup>, solemniter hymnus divorum Augustini et Ambrosii fuit percantatus, campanaeque sonitus longe jucundissimus per omnes templorum pyramidas celebriter juvabat triumphum.

Hic annus vere pluviosus dicendus, utpote qui perpetuis fere maduerit imbribus. Tanta enim fuit dulcium aquarum abundantia, ut omnia prata usque ad Augustum fuerint inundata.

Vicesimo mensis Julii, cum templi apud nos annua celebraretur dedicatio, summum peregit missae sacrificium R. D. apud patres Carmelitas, ac in supplicatione, ad instituti ordinis Carmelitani commemorationem ordinata, venerabile circumtulit sacramentum.

<sup>1</sup> Per novem totos et eo amplius menses ad civitatem sedit regius exercitus. N. C.

Idem praestitit obsequium apud patres societatis Jesu, ultima Julii, in feriis sancti Ignatii.

Altera Magdalenae, D. Augustinus Morbesius, deserta praepositura, pastorum suscepit in *Vorsselaere*, et octiduo post, fit praepositus (cum nullum R. D. e suis inducere posset ad eam suscipiendam) F. Guilielmus *Groeninx* Ninivensis.

Laurentius *Goethals* fuit pastor successive Donsanus, Nazarenus, Nivellanus et praepositus Intertorrentinus.

Decima calendas Octobris, in feriis sanctorum martyrum Mauritii et sociorum, visitavit illustrissimus archiepiscopus Mechliniensis, D. Jacobus *Boonen* ecclesiam parochialem de *Cherscamp*, quo et se contulit R. D. noster. Ipse autem illustrissimus dominus, ut ecclesiam reperit plane inanem et absque ullis ornamentis, pro sua veteri liberalitate obtulit eidem ecclesiae tabulam summi altaris, valentem quinquaginta libras, ea conditione ut R. D. noster eidem ecclesiae conferret aediculam pro venerabili sacramento locando; indeque praelatus noster se ad monasterium nostrum Intertorrentinum recepit, quo et, feria quarta sequenti, R. D. praelatus Ninivensis quoque advenit, aliqua pro reformatione forte ordinaturi; sed, re infecta, eodem die, abierunt.

Sexta mensis Octobris, missarum celebravit solemnia R. D. noster apud patres praedicatores, die sacra Rosarii.

Cum R. D. Floreffiensis, a Namurcensium ordinibus deputatus et rogatus, Gandavum veniret, mense Novembri, sub finem mensis, ut apud serenissimam infantem, tum Dunckercae agentem, cum aliis e secularibus, pro patria intercederent, ac gravi militum onere ac grassatione, quibus premebantur, sublevarentur, contigit R. D. Floreffiensem Gandavi haerere debuisse ad septem dies, quia eo et infans confluerat. Conventuales igitur, habita tam opportuna occasione, eidem libellum supplicem obtulerunt (quandoquidem duplici studio gravarentur, nempe philosophico et theologico), obsecrantes ut sibi beneficium indulgere dignaretur semper nocturnas matutinasque legendi, conformiter tamen ad statuta, quod et assensit maxime ad instantiam R. D. praelati nostri.

MDCXXVI. Octavo et decimo mensis Januarii, declaratus est in sacellanum Trunchiniensem D. Judocus de Leda. Deservivit autem tantum e monasterio nostro, cujus naulum ipsa parochia solvit, nullumque aliud eidem contribuere stipendium parochiani. Successerat autem in locum D. Antonii *Kerck-*

*hove*, qui, mense Maiò anni praecedentis, ad instantiam Rev. Dom. episcopi Gandensis, sacellani coeperat peragere ministerium.

Die vicesima tertia Februarii, apud patres Societatis, altera videlicet Dominicae quinquagesimae;

Septima Martii apud patres praedicatores, in festo sancti Thomae Aquinatis;

Decimo nono ejusdem mensis, in sancto Salvatore, in festo sancti Josephi, eratque confraternitatis decanus;

Quarto Aprilis, celebravit in pontificalibus R. D. apud virgines Annuntiatas, et die tertia Maii, ipsa inventionis sanctae Crucis, in S. Michaelè;

Decimo septimo ejusdem mensis in sancto Salvatore, quae fuit dominica quinta post Pascha, ac in supplicatione, quae ad honorem sancti Josephi est instituta, venerabile circumtulit sacramentum.

Vicesimo primo Junii, sacra peregit R. D. in sancto Martino et a meridie supplicationi deservivit venerabile circumferens sacramentum.

Secunda mensis Julii die, Deiparae visitationi sacra celebravit R. D. noster apud patres societatis Jesu, et trigesimo primo ejusdem apud eosdem, die sancti Ignatii.

In feriis sanctae Mariae Magdalenae, ad horam nonam matutinam, allatae nobis sunt reliquiae sanctissimi patris nostri Norberti per parentes domini Guilielmi Strooperii, religiosi nostri, Praga nobis transmissae, procurante ibidem ejusdem religiosi nostri avunculo, qui in abbatia Strahoviensi doctorem medicum agebat, cum patentibus praelati illius loci ac manu propria subsignatis litteris ad majorem confirmationem.

His Remigialibus festis, elargitus est R. D. studiosis societatis Jesu praemia.

Vicesimo quinto Octobris, Dominica infra octavas Undecim Millium Virginum, sacra peregit R. D. apud patres Carmelitas, ibidemque tres consecravit campanas ad honorem sanctissimorum Mariae, Jesu et Joseph. Sed cum nunquam practicatam reperissemus hujusmodi benedictionem campanarum alienarum a quocumque praedecessorum, ideo episcopo prius significatum fuit per loci priorem.

Vicesimo quarto mensis Novembris, D. Augustinus *Morbays* pastor in *Vorselaere*, eam deserens, amplexus est parochialem ecclesiam in *Astene*, nostrae praesentationis, licet nunquam a nostris possessam.

MDCXXVII. Decimo sexto mensis Januarii, primus excepit confessiones

monialium in *Groenenbriete* (vestales virgines quae Victorinae appellantur) D. prior, ad episcopi et ipsius abbatissae petitionem, episcopali ad hoc habita potestate, quoad casus conscientiae; eratque dies sabbati.

Decimo quinto Februarii, missarum solemnia celebravit R. D. praelatus apud patres Societatis, secunda die indulgentiarum, ante diem Cinerum.

In festo sanctissimae Triadis, Trunchinii missarum fecit solemnia, eoque primum anno majorem pastor est meditatatus circuitum supplicationi faciendae, in qua R. D. ipse primus venerabile circumtulit sacramentum.

Undecimo mensis Septembris, ad instantiam prioris Augustinianorum, contulit studiosis eorumdem, pro praemiorum Remigialium distributione, decem libras vel quinquaginta florenos; amplioraque dedisset praemia nisi a celsitudinibus suis, ob exhaustum aerarium, et ad stipendium militibus persolvendum gravatus fuisset cum caeteris praelatis onere mutui 5500 florenorum.

Abbas Ninoviensis tendit Romam, die sancti Matthaei, mane ad horam octavam, mense Octobri. Perfecta domus pastoralis in *Astene*, et altera domus in *Vorselare*, sumptibus tantummodo parochianorum.

Ipsa beatae Catharinae, in sancto Salvatore, ad horam quartam vespertinam, consecravit R. D. quamdam statuam beatae Mariae dicatam, quam (illi de) Ardenberga sibi acquisierant, sed cum capite ac manibus truncata esset, eidem et caput et manus aliaque ad decorem necessaria adsculperunt.

Mense Decembri, primo die mensis, perrexit R. D. ad monasterium Inter-torrentinum, visitationis ac reformationis ergo. Ac hoc ipso anno, reaedificata praepositura in *Tusschenbeke*, et quidem pristina longe splendidior.

Altera sancti apostoli Thomae, ad horam quintam matutinam, obiit in monasterio nostro, pridie ecclesiasticis munitus sacramentis, ministrante priore, Johannes *Sweemere* Meerbecanus, coquus noster, ac sepultus est in templo nostro per privilegium Alexandri IV. Hoc jam bis practicavimus, quamvis aliqui reclamarent.

MDCXXVIII. Decimo sexto primi mensis, mane hora septima, obiit Nivellae Flandriae confrater noster dominus Petrus *Manasseer*, pastor in *Poessele*, aetatis suae trigesimo octavo, professionis octodecimo, pastoralis curiae tertio. Demortui pastoris corpus ad monasterium advehi curavimus ac in templo nostro sepelivimus. Episcopus, eo quod curae deservisset a monasterio independenti, ejusdem detineri ac arrestari fecit suppellectilem. Qui tan-



dem praetensionibus suis cessit, post multa mutua colloquia. Consultum vero foret nunquam ad secularem quempiam promovere curam.

Vicesimo secundo Januarii, fit sacellanus in *Overmeere* dominus Johannes *D'Hane*, qui fuerat cantor.

Sacra missae mysteria peregit R. D., sexto Martii, apud patres societatis Jesu, feria secunda post Dominicam quinquagesimam.

Duodecimo Januarii, procurante praelato Ninivensi, ad instantiam R. D. nostri concessit nobis S. D. noster Urbanus privilegiatum altare pro redemptione animarum defunctorum ad septennium; sic ut, feriis secundis per annum et per totam octavam animarum, ad ipsum altare celebrans unam animam e purgatorii liberaret poenis. Indultum hoc recepimus, decimo octavo Martii.

Vicesimo tertio Martii, domini conventuales obtulerunt libellum supplicem R. D. pro novo emendo loco ad exstructionem monasterii; jam autem partem terrae secreto eum in finem coëmerant in platea Molinaria.

Dominica Passionis, celebravit R. D. apud patres Carmelitas, ad honorem beatæ Mariæ Magdalenaë Florentinaë, cujus beatificationem tum prius publicabant.

Dominica quinta post Pascha, quæ fuit vicesima octava Maii, missarum solemniter fecit R. D. in S. Salvatore, et feria secunda Pentecostes proxima, duodecimo Junii, in die annuæ supplicationis Ninivensis omnimodum peregit ibidem.

Item Dominica post octavam venerabilis sacramenti, quæ fuit secunda Julii, visitationi beatæ Virginis sacra celebravit, R. D. in S. Martino.

Ultima Julii, die sancti Ignatii, celebravit R. D. noster apud patres societatis Jesu.

Ultima Mensis Augusti, discessit R. D. Ninoviam, indeque cum praelato Ninivensi Praemonstratum.

Patres Augustiniani exhibuerunt actionem sive tragicomoediam, continentem vitam sancti Norberti, quam R. D. nostro praelato dedicarunt. Quare praelatus jam secundo studiosis elargitus est præmia Remigialia, eumque in finem iisdem dedit centum florenos.

MDCXXIX. Feria secunda post *Esto mihi*, celebravit R. D. apud patres Societatis, eaque fuit vicesima sexta mensis Februarii. Et altera, quæ fuit feria tertia ante diem Cinerum, celebravit R. D. Ninivensis ibidem, ministrantibus eidem religiosis nostris.

In festo sancti Joseph, celebravit R. D. noster in S. Salvatore, et ante Dominicam Palmarum, septimo Aprilis, apud Annuntiatas.

Pridie sancti Marci, primus jactus est lapis novae reaedificandae ecclesiae per R. D. Antonium Triestium, qui decem patacones dedit illius gratia. Praeter illum autem nullus alius quidquam dedit, singulis e majoribus ad eam festivitatem vocatis, inter quos, praeter reverendissimum, interfuit R. D. pater noster. Dedit loci praelatus numisma aereum inauratum, facies vel figura sancti Petri ex una parte opere fusili, et ex altera schema templi aedificandi.

Mense Julio, recepimus bullam<sup>1</sup> indulgentiarum pro restauranda fraternitate sancti Gerulphi, quam impetravimus, procurante R. D. praelato Ninivensi, qui pastoris et episcopi Gandavensis litteras Roma direxerat, ibidemque per suos sollicitatores et procuratores hanc pro majori sancti martyris Gerulphi gloria, per summi pontificis dispensationem et indulgentiam, nactus est bullam. Originale autem servatur Trunchini.

Ipsa Mariae Magdalenae, celebravit R. D. apud patres Carmelitas, die indulgentiarum concessarum confratribus scapulare gerentibus, cujus confraternitatis patronus R. D. hoc anno exstiterat.

Festo sancti Laurentii, celebravit R. D. in S. Michaëlis, in indulgentiis patrum Capucinatorum sive precibus quadraginta horarum; et Dominica proxima, celebravit ibidem Rev. D. Ninivensis cum mitra, pedo proprio, ministrantibus eidem religiosis nostris.

In initio Augusti, denuo ecclesiastici onerantur stipendio mutuario regi pendendo: taxa autem praelati nostri fuit 7500 florenorum.

Pridie Assumptionis Deiparae, in Domino obdormivit ad horam secundam pomeridianam, apud sanctimoniales de *Groenenbrielle* F. Aegidius *Ryssens*.

Initio mensis Septembris, directae litterae deprecatoriae Romam ad illustrissimum cardinalem Bentivolium, ut protectionem ordinis suscipere dignetur, quas litteras scripsit D. Judocus littera italica, dictante praelato Ninivensi, ad petitionem prioris Praemonstratensis, qui a..... missus Gandavum venerat.

Dominica proxima, quae erat inter octavam sancti Gerulphi martyris, instituta fuit sollemnis supplicatio Trunchinii, sacris operante R. D. praelato

<sup>1</sup> Haec bulla in appendice habetur.

nostro pro felici auspicatione confraternitatis sancti martyris, qua in confraternitate omnes intranei adscripti fuere religiosi, fueruntque subsequentes domini : R. D. praelatus D. Jacobus *Goethals*, primus confraternitatis patronus; Norbertus Lannuius prior; Basinus *Plevier* supprior; Aegidius *Christiaens* jubilarius; Antonius *Kerckhove* cellarius; Judocus *Vander Heede*, sacellanus Trunchiniensis; Carolus *De Prater*, assistens domini praelati dum sacris operatur; Adrianus *Hendrix*, cantor et sacrista et p. c.; Paulus *Breecpot*; Gerulphus *Vander Winckele*, solatium sacristae; Aegidius *Clays*, provisor; Petrus *Van Vlaenderen*, succentor; Guilielmus *Stroopere*, magister novitiorum; Aegidius *Paret* et Cornelius *Eeckman*, novi professi fratres; Georgius *De Snick*, Johannes *Kerckhove*, Nicolaus *Lust*, improfessi.

MDCXXX. Hoc anno coepta est apud nos musica, hortatu ac instantia R. D. praelati, conducto in eum finem musices magistro Petro *Van Dale*, decimo sexto mensis Januarii, stipendio librae flandricae menstruae, primoque in die resurrectionis Domini, decantata missa est concentu musico, et sic deinceps continuatus, singulis Dominicis et festis, in missis et vesperis.

Ultima Januarii, obiit in monasterio Intertorrentino soror Anna *Hiele*, monasterii suppriorissa, cujus breve per diversa monasteria transmissum fuit subsequens de verbo ad verbum :

« Anno MDCXXX, trigesimo primo Januarii, in monasterio *Tusschenbeke*, ordinis Praemonstratensis, dioecesis Mechliniensis, pie obiit in Christo soror Anna *Hiele* velata, aetatis suae anno septuagesimo quinto, sacrae professionis quinquagesimo quinto, atque adeo jubilaria; multa olim per turbas Belgicas perpessa, tandem officio suppriorissae aliquot per annos laudabiliter functa et simul cum vita defuncta, magno sui apud sorores suas superstites relicto desiderio, cujus animam piis vestris precibus et charitati impense commendamus. »

In defunctae locum, sexto ab ejusdem obitu die, subrogarunt praepositus, scilicet cum priorissa, sororem Annam *De Wale*. Sed ut praesumptuose nimium ac sine debita auctoritate id praesumpserunt, ita etiam et altera die, misso eo priore cum D. Guilielmo *Strooperio*, eum actum in capitulo coram omnibus per patentes litteras invalidavit, suspenditque in proximam visitationem. Ad nos enim spectat omnis in eas jurisdictio et superioritas, ita ut non solum earum sit pater abbas R. D. praelatus noster, sed et absolutus superior, ita quod non nisi ad eum spectet ibidem constituendi superiores, computum quotannis au-

diendi; elocationes nullas facere possint ab ejusdem consensu, nullam in ordinem recipere, etc., quae jura quandoquidem ab antiquo ibidem semper inviolate servaverint praelati, et usque nunc in vigore et viridi consuetudine permanserint; ideo etiamnum R. D. praelatus ne quidem ad latum apicem passus est eas ab iisdem... excutere, sicut forte per hunc actum agere tentarunt; et cum eadem Anna *De Wale* ad idem officium assumpta fuerit,..... (non auctoritate praepositi vel priorissae factum est, sed ad praepositi et maxime R. D. praelati Ninivensis, cujus religiosus erat praepositus, instantiam), eandem substitui passus est, et ne posteris nostris forte praejudicari per hanc continuationem minime dubitari posset; ideo R. D. noster a praeposito in scriptis declarationem postulavit, qua declararet se male fecisse, et non nisi auctoritate, a R. D. nostro ipsi pro hac vice indulta, eandem ad officium suppriorissae sufficere. Copia autem est haec de verbo ad verbum manu praepositi scripta et suo nomine subsignata <sup>1</sup>.

Feria tertia Pentecostes, celebravit R. D. in sacello S. Annae extra portam Liviniam; uno cum dimidio ab urbe milliari, in pago Botelariensi.

D. Augustinus *Merlyn* baccalaureatus adeptus est gradum et philosophiam docuit in monasterio nostro.

Mense Septembri, in feriis sanctorum martyrum pariterque pontificum Cornelii et Cypriani, missae celebravit sacrificium R. D. noster apud Nivenses, eorum praelato in Germania occupato in visitationis suae decursu.

Pridie S. Andreae apostoli, ad horam nonam matutinam, animam suo reddidit creatori D. Appollonius *Vervinck*, pastor in *Sonneghem*, qui una erat deservitor in *Vlachen*.

Pridie ante natalem Domini, erecta tabella altaris recens depicta, repraesentans Salvatoris nostri natale.

MDCXXXI. Feria tertia post Dominicam primam Quadragesimae, recepit potestatem absolvendi sacramentaliter omnes in episcopatu Gandensi, de pastorum loci consensu D. Augustinus *Merlyn*.

Mense Aprili, mane Dominicae Passionis, obiit filia nostra spiritualis Cornelia *Claye* quae, altera die obitus, rubere coepit vivique hominis repraesentabat faciem, mansitque ita in quartum usque diem, absque specie foetoris, sitaque est in S. Michaelis ad columnam capellae S. Mariae, ad plagam sep-

<sup>1</sup> Vide in appendice.

temtrionalem : columna est ea, cum invisitur ipsum altare, cujus tabula e marmore est sculpta et polita.

Mense Augusto, erectum perfectumque est altare e marmore in navi ecclesiae, ad sinistram ingredientium, et praeter alias expensas constitit mille sexcentis florenis. Aliudque erigendum curavit R. D. ad dextram, quod mille quingentis constabit, et tamen priori simile.

Mense Septembri, impignoravit R. D. parochias *Burst*, *Bambrugge*, *Sonneghem* et *Gotthem* pretio septem millium florenorum flandricorum et centum pataconum.

Quinto idus Novembris, qui dies erat Dominicus, operante R. A. D. praelato nostro, sorores Anna *Dubois*, alias *Vanden Bossche*, Bruxellensis, et Catharina *Vanden Nesche*, Bergensis ad Zomam, rebaptizatae sub conditione, in majori Bigardia juxta Bruxellas.

Feria secunda post Dominicam tertiam Adventus, altera videlicet Nicasii, possessionem accepit parochiarum oppignoratarum; *Burst* videlicet, *Sonneghem*, *Bambrugge* et *Gotthem*, praesentibus R. D. praelato Ninivensi et advocato ac religiosi, priore, suppriori, *Praetere*, *Breecpot*, D. Aegidio *Clays* ac pastore Trunchinii.

MDCXXXII. Vicesimo quarto primi mensis, die sabbati, adjudicatum est nobis jus molae erigendae Trunchinii pro omnibus adventantibus, contra dominam temporalem sese opponentem.

Mense Maio, exigitur ab ecclesiasticis subsidium pecuniarium ad succurrendum afflictae patriae ac ad erectionem trium cohortum peditum bonarum voluntatum. Contribuerunt episcopus quinque millia, D. Petri tria millia et abbates *Baudeloo* et Trunchiniensis, singuli mille florenos.

Sabbato ante sanctam Trinitatem, perfectum est antipendium ad honorem Deiparae Virginis album, in cujus medio habetur nomen Mariae, et constitit in universum 14<sup>r</sup> 3 sol. 5 d.

MDCXXXIII. Dominica Palmarum, perfectum opus illud intermedium e marmore inter utrumque altare, et constitit amplius tribus millibus florenorum.

Quinto mensis Junii, Dominica die, professa apud moniales nostras Inter-torrentinas soror Catharina *Breemaker* Alostana, operante R. A. D. praelato nostro, praesentibus e nostris priore, provisoro ac D. Guilielmo pastore *Sonneghem*ensi, in cujus confitendae schedula, cum, post praelato obedientiam

praestandam, et nomen praepositi reperissemus ac ipsius priorissae, praepositi nomine deleto, solum praelato ac priorissae obedientiam praestandam sanximus; et ita factum est, praesente priore Ninivensi ac altero ejusdem monasterii clerico subdiacono.

Bruxellae, calendis Decembris, obiit Isabella Clara Eugenia, Hispaniarum infans atque Alberti Pii, Austriaci Belgarum principis, nuper conjux, ob pietatem ac regias virtutes toto orbe clarissima, aetatis sexagesimo septimo.

MDCXXXV. Secunda mensis Junii, consecravit R. D. calicem principis electoris ac archiepiscopi Trevirensis tunc captivi in aula principis hujus civitatis Gandensis.

Pridie nativitatis sancti Johannis Baptistae, venerunt ad monasterium nostrum duo Dilighemienses religiosi, metu Francorum, qui Arschota, *Diest*, *Thenis* aliisque minutioribus urbibus aliquot superatis, Bruxellas usque excurrerant. Frater Nicolaus *Doheyn*, qui sacerdos consecratus in festo sanctissimi patris Norberti, primitias celebravit apud nos loco missae matutinalis; et frater Albertus *De Rew*, qui, sabbato post Norberti, a praelato suo evocati abierunt, postquam Franci, soluta obsidione Lovaniensi, aliisque locis partim superatis, partim desertis, metu copiarum Caesarearum adventantium, Hollandiam petierunt cum Hollando milite.

Mense Novembri, levatus est sarcophagus reverendissimi domini praelati defuncti, et asportatus ad monasterium Intertorrentinum ad ejusdem sepulturae memoriam.

Mense Decembri, immediate ante natale Domini, deputatus est pastor in *Baerle* dominus Augustinus *Merlyn*, lector noster: et D. Johannes *D'Hane*, qui fuerat hactenus sacellanus in *Overmeere*, fit sacellanus Trunchiniensis, ea conditione ut uterque cohabitaret pastori Trunchiniensi.

MDCXXXVI. Feria secunda Rogationum, vicesimo octavo Aprilis, primus jactus est lapis monasterii aedificandi e regione domus domini temporalis:

Fors erit ut nostris tandem ferat otia terris<sup>1</sup>.

Tertio mensis Augusti, abbas inauguratus apud Baudeloanos, R. D. Jo-

<sup>1</sup> Deus scilicet. N. C.

hannes *D'Isembaert*, in quo officio assistentis munus peregit R. D. praelatus noster, operante reverendissimo Gandensi.

MDCXXXVII. Pridie Dominicæ Passionis Domini, mane ante medium sextæ, obiit Paulus *Poemere*, coquus noster, sepultusque est in templo nostro. Frater defuncti Johannis, qui obiit MDCXXVII, altera sancti Thomæ.

Mense Junio, in societatem nostram admissus est quidam frater Franciscus Nicolai e monasterio S. Andreae, tunc exul per Francos, undique Hannoniam et Arthesiam devastantes.

Immediate ante natalitia, designati et instituti pastores: imprimis D. Franciscus *Lantheere*, pastor Trunchiniensis, designatur praepositus Nivellensis et Trunchiniensis; constitutus D. Augustinus *Merlyn* pastor Nivellensis; institutus D. Aegidius *Paret* pastor Astenensis; et vice versa D. Norbertus *De Waeghenaere*, hactenus pastor Nivellensis, pastoratum adiit Astenensem, virtute visitationis habitæ anno præterito.

MDCXXXVIII. Vicesimo tertio Decembris, declaratur et fit deservitor in *Wonterghem* dominus pastor in *Astene*, frater Norbertus *De Waghenaere*, et pastor in *Astene* fit dominus Cornelius *Eeckman*, et sacellanus Trunchiniensis dominus Franciscus *Brauwver*.

MDCXL. Septima Maii, decessit F. Franciscus Nicolai, qui e monasterio suo S. Andreae, ob bella inter Hispanum et Francum, ad nos ante triennium venerat.

Feria secunda Pentecostes, quæ erat vicesima octava Maii, ad vesperam, supplicatio fuit in parochiali ecclesia S. Michaëlis, in qua venerabile sacramentum circumtulit R. D. praelatus noster, ubi prius principi nostro Ferdinando, ante fores in pulvillo prostrato, sacram crucem deosculandam præbuit, cum caeteris ceremoniis, prout in pontificali.

Feria sexta sequenti, arsit templum S. Bavonis, quod adeo velox et horribile incendium fuit, ut spatio duarum horarum omnia templi tecta, ab hora diei decima usque ad duodecimam, deflagrarint, incuria; ut aiunt, plumbarii ibidem tecta reficientis.

Octava venerabilis sacramenti, venit serenissimus princeps noster in *Groenbrielle*, auditorus missam, et eidem in templi limine crucem osculandam porrexit D. Aegidius, provisor noster, assistente domino Francisco *Brauwver*.

Sexto Augusti, missarum peregit solemnia R. D. apud patres societatis Jesu, et die octavo sancti Ignatii, quinque e religiosis nostris sibi administran-

tibus, ubi maxima erat solemnitas propter centesimum annum institutionis Societatis; prima autem die, celebravit episcopus Gandavensis.

Decimo tertio Novembris, consecratum altare in *Groenenbriete*, praesentibus RR. DD. praelato nostro, priore ac provisore nostris et aliis e nobilitate.

FINIS.



**APPENDICES**

**CHRONICI TRUNCHINIENSIS.**

---

## APPENDICES

### CHRONICI TRUNCHINIENSIS.

---

#### I.

Anno MLXXXIV. In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ego Radbodo, Dei gratia Noviomensis episcopus, desiderans sanctorum augeri conventus, ut ecclesia Dei, cui providebam dispensator accommodat..... ad tempus in centenos excresceret fructus, in quantum divina largitate mihi concessum est, manus auxilii porrigere, prout opportunitas fuit, non abnegans, libertate donans, redditibus, decimationibus novae terrae ac veteris per adjacentes totius parochiae terminos ampliandis, quoad potui, juvi. Inter quae nostrae devotionis statuta atque sancita, etiam ecclesiam quae est in honore S. Mauritii martyris in villa Hostonis, *Nivelle* dicta, desiderantis ampliari, interventu ipsius Hostonis fratrumque suorum Arnulphi canonici, Onulphi, Walteri, Franconis, Berfridi et uxoris ejus Dodae et matris *Archenrath*, ut aliquam partem haberent in societatem sanctorum.

Quo sancto desiderio fervere videbamur: omni episcopali et synodali exactione sub titulo canonicorum nostra auctoritate hoc statuto liberam firmavimus, ut omni anno deinceps in festivitate omnium SS. Tornacensi ecclesiae 12 denarios; et dum persona ejus e vita excesserit, pro restitutione alterius 10 solidos persolvat, omnibus aliis libera. Actum publice in synodo Tornacensi anno ab incarnatione Domini MLXXXIV, epacta undecima, indictione VII, concurrente VI. Regnante Philippo, Francorum rege, anno XXII; Radbodo episcopante XV; Roberto Marchione Flandriae anno XIII, his etiam testibus firmiter subnixum Waltero Walchero thesaurario, Widone cancellario, Hermano praeposito, Alulfo, Alberto decano.

*Nota.* Archidiacono, testibus etiam ejusdem Hostonis fratribus praedictis et Eustachio de Fivi a Theobaldo Iprensi; quicumque haec infringere voluerit excommunicationi subjaceat sicut... destructor aut violator.

## II.

<sup>1</sup> MLXXXVII. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Robertus, marchio Flandriae, filius Roberti marchionis, cognomento Frisonis, Spiritus Sancti gratia illuminante atque exhortante commonitus, ut in exordio principatus nostri, quae Dei sunt, primum quaerem, ut ea, quae mundi sunt, divina gratia mihi adderentur: cum ecclesiam Christi, quae est Truncinis, in honore B. Mariae fundatam, ab exordio fundamenti sui in manu antecessorum meorum, atque ita in mea sine ullo respectu vel potestate episcopi reperissem, animadvertens non recte neque legitimum esse ut seculari potestate sine clericali capite ecclesia dispensaretur, ecclesiasticis personis interpellantibus, ac principibus potestati nostrae faventibus, ab omni potestate nostra et subditorum nostrorum et posterorum nostrorum et subditorum illorum, liberam et absolutam feci, condonans in perpetuum quidquid comitatus et advocacionis et redditus, ex more antecessorum meorum in rebus vel possessionibus praefatae ecclesiae habebam, nihil juris vel potestatis in ea absque ulla contradictione mihi reservans, nisi hoc tantum ut ego et posteri mei praeposituram daremus, et episcopus Noviomensis curam animarum det, cui marchio Flandriae praeposituram dabit, et ut nulla ambiguitas esset in posterum, subscripsimus res ecclesiae. Omnis decimatio novae terrae et veteris totius parochiae Trunchinensis, cum omnibus suis qualibuscumque oblationibus; similiter omnis decimatio novae terrae et veteris totius parochiae Landenghemensis ecclesiae, cum omnibus suis oblationibus, et bodium Recessensis parochiae novae et veteris terrae et juxta eandem ecclesiam propria mansio fratrum ad congregandam annonam. Insuper terra cujus modo quisque fratrum suam tenet particulam, et thelonearia, servitia in nativitate B. Mariae et census de familia S. Mariae praefatae ecclesiae: haec autem sunt pertinentia ad praeposituram de supradictis, Vorslariensis ecclesia cum omnibus novae terrae et veteris, cum oblationibus suis, et mansum terrae et decimatio de *Hasleth* et advocatio de familia S. Mariae praeter censum, qui est fratrum. Ut autem in perpetuum maneret ratum et inconvulsum, hoc nostrum statutum, testes idoneos adhibuimus. Signum Walteri archidiaconi. S. Letberti capellani. S. Baldevini de Warkembeka. S. Roberti pincernae. S. Roberti castellani Brugensis. S. Tetboldi de Ypra. S. Ulrici filii ejus. S. Fromoldi fratris ejus. S. Lamberti Nigri. S. Remgoti castellani. S. Hodekini capellani Duacensis. Actum in ecclesia Hislensi, pridie nonas julii, anno Dominicae incarnationis MLXXXVII. Epacta XIV. indictione X. Concurrente IV. Regnante Philippo Francorum rege anno XXVIII. Episcopante Radbodo, Noviomensis ecclesiae antistite, anno XX. Anno principatus nostri primo feliciter.

## III.

MCXXXVI. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Simon, Dei gratia Tornacensis ecclesiae episcopus, quia pontificali cathedrae, Deo auctore, licet indigni praesidemus, et si omnibus nostrae dioeceseos fidelibus, prout facultas suppetit, prodesse debemus, circa illos tamen, qui abjecta mundi sarcina, fidei navigio ad placidum ac tranquillum

<sup>1</sup> Legitur hoc privilegium inter probationes monasteriologiae Praemonstratensis, *Ord. Praem. Annal.* tom. II, col. DCII.

contemplationis portum enatarunt, praecipue vigilare decrevimus, quatenus propria vicissitudine eorum orationibus aliquod nostrae imperfectioni subsidium comparemus. Notum igitur volumus tam futuris quam praesentibus, qualiter frater Walterus locum illum in Wasia, qui *Saleghem* dicitur, cum alio loco super Legiam sito, quem *Pitingehem* dicunt, cum omnibus facultatibus ad eadem loca pertinentibus, per manum nostram ad concilium et ordinationem domini Walteri abbatis S. Martini Laudunensis monasterii tradidit: hoc interposito, ut eo in loco, qui *Saleghem* dicitur; abbas constituatur, qui cum subjectis sibi fratribus, secundum regulam beati Augustini, ad tenorem Laudunensis monasterii vivat. Porro alium locum, hoc est *Pitingehem*, in quo hactenus fratres sub canonica professione vixerunt, ad opus religiosarum mulierum sub obedientia et dispositione abbatis de *Saleghem* inibi Deo famulaturarum, confirmamus. Si ergo abbas de *Saleghem* ab ordine et consuetudine Laudunensis coenobii deviaverit, abbas S. Martini super correctione sua bis tertio eum commonebit. Quod si incorrigibilis apparuerit, episcopus Tornacensis, sub praesentia et testificatione abbatis S. Martini et duorum ejusdem ordinis coabbatum, in ecclesia Tornacensi, sine omni reclamatione majoris audientiae, ordinis sui transgressorem deponet; depositum autem illum episcopus Tornacensis ad ecclesiam B. Martini remittet et alium idoneum, canonica fratrum electione et abbatis Laudunensis consilio, e vestigio subrogabit; abbas autem ecclesiae S. Martini, de qua praedictus locus, scilicet *Saleghem*, religionis hujus sumpsit exordium, ab omni illum temporalis commodi exactione absolvet; ut vero ordo ibi vigeat, invigilabit, et in laboris sui mercedem juges ibidem orationes habebit. Ut autem fratres, qui ad eundem locum, pro salute animae suae, convenerint, sine omni inquietudine soli Deo vacare possint, ab omni exactione tam nostra, quam ministrorum nostrorum illum absolvimus; canonicam vero abbatum professionem et filialem obedientiam et loci ac fratrum ordinationem et assiduas orationes, tam nobis quam successoribus nostris, in eodem loco retinemus. Praeterea de decimatione omnium novalium suorum tertiam partem quae videlicet nostri juris esse debebat, in perpetuum eis remittimus, decernentes ut universa, quae nunc ibi commanentes fratres possident, et quaecumque in futurum concessione ecclesiastica, largitione principum, vel oblatione fidelium juste et canonice poterunt adipisci, firma illis illorumque successoribus et illibata permaneant. Ut autem haec rata et inconcussa in perpetuum vigeant, hoc scriptum fieri jussimus, et sigilli nostri impressione et testium subscriptione roborari praecipimus; et ne quis aliquid horum infringere temerarie praesumat, anathematis sententiam interposuimus. S. Heodici, abbatis sancti Eligii Noviomensis. S. Gilberti, abbatis S. Nicolai de Sylva. S. Valleranni, abbatis de Ursicampo. S. Adae, abbatis S. Bartholomaei Noviomensis. S. Gervasii, abbatis S. Nicolai de Arewasia. Actum anno incarnati Verbi MCXXXVI. Indictione XV. Epact. XXVI. Concurrente III. Ego Hugo cancellarius relegi.

## IV.

<sup>1</sup> \*\* MCXXXVI. In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Theodoricus Dei gratia Flandriae comes, divina inspiratione admonitus, fidelium

<sup>1</sup> Chartae signo duplici notatae reperiuntur in probationibus *Annal. Ord. Praem.* jam citatis et apud Miraeum, quae autem unico signo distinctae in priori tantum opere.

quoque principum, qui ecclesias Dei fundaverunt et rebus suis ditaverunt, exempla secutus, ob remissionem peccatorum meorum et salutem animae meae et conjugis meae Suanehildis comitissae, praedecessorumque meorum Flandriae comitum, locum quemdam sacrae religioni congruum, in fundo Wasiae situm, inter sylvam quae dicitur *Conegesfurt* et villam *Bardemara*, nunc *Salechem* vulgo nominatam, sanctae Trinitati et perpetuae Virgini Dei genitrici Mariae, necnon S. Johanni evangelistae et omnibus sanctis, omnimodis liberum obtuli in usus fratrum regularium secundum regulam B. Augustini ibidem Deo servientium. Contradidi etiam illum locum qui dicitur *Husterloe* cum sylvis et *Moer* et pratis et pascuis et caeteris appenditiis inter praedicta loca sitis usque ad circumjacentes parochias porrectis. Hoc autem donum feci petitione Ywani, ejusdem loci fundatoris, hominis mei, cujus haec feoda fuerunt, et quia pium est sacratis Deo locis cautelam pacis et quietis providere, statui ne aliquis in posterum locum ipsum, fratres vel homines ad eos pertinentes injustis vexationibus inquietare praesumat. Addidi etiam ne quis advocatiam in his praedictis datis habeat, praeter comitem Flandriae, vel eum qui dominium Wasiae tenuerit a comite. Quod si et ipse praedictos fratres in aliquo temere gravaverit, et admonitus corrigere neglexerit, ipsam advocatiam perpetuo amittat, et fratres et omnia sua postmodum sub defensione comitis securi subsistant. Denique, ut haec praedicta rata et inconvulsa maneant, sigilli impressione et testium subscriptione confirmari praecepi. Signum Rogeri, Brugensis praepositi. S. Roberti Tornacensis archidiaconi. S. Ghiselberti Gandensis abbatis. S. Letberti decani et notarii. S. Balduini cancellarii. S. Ywani. S. Danielis. S. Theodorici camerarii. S. Ragonis pincernae. S. Radulphi Brugensis castellani..... Actum Brugis anno Dominicae incarnationis MCXXXVI. Indict. XIII, regnante Ludovico, Francorum rege, principante Theodorico Flandriae comite, anno VIII principatus sui<sup>1</sup>.

## V.

\*\* MCXXXVIII. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Theodoricus, Dei gratia comes Flandriae, una cum uxore mea Sybilla, filia Fulconis regis Herosolymitani, advertimus saepius et commonitione religiosorum virorum, nos intellexisse, inter omnia hujus mundi bona, ea solum in verae beatitudinis horreum reservari ac perpetuari, quae vel in ecclesiarum aedificationem vel pauperum Christi sustentationem liberaliter erogantur. Eapropter ecclesiam B. Mariae Trunchiniensis, quae hactenus, ex consuetudinaria successione praedecessorum nostrorum, obeunte praeposito, in manus nostras recidit, liberam concedentes ab omni seculari jure ac potestate, cum omnibus appenditiis suis emancipamus, et Odgero ejusdem ecclesiae praeposito, necnon et Ywano illustri viro, praefatae villae post nos domino et advocato devote postulanti, in manus domini Simonis venerabilis Noviomensis seu Tornacensis episcopi, et Gosuini abbatis in *Saleghem*, quidquid omnino nostri juris est in perpetuum contradimus, usibus omnimodis fratrum secundum regulam B. Augustini ac B.

<sup>1</sup> Comes Theodoricus mirifice honoravit recens conditum monasterium, nam bona omnia ab Iwano illi attributa non modo confirmavit, sed et omnibus ejus loci religiosis solidam concessit libertatem, praesentibus et subsignantibus: vide annum 1138. N. C.

Martini Laudunensis <sup>1</sup> viventium in perpetuum profuturum. Volumus autem ut quidquid praefato Gosuino abbatis et nos et Ywanus in praedicto *Saleghem* jam donavimus, cum omni accessione sua huic ecclesiae tanquam matri suae deinceps appendeat. Canonicis autem adhuc superstitionibus indulgentes concedimus, ut, quamdiu vixerint, praebendarum suarum usumfructum libere et quiete possideant. Quibus obeuntibus, usibus fratrum prout venerint, in perpetuum communiter cedant. Quod etiam praedictus Ywanus, pro redemptione peccatorum suorum in praedicta villa de feudo nostro, eidem ecclesiae donavit, scilicet singulis annis valens marcam argenti, nos quoque et manus traditione et praesentis paginae adstipulatione perpetuo confirmamus. Si quas vero eadem ecclesia aut habet aut habitura est decimas, sicut sortitur in veteri, ita etiam in omni sortiatur decima accrescente. Obeunte autem abbate, non alius subrogetur quam quem concors fratrum, implorata ex more divina clementia, sibi assumpserit electio. Quae ut rata in posterum et inconvulsa permaneant, privilegium hoc fieri jussimus, ipsumque sigilli nostri impressione et testium subscriptione muniri fecimus. Signum Milonis, Morinorum episcopi. S. Ogeri, praepositi S. Audomari. S. Leonis, abbatis S. Bertini. S. Giselberti, abbatis S. Petri Gandensis. S. Henrici, abbatis Liskensis. S. Goselini, decani. S. Fulconis, canonici. S. Alexandri, canonici. S. Magistri Osmundi. S. Meynardi, praepositi Ariensis. S. domini Iwanni. S. Radulphi, castellani Brugensis. S. Theodorici, camerarii. S. Arnaldi, camerarii. Actum Ariae, anno incarnationis Dominicae MCXXXVIII. Indictione 1. Epacta VII. Concurrente V <sup>2</sup>.

## VI.

MCXXXVIII. Symon, Dei gratia episcopus Noviomensis. Notum sit quod Theodoricus, Flandrensis comes, assentiente et petente D. Ywano et Ogero praeposito, Trunchiniensem ecclesiam cum omnibus appendicibus suis fratri Gosuino abbati per manus nostras tradidit, ut in ea cum subjectis sibi fratribus secundum regulam B. Augustini ad tenorem Laudunensis monasterii vivat, ita ut quidquid dicto Gosuino abbati, comes Theodoricus sive Ywanus in loco qui dicitur *Saleghem* contulerunt cum omni accessione sua, Trunchiniensi ecclesiae tanquam matri suae deinceps appendeat; si vero abbas ab ordine et consuetudine Laudunensis monasterii S. Martini deviaverit, abbas S. Martini eum bis tertiove commonebit, et si incorrigibilis permaneat, episcopus Tornacensis sub praesentia et testificatione abbatis S. Martini, et duorum ejusdem ordinis coabbatum, in ecclesia Tornacensi, absque dilatione ordinis sui, transgressorem deponet et depositum ad ecclesiam B. Martini remittet, aliumque idoneum, canonica fratrum electione et abbatis Laudunensis consilio, e vestigio subrogabit. Abbas vero S. Martini de qua praedictus locus religionis hujus sumpsit exordium, ut ordo inibi vigeat, advigilabit. Ut autem fratres quiete soli Deo vacare possint ab omni exactione tam nostra quam ministrorum illum liberum esse volumus <sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Quae sequuntur desunt apud Miraeum.

<sup>2</sup> Hanc donationem iterato confirmavit D. Johanna comitissa, anno 1243, mense julio; iterumque anno 1220, mense junio Ferdinandus et Johanna.

<sup>3</sup> Confirmat donationem Ywani ac unionem bonorum de *Saleghem* et praepositurae Trunchiniensis

## VII.

\*\* MCXXXIX. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Iwannus de *Gand*, cum plurima, nisi scripta fuerint, a memoria elabuntur et revolutione temporum in oblivione rediguntur, necesse est litteris notari, quod in postmodum expedit revivisci. Notum igitur facio tam futuris quam praesentibus, quod allodium meum in villa quam *Burst* vocant, seu quidquid juris inibi erat, excepta mancipatione servorum, ab omni nostra vel laica potestate omnimodo mancipatum, pro amplificando Dei nominis et laudis honore, ad usum fratrum Trunchiniensis ecclesiae Praemonstratensem ordinem profitentium, Deo sanctaeque Mariae genitrici suae perpetuo virgini, quae loco praefato praesidet, libere tradidi, unaque cum uxoris meae Laurettae filiae comitis Theodorici, cui quaecumque nostrae possessionis erant in dotem dederam gratuita concessione, devota petitione. Ipsum, sub praesentia et manu domini Gosuini, fratribus suis coram positus super sanctum altare Trunchinis manu propria obtuli. De feudo autem comitis, quem comes ipse concessit, petiit pariterque donavit, videlicet totum pomerium quatuor mansionibus ei adjacentibus quarum tres *Avae de Orrave*, quarta vero cujusdam *Willemi* militis mei fuere, annuatim etiam marcam argenti sive identidem valens. Terram quoque *Arnulphi Falconarii*, terramque *Gripponis* et terram quamdam paludosam, quam *Melsvelt* appellant, et haec Trunchinis. In *Wasia* vero, *Saleghem* cum circumposita terra et villula, totaque palude et duabus etiam partibus decimae quae me contingebant. *Hulst* quoque et *Hulsterloe* usque ad adjacentes parochias. Apud *Belsele* incultam terram quae jacet juxta *Pumbeke*, et juxta *Lokren* curtim cum nova terra. Insuper autem decimationem molendinorum per numerum hebdomadarum ac omnium reddituum meorum Torcungis, Trunchinis et in tota *Wasia*, tam futurorum quam praesentium. Haec, inquam, ego et praenominata uxor mea in remissionem peccatorum nostrorum subscriptae testimonio fidelium assignantes Deo libere et votive obtulimus quae praesentis paginae scripto posterorum notitiae transmittere curavimus. Actum Trunchinis anno Domini MCXXXIX, decimo calendas Octobris.

## VIII.

\* MCXXXIX. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Theodoricus, Dei gratia Flandrensium comes. Quia omnis potestas a Domino Deo est, decens et justum est ut qui ex divina liberalitate, aliqua potestate in hoc seculo sublimantur, honorantem se Dominum honorent, et ejus servitium omnimodis studeant promovere, quatenus et in futuro beatificari, et in praesenti, ipso dicente, qui honorificat me honorificabo illum, amplius mereantur honorari. Quapropter ego ad gubernaculum Flandrensium provinciae, divina gratia dispensante, vocatus, Deum qui benefecit mihi honorare, et ejus servitium pro posse meo, statui promovere. Cunctis fidelibus, tam posteris quam praesentibus, hoc scripto notificans, quod sanctae Dei genitrici Mariae in

Simon episcopus Tornacensis, eamque ecclesiam plane liberam reddit, solummodo reservans canonicam abbatum professionem et filialem obedientiam et loci ac fratrum ordinationem, et assiduas orationes tam sibi quam successoribus suis in eodem loco retinens.

Trunciniensi ecclesia et venerabili domino Gosuino abbati, fratribusque sibi in Christo commilitantibus, quaecumque illustris vir Ywanus, homo et amicus meus, ex his quae de feodo nostro possidebat, pro Dei amore, et animae suae salute eis contulit, perpetua libertate possidenda, pro remedio animae meae et parentum ac praedecessorum meorum devote concessi. Scilicet in ipsa Trunciniensi villa pomerium magnum eidem villae adjacens, et terram Arnulphi falconarii, decimationes et molendinorum et omnium reddituum praefati domini Ywani, tam in tota Wasia quam in Truncinio, vel ubicumque de nostro beneficio ab eo possessorum. In Wasia quoque locum, qui *Saleghem* dicitur, cum adjacente palude et nonnulla terra in circuitu usque ad adjacentes parochias. Praeterea etiam incultam terram juxta villam *Belsele* et apud stabulum juxta Locris eisdem fratribus ab eodem Ywano collatam. Haec, inquam, omnia quae praedictus Ywanus pro divino amore praemissis fratribus de nostro praedio contulit et a nobis conferri rogavit, ego nihilominus libenti animo, intuitu retributionis divinae, laudavi, donavi, et usibus fratrum eorundem profutura in perpetuum confirmavi, primo quidem apud *Saleghem* super sacrum altare, postremo Truncinis in domo praenominati Ywani super textum sancti evangelii, adstantibus et adstipulantibus iis, eodem scilicet Ywano et fratre ejus Radulpho castellano Brugensi, Ghiselberto castellano Bergensi, Michaële stabulario, Anselmo sculteto Yprensi, Steppone de *Wagghensele*, Viviano de Munta et aliis quam pluribus. Quod ne ulla oblivio deleat, vel aliqua injuncta violentia, vel dolosa machinatio ullo unquam tempore cassare praesumat, hanc chartam inde conscriptam sigilli mei impressione muniri praecepi. Actum Truncinis anno incarnati verbi MCXXXIX.

## IX.

\* MCXLI. Innocentius, episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Gosuino abbati ejusque fratribus tam praesentibus quam futuris, regulariter instituendis in perpetuam memoriam. Ad hoc nobis a Deo pastoralis officii cura commissa est, ut beneplacente Deo religionem laboremus modis omnibus statuere, et stabilitam ex aucta diligentia conservare. Eapropter, dilecti in Domino filii, venerabilis fratris nostri Symonis Noviomensis episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus et ecclesiam S. Mariae Trunchiniensis in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti patrocinio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem ecclesia inpraesentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant; in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: curtes et villas videlicet *Landeghem*, *Vurslaer*, *Peteghem*, *Hastene*, *Saleghem*, *Verrebrouck*, *Hulst* et *Hulsterloe*, incultam terram juxta Belselam, curtim, quae dicitur stabulum, *Burst*, pomerium, quod juxta eandem ecclesiam jacet, omnesque mansiones quae inter idem pomerium atriumque interjacent, quas Ywanus praefatae contulit ecclesiae, cum omni decimatione reddituum suorum, tam in eadem villa quam in tota Wasia. Liceat etiam vobis omni tempore divina officia celebrare, clausis januis, et exclusis excommunicatis sive interdictis, nisi abbatibus vel fratrum ipsius loci manifesta culpa exstiterit.



Si quae igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam venire temere tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit; potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius catholicae ecclesiae episcopus.

Ego Conradus Sabinensis episcopus.

Ego Gregorius diaconus cardinalis SS. Sergii et Bacchi.

Ego Albericus Ostiensis episcopus.

Ego Bernardus presb. card. tit. S. Crucis in Jerusalem.

Ego Stephanus Praenestinus episcopus.

Ego Boëtius presb. card. tit. S. Clement.

Ego Yvo presb. card. S. Laurentii tit. Damasi.

Ego GG. presb. card. tit. Callixti.

Ego Guido S. R. E. diaconus cardinalis.

Ego Reinerius presb. card. tit. S. Priscae.

Datum Laterani per manum Baronis capellani et scriptoris, X kalendas Octobris, indictione V. Incarnationis Dominicae anno MCXLI. Pontificatus vero domini Innocentii papae II, anno XII.

## X.

MCXLVI. Notum sit, quod ego Erardus, praepositus Nivellensis, instinctu divinae admonitionis, curam ecclesiae Nivellensis ac praeposituram, sane habito canonicorum fratrum meorum consensu, D. abbati Trunchiniensi Gosuino tradidi, ipsumque abbatem ego et caeteri canonici concorditer in praepositum elegimus, canonicè ac devote suscepimus, hoc siquidem constituto, ut canonici in vita sua praebendas suas, ut hactenus habuerunt, et deinceps haberent, quae ipsis obeuntibus ad manum praefati abbatis et ad fratres ejus cederent etc.

## XI.

MCXLVII. Anselmus tuis, frater Gosuine, venerabilis abbas S. Mariae Trunchiniensis ecclesiae, confratrumque tuorum justis petitionibus annuentes, ecclesiam de Nivella a clericis et regularibus hactenus possessam, liberam tibi tuisque successoribus reddimus, ita tamen ut decedentibus secularibus regulares substituantur; et ne ista redditio in posterum refragatione pravorum hominum valeat turbari, cum caeteris possessionibus quas ecclesia Trunchiniensis ab omni exactione liberis in dioecesi Tornacensi juste et canonicè possidere dignoscitur, scripto nostro et proprii sigilli impressione confirmamus, salvo jure Tornacensis ecclesiae, et

ut firma et rata permaneant, propriis exprimenda vocabulis dignum ducimus, *Peteghem, Hasten, Landeghem, Vurslaer, Verrebrouck*; Nivella, *Ansbeke*, etc. Idibus Julii.

## XII.

MCXLVII. Eugenius, episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Gosuino, Trunchiniensis ecclesiae abbati, ejusque fratribus tam praesentibus, quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Quoniam etc. Ea propter, dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus, ut supra etc. Imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus secundum regulam B. Augustini inibi constitutus futuris perpetuo temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona eadem ecclesia inpraesentiarum, ut supra etc. In quibus haec propriis duximus vocabulis exprimenda. Altare de Nivella, altare de Hansbeka, altare de *Landeghem*, altare de *Vorslar*, altare de *Peteghem*, altare de Astina, altare de *Verrebrouck*, altare de *Cherscamp*, duas etiam curtes *Burst* et *Spinait*; duas partes decimae de *Ursele*. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimento vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere praesumat. Liceat etiam vobis in communi Tornacensis parochiae interdicto etc, ut supra. Quarto calendas Augusti, anno MCXLVII, pontificatus domini Eugenii papae tertii anno tertio.

## XIII.

MCLIV. Adrianus, episcopus servus etc. Dilectis filiis Johanni, abbati Trunchiniensis ecclesiae, ejusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum effectum justa postulantibus indulgere. Vigor aequitatis et ordo exigit rationis praesertim quod potentium voluntatem et pietas adjuvat, et.... non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et ad exemplar praedecessorum nostrorum sanctae recordationis papae Innocentii et Eugenii, Romanorum pontificum, ecclesiam sanctae Mariae Trunchiniensis, in qua Dominico mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra suscipimus protectione et praesentis scripti privilegio communimus in primis, siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et B. Augustini regulam atque Praemonstratensis ordinis consuetudine in eodem loco noscitur institutum, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona eadem ecclesia inpraesentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum etc., quae in Eugenii habentur privilegio et post,.... partes decimae de Ursla addantur *Hulst* et *Hulsterloe*, *Saleghem* et incultam terram juxta Belselam, curtim quod dicitur stabulum, pomerium quod juxta eandem ecclesiam jacet, omnesque mansiones, quae inter idem pomerium, atriumque interjacent, quas Ywannus praefatae contulit ecclesiae cum omni decimatione reddituum suorum, tam in eadem villa quam in tota Wasia. Sane.... vestrorum quae propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimento vestrorum animalium, nullus a vobis decimas praesu-

mat exigere, liceat etiam vobis in communi Tornacensis parochiae interdicto etc. Decernimus ergo etc. Anno MCLIV, 6 kalendas Februarii.

## XIV.

MCLVI. Godefridus, Dei gratia sanctae Trajectensis ecclesiae electus, dilectis filiis suis Johanni abbati et fratribus ecclesiae B. Mariae Trunchiniensis tam futuris, quam praesentibus, in perpetuum apud *Hulsterloo* divina celebrandi ac sepeliendi, ut securas faciam conscientias, licentiam dilectioni vestrae concedo. Datum apud Trajectum, II kalendas Augusti, anno Dominicae incarnationis MCLVI.

## XV.

MCLX. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Amen. Ego Geraldus, Dei gratia Tornacensis episcopus, altare de *Ansbeke* cum omnibus appertinentiis suis, divinae remunerationis intuitu ab Hugone de *Rietmarasch*, qui hoc per me ad tempus tenuerat libere receptum Johanni, abbati et confratribus suis et eorum successoribus in ecclesia B. Mariae quae est in Trunchinio, Christo servientibus libere perpetuoque jure possidendum contradidi calendis Maii. Et ut haec datio perpetuis temporibus firma et inconvulsa permaneat, privilegium hoc fieri jussimus, et sigilli nostri impressione cum testium subscriptione firmando signavimus, turbatores quoque hujus doni, auctoritate Patris et Filii et Spiritus Sancti, anathematis sententiam, quam confirmet Trinitas sancta, promulgavimus. S. Geraldus Tornacensis episcopi. S. Galteri decani. S. Letberti praepositi, Letberti cantoris. S. Danielis, Galteri, Henrici Olmeri, Johannis, magistri Lamberti, magistri Gosuini, canonicorum. S. Mathei. S. Wenemari. Actum Tornaci, anno Dominicae incarnationis MCLX, calendis Maii.

## XVI.

MCLXI. In nomine S. et individuae Trinitatis. Ego Godefridus, Dei gratia Trajectensis episcopus, universis fidelibus tam praesentibus quam futuris beatae immortalitatis jucunditate perfrui. Universitati vestrae utile duximus significare quod pro salute animae nostrae et per intercessionem fidelium nostrorum, necnon pro devotione dilecti nostri abbatis Trunchiniensis, domini Walteri, licentiam ei dedimus erigendi ecclesiam in quadam nova terra, *Hengesdic* appellata. Statuimus etiam ut universus populus eandem novam terram et ei attinentem inhabitans vel inhabitaturus de sepultura, de baptisterio, imo de omnimodo jure christianitatis ibi respectum habeat, ita videlicet, ut eadem ecclesia nobis et archidiacono nostro, in cujus banno sita est, et ipsius decano quidquid juris debuerit, cum plenitudine certis temporibus persolvat. Ut autem hoc factum nostrum ratum et inconvulsum de caetero permaneat, et ut eadem ecclesia sine destructionis periculo deinceps segura permaneat, hoc quod fecimus, scripto memoriali annotare et banno corroborare curavimus: si quis vero ausu

praesumptionis hoc infringere conatus fuerit, omnipotentis Dei vindictam sustineat, et donec resipiscat anathematis sententiae indubitanter subiaceat. S. Gecelini, camerarii. S. Gecelini, decani de Hasneda. S. Henrici, magistri. S. Bonifacii. S. Willelmi, canonici de Antwerpio.

## XVII.

\* In nomine sanctae et individuae Trinitatis, ego Theodoricus<sup>1</sup> de *Alost*, quia frequenter per oblivionem, diuturnitate temporis, multa quae non facta sunt pro veris subrepunt, et quae certa fuerant, item in quaestionem veniunt, necessarium duximus posterorum notitiae scripto transmittere, unde possint in posterum spinae contentionum emergere. Notum igitur esse volumus, tam praesentibus quam futuris, qualiter abbas Walterus et canonici Trunciniensis ecclesiae terram quamdam, quae jacet in parochia de *Sonneghem* ab hominibus meis, Willelmo scilicet de *Liedekerke*, et Iwano patruo ejus, Abino quoque de *Ghisenghem*, et Sigero de Munta, viginti scilicet et octo bonaria terrae, hoc est a singulis eorum septem bonaria, singula bonaria quinque firtones argenti per manum meam emerint, et legitime acquisierint; unde, ne in posterum aliqua calumnia ecclesiae Trunciniensi possit inferri, me fidejussorem, conservatorem et defensorem hujus conventionis abbas et canonici expecterunt et acceperunt. Ne vero aliquid rationis desit huic conventioni, hanc praesentem paginam sigilli nostri impressione fecimus muniri, et testium subscriptione roborari. S. Theodorici de *Alost*. S. Walteri de *Nivella*. S. Wirici de *Dackennam*. S. Henrici de *Leda*. S. Heckeberti fratris ejus. S. Godefridi de *Ardinchem*. S. Archerici de *Merlinghem*. S. Ghiselberti de *Alost*. S. Sigeri castellani de *Alost*, etc.

## XVIII.

MCLXVI. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Philippus, Flandriae et Veromandiae comes, dilectis in Christo Waltero abbati et fratribus ecclesiae B. Mariae Trunciniensis in perpetuum. Quoniam nos, qui altiori potestate positi sumus, tanto minus aeternis intendere valemus, quanto amplius curis temporalium subjacemus, necessarium duximus illos nobis amicos facere, qui nos possunt in aeterna tabernacula secum recipere, qui tanto familiarius a Deo exaudiantur, quanto nulla mundi sarcina premuntur. Igitur cum Theodoricus, Ywani de *Halost* et Laurettae sororis meae filius, ex hac luce subtractus, morti debitum solvisset, et terra illius in manus meas devenisset, ecclesiam Trunciniensem, cujus idem Theodoricus advocatus fuerat, in meam advocatiam ac defensionem suscipiens, eam carius amplecti et bona in sustentationem fratrum ejusdem ecclesiae collata diligentius confirmare et etiam mea donatione ampliare curavi. Unde cum Gosselinus de *Ordenghem*, qui feudum

<sup>1</sup> Theodoricus Alostensis, Ywani Praemonstratensium in Trunciniensi collegio installatoris, filius unigenitus, patri, anno MCLXVI (ut probabilius habet chronicon Balduini Ninoviensis) defuncto, successit. Matrimoniali foedere junctus est Laurentiae, tertiae Balduini Hannoniae comitis filiae. Improbis obiit, anno MCLXV.

in villa de *Herpe* a domino de *Halost* tenuerat, defunctus esset, ejus filius Razo, qui hereditario jure in bona patris legitime successerat, praefatum feodum de *Herpe* in manu mea ad opus ecclesiae Trunchiniensis resignavit, et ut eidem ecclesiae in perpetuum eleemosynam darem, propensius exoravit. Ego vero pro salute animae meae, simul et pro anima Theodorici nepotis mei defuncti, dictum feodum de *Herpe*, quidquid videlicet Gosselinus de *Ordenghem* ibidem tenuerat in hominibus, in decimis, in terris cultis et incultis, in sylvis et pratis, in hospitibus et quibuscumque redditibus, et insuper quidquid in his bonis mei juris erat, libere et absolute saepe dictae ecclesiae Trunchiniensi in eleemosynam donavi; et ut in perpetuum haec donatio stabilis et firma permaneat, ad posteriorum notitiam paginam hanc sigilli mei auctoritate et testium subscriptione roboravi. S. Roberti praepositi de *Arlebeke*. S. Desiderii archidiaconi Tornacensis. S. Gerardi abbatis Ninivensis. S. Eustacii camerarii. S. Razonis de *Gavera*. S. Sigeri de *Somergem*. S. Walteri de *Sotteghem*, etc. Actum Gandavi, anno Dominicae incarnationis MCLXVI, quarto idus Junii, feria sexta.

## XIX.

MCLXXI vel forte MCLXXIII. Petrus, miseratione divina Cameracensis electus, donavimus ecclesiae B. Mariae Trunchiniensis, ad usum fratrum in ea Deo et gloriosae Virgini famulantium, altare de *Sonneghem* perpetuo habendum ac possidendum, salvo tamen jure pontificalis dignitatis et sedis Cameracensis in omnibus.

## XX.

MCLXXVII. Alardus, episcopus Cameracensis, divinae retributionis intuitu et dilecti nostri domini Desiderii, Morinensis episcopi, devoto interventu, ecclesiae Trunchiniensi altare de *Sonneghem* contulimus habendum et perpetuo possidendum, salvo in omnibus jure episcopalis sedis etc., anno MCLXXVII.

## XXI.

MCCXXII. Ego Walterus, dominus de *Nivella*, universis Christi fidelibus scriptum hoc inspecturis, notum facio quod de plenaria voluntate dilectae uxoris meae *Maroiae*, ad meum et ipsius anniversarium singulis annis in ecclesia Trunchiniensi in perpetuum observandum, divinae pietatis intuitu, eidem ecclesiae in puram eleemosynam contuli donationem capellaniae de *Nivella*, quam mei statuerunt antecessores, quae ad me hactenus pertinere dignoscebatur, libere et solute perpetuo possidendum. Ita tamen, quod memorata ecclesia mihi de uno canonico Trunchiniensi presbytero providebit, qui, sicut capellanus meus secularis usque modo consuevit, singulis diebus in capella mea de *Nivella* divinum tenebitur officium celebrare. In hujus igitur donationis meae memoriam et firmitatem, praesentem paginam conscribi feci, sigillo meo et sigillo abbatis et ecclesiae appensione ac testium subscriptione corroboratam. Testes Gosuinus prior, Walterus praepositus, Willelmus, Wal-

terus sacerdotes, Walterus diaconus, canonici Trunchinienses, Hugo, canonicus Nivellensis, Ramundus de Prato, Henricus de *Caneghem*, milites, Guillelmus, Balduinus Macer, homines mei. Actum anno Domini MCCXXII, mense Aprilis. Sigillum abbatis erat habens abbatem cum pedo in dextra, et in sinistra ad pectus admota librum, aperto capite, et in circumferentia haec erant verba : *Sigillum abbatis Trunchiniensis ecclesiae.*

## XXII.

MCCXXX. Nos frater S. dictus abbas et conventus S. Mariae de Troncinio, notum facimus universis praesentes litteras inspecturis, quod cum dominus Rogerius quondam presbyter de Bekescota, capellanus in ecclesia de Nivella, ex dono nobilis viri Walteri domini Nivellani et consensu nostro, et confirmatione domini nostri episcopi obtineret, ipsum cum omnibus praeeminentiis suis, videlicet de *Gonterghem*, de *Meilhenghem* et de *Le* decimis, retento sibi quatuor modiorum et dimidii Gandensis mensurae, quamdiu vixerit, usufructu, relictis omnibus aliis in usum capellani, quem tenetur ibidem nostra ecclesia providere. Quia vero apud *Torcoing*, in viciniore et magis congruo sibi loco, nobis redditus sex modiorum tritici paulo plus vel minus singulis annis debentur, ipsos dicto Rogerio recipiendos, quamdiu vixerit, assignavimus, et quidquid dicta quatuor modia et dimidium excesserit, annuatim secundum quod triticum dictum valebit, cedit in solutione VIII et X librarum et dimidia, quas dicto Rogerio singulis annis ecclesia nostra solvet; et si ei de dicto reddito apud *Torcoing* aliaque fiat injuria, ecclesia nostra ipsum conservare debeat indemnem, et si de dicta capellania sive ab episcopo, sive ab alio moveri contigerit quaestionem, ad monitionem nostram debet idem Rogerius venire Nivellam, ibidem in expensis propriis moraturus et jus nostrum prout poterit defensurus. Si autem dictas decimas per omnem tempestatem perire contigerit, vel per guerram, dictus dominus Rogerius damnum ecclesiae, iudicio bonorum virorum, tenebitur restaurare. Nos autem F. H. Furnensis dictus abbas et conventus, quia huic contractui interfuimus, sigillum nostrum praesenti scedulae apposuimus. Actum anno Domini MCCXXX, Furnis feria VI post octavas apostolorum Petri et Pauli.

## XXIII.

MCCXXXIII. Ego S. Dei permissione abbas B. Mariae Trunchiniensis ecclesiae totusque ejusdem loci conventus, notum facimus tam futuris quam praesentibus, quod Robertus *Woerm* de Nivella et uxor ejus Anna ab ecclesia memorata 10 bonaria terrae, parum plus vel minus, in parochia Nivellensi juxta stratam jacentia tenent in feudum, tali conditione, quod quicumque in possessione dictae terrae, ipsis ambobus cedentibus vel decedentibus, et quotiescumque suscesserit, dictae ecclesiae pro relevio vel redemptione ejusdem terrae in C solidis Flandriae et non in pluribus tenebitur obligatus. Propterea dictus Robertus, et quicumque memoratam terram post ipsum tenuerit, ad expeditionis debitum vel aliquod aliud servitium nulli tenebitur, nisi forte, ex defensione patriae communis, expeditionem fieri contigerit;

possessores etiam praedictae terrae ab omni molestatione citationis in perpetuum quitos. . . . nisi pro defendenda ecclesiae nostrae hereditate eosdem citari contigerit vel vocari. In cuius rei testimonium praesentem paginam nostrorum munimine sigillorum corroboravimus. Actum apud Trunchinienses, anno Domini MCCXXXIII, in purificatione B. Mariae. Abbas S.

## XXIV.

MCCXXXV. Johanna, Flandriae et Hannoniae comitissa, universis praesentes litteras inspecturis salutem. Noverint universi, quod cum quidam Robertus *Worm* de Nivella teneret in feudum a Balduino Macro, milite de Nivella, septem bonaria terrae jacentis in parochia de Nivella, parum plus vel parum minus, cum quadam mansura, in qua dictus Robertus *Worm* manet, in qua terra praedictus Balduinus Macer miles cum mansura a nobis tenebat in feudum: praedictus Robertus *Worm* pro remedio animae suae et antecessorum suorum praedictam terram cum mansura contulit perpetuo in eleemosynam ecclesiae B. Mariae Trunchiniensis. Hanc donationem laudamus et approbamus, salvo jure nostro quod in praedicta terra habere solebamus, quod jus nobis et successoribus nostris retinemus. In cuius rei testimonium praesentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Insulis feria V post *Invocavit me*, anno Domini MCCXXXV.

## XXV.

MCCXXXVI. Universis praesentes litteras inspecturis T. H. de *Middelborch* et B. de Castello abbas salutem in omnium Salvatore. Noverit universitas vestra quod feria IV post octavas Trinitatis apud *Middelborch*, ubi R. P. Otto, Dei gratia venerabilis Trajectensis electus, praesens erat, et nos ibidem praesentes fuimus coram ipso et audivimus, quod ipse venerabili patri S. abbati Trunchiniensi dedit licentiam quod capellam suam de *Hulsterloo*, quandocumque alicujus episcopi posset habere copiam, faceret consecrari. In cuius rei testimonium et memoriam, praesentes litteras ad petitionem dicti abbatis sigillorum nostrorum fecimus appenditione signari. Anno Domini MCCXXXVI, feria IV supradicta.

## XXVI.

MCCXLVI. Ego frater S. abbas et conventus Trunchiniensis, notum facimus quod vendimus legitime ecclesiae sororum de *Cerschamp* pro 200 libris flandrensium monetæ quaedam bona sita extra parochiam de *Cerschamp* et contigua sunt eidem parochiæ. . . . sint in aliis parochiis circumjacentibus constituta, quae spectabant ad nostram ecclesiam ab antiquo, quorum situm et nomina in praesenti scripto propriis nominibus duximus exprimenda. Sunt autem haec: *Wulputte* cum pertinentiis suis; sylvae quae dicitur *Dicht* cum particula prati adjacentis eidem; molendinum ad ventum, pratum apud Bella, redditus hospitum juxta *Cerschamp*, decima trium bonariorum terrae in *Wichele*; unum bonarium terrae in *Braxine*; quatuor bonaria terrae *Heeltwinnighen*; apud *Hertbrugge* ibidem quatuor bonaria *scoeflants*;

duo bonaria mori in *Cothevelt*, parum plus vel minus. Porro ut dicta ecclesia de *Cerschamp* sine damno et gravamine solvere possit pecuniam memoratam, in hoc utrimque consensimus, quod praedicta ecclesia recipiet omnes fructus et proventus dictorum bonorum libere et absolute, et de iisdem bonis faciet, prout utilitati et commodo suo viderit expedire, pro quibus fructibus et proventibus, quamdiu dicta ecclesia de *Cerschamp* ipsos recipiet, reddet ecclesiae nostrae annuatim 20 libras Flandrensis monetae solvendas ad tres terminos, Omnium Sanctorum et Purificationis festis, et ad clausum Pascha proxime secuturum, hoc adhibito moderamine, quod licebit dictae ecclesiae de *Cerschamp* redimere a nobis decem libris quantumlibet liberam pecuniae praetaxatae. Ita tamen quod ad quamlibet vicem non poterit ecclesiae nostrae solvere minus quam 20 libras monetae dictae. Praeterea renuntiamus plane et absolute omnibus possessionibus et universo juri ad saepe dictam ecclesiam de *Cerschamp* spectantibus, ... tantes<sup>1</sup> et ...itam<sup>2</sup> clamantes eandem de omnibus iis quae nobis in possessionibus et juribus praenotatae ecclesiae poterant competere vel competere videbantur. Actum anno Domini MCCXLVI, mense Maio.

## XXVII.

MCCXLVI. Margareta, comitissa Flandriae et Hainoniae, universis praesentes litteras inspecturis, salutem. Noverint universi, quod cum nos emimus pro certo pretio a viris religiosius dilectis in Christo, abbate de Truncinio et ejusdem loci conventu Praemonstratensis ordinis, omnes decimationes molendinorum, necnon et omnium reddituum tam praesentium quam futurorum in tota Wasia, a bonae memoriae viro nobili domino Ywano de Gandavo et uxore sua Lauretta quondam filia illustris viri comitis Theodorici ipsis abbati et conventui in elemosynam assignatas; in ipso contractu inter nos et ipsos ita convenit, quod partem pretii rerum hujusmodi remisimus eis, et ex toto quittavimus redditum decem librarum et trium denariorum monetae Flandrensis, in quibus nobis annis singulis tenebantur, pro terris videlicet et Wostinis inferius annotatis. Apud *Saleghem* pro viginti et septem bonariis et duabus mensuris, quatuor librae et tres solidi solvebantur. Item pro sex bonariis terrae *Dirkim*, octo solidi. Item pro quatuor bonariis et dimidio ibidem jacentibus, duo solidi et tres denarii.

Item apud *Holste* pro quater viginti et uno bonario, tres librae et duodecim denarii. Item apud *Peteghem* pro decem et septem bonariis et dimidio, decem et septem solidi et septem denarii. Item apud *Sonneghem*, pro quinque bonariis et dimidio, octo solidi et tres denarii. In cujus rei memoriam et robur perpetuo valiturum, praesentes litteras jam dictis abbati et conventui tradidimus, sigilli nostri appensione munitas. Actum anno Domini MCCXLVI, mense Augusto.

## XXVIII.

MCCXLVI. Johannes, Dei patientia abbas Praemonstratensis et abbatum ejusdem ordinis capitulum generale, venerabilibus et dilectis in Christo fratribus D. Grimbergensi et N. de *Mid-*

<sup>1</sup> Forte *quittantes*

<sup>2</sup> Forte *quittam*.



*delborch* abbatibus, salutem et sinceram in Domino charitatem. Causam quae inter abbatem et conventum ecclesiae Trunchiniensis ex una parte, et praepositum et sorores *Cerscamp* vertitur ex altera, vobis audiendam committimus, et, inquisita veritate, compositione vel iudicio terminandam, concedentes vobis potestatem partes praedictas ad tenendam ordinationem vestram sive iudicium censura ecclesiastica compellendi. Datum anno Domini MCCL, in translatione B. Augustini, in capitulo generali.

## XXIX.

MCCLIX. Alexander episcopus, servus etc. Dilectis filiis abbati et conventui Trunchiniensi Praemonstratensis ordinis, Tornacensis dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem. Justis potentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum, et vota quae a rationis tramite non discordant effectum prosequente complere: cum igitur sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, etc. (confirmat Ywani et Laurentiae uxoris donationem). Datum Anagninae V calendas Novembris, pontificatus sui anno V.

## XXX.

MCCLX. Alexander etc. Dilectis filiis etc., devotionis vestrae precibus inclinati, vobis auctoritate praesentium indulgemus, ut in parochiis alienis liceat vobis decimas redimere de manibus laicorum dominorum; ad id dioecesani episcopi et rectorum ecclesiarum, ad quas decimae ipsae spectant, accedat assensus, sufficienti a vobis cautione praestita, quod ecclesiis ipsis eas restituere teneamini quamcumque ab eisdem rectoribus de pretio quod pro eis dederitis vobis fuerit satisfactum. Nulli ergo etc. Datum Anagninae XVII calendas Februarii, pontificatus anno VI.

## XXXI.

MCCLXIII. Henricus, episcopus Trajectensis, ad instantiam Oliverii de Axella militis et prioris Trunchiniensis, permittit ut ecclesia de *Hincsdyc* in alium et commodiorem locum reaedificetur in loco qui dicitur *ultra voghele*, hoc tamen salvo, quod abbas ecclesiae Trunchiniensis remaneat patronus dictae ecclesiae transferendae de *Hincsdyc*; salvo quoque, quod vetus ecclesia integra relinquatur, et quod presbyter ecclesiae translatae bis vel ter ad minus in anno per se vel per alium celebret feria II post *Jubilate*.

## XXXII.

\* MCCLXIV. Universis praesentes litteras inspecturis, Gerardus de Gandavo miles<sup>1</sup>, et Elisabeth uxor ejus<sup>2</sup>, et Bernardus de *Meeren* miles<sup>3</sup>, salutem in Domino. Universitati vestrae volu-

<sup>1</sup> Gerardus de Gandavo, cognomento Diabolus, filius Sigeri II, castellani Gandavensis et Beatricis de *Houdain*.

<sup>2</sup> Elisabeth, filia Leonii, dicti de *Slote*, oppidani Gandavensis.

<sup>3</sup> Bernardus de *Meeren* ejusdem Gerardi frater, toparcha Trunchinii.

mus esse notum, quod Johannes de Capella, de nostra speciali licentia et consensu, vendidit et tradidit et werpivit legitime viris religiosi abbati et conventui ecclesiae B. Mariae de Truncinis quemdam fundum suum, jacentem in dicta villa juxta murum claustrum, prope atrium (quem cum quibusdam aliis terris a nobis Gerardo et Elisabeth in feodum tenuit, et quem nos a praedicto Bernardo cum aliis similiter in feodum tenebamus) pro pretio legitimo, videlicet decem librarum Flandrensium, dicto Johanni ex parte dictorum abbatis et conventus fideliter persoluto. Quem fundum nos praedicti Gerardus et Elisabeth uxor mea, et praedictus Bernardus, pro remedio animarum nostrarum quittavimus et quittum clamavimus ipsi ecclesiae Truncinensi ab omni censu et servitio quolibet, libere et absolute in perpetuum possidendum, nihil juris nobis et heredibus seu successoribus nostris in dicto fundo retinendo. Promittimus etiam dictae ecclesiae, quod contra praemissa, vel praemissorum aliquod, per nos vel per alium, verbo aut facto, de caetero minime veniemus, renuntiantes quoad praemissa omni juris auxilio tam canonum quam civilis. In cujus rei testimonium et munimen, praesentes litteras scribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimine roborari. Actum et datum anno Domini MCCLXIV, feria quinta ante festum S. Laurentii.

## XXXIII.

MCCLXXXIII. Martinus etc. Dilectis filiis etc., cum sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis vos et praedecessores vestri, qui fuerunt pro tempore, quibusdam privilegiis et indulgentiis, a praedecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessis, propter simplicitatem et juris ignorantiam usi non fueritis temporibus retro actis. Nos vestris supplicationibus inclinati, monasterii ejusdem indemnitati volentes in posterum praecavere, utendi de caetero eisdem privilegiis et indulgentiis, dummodo eis non sit per praescriptionem vel alias legitime derogatum, auctoritate vobis praesentium concedimus facultatem. Nulli ergo etc. Datum apud Urbem Veterem XII calendas Februarii, pontificatus nostri anno III.

## XXXIV.

MCCCXLIII. Wy Jan, by der ghenaden Ons Heere, abt van de kercke van Dronghene, doen te wetene alle den ghenen die dese letteren sullen sien oft hooren lesen, dat wy hebben ghegheven Arnoude Velevens, Daniel Velevens zone, en Margrite ziere suster, te haerer breeder lieve omme 21 schellinghen parasys onse geldtdommaghie die wy hebben in de prochie van Landeghem op vive ghemeten ende 14 roen landts, 't welck landt Jan Velevens, Daniels vader voorschreven placht te hauden van den welcken vyve ghemeten en 14 roeden landts voorschreven liggen 100 roeden bachten jane best; item daer neffens gheheeten de strepe 400 roeden en 18; item, beneden de kercke een bunder en 48 roeden, de welcke 21 parasys voorschreven Aernaut Velevens, ende Margariete syn sustere ons hebben gheloft te gheldene van jare tot jaere ten elcken kersavonde tot den eynde van haere pachte. In kenlyckhede der waerheden etc., dit was ghedaen in het jaer Ons Heeren, doen men schreeft duyst dryhondert en dry en veertigh, saterdagh naer S. Matthys dagh.

## XXXV.

MCCCCXVI. Petrus, permissione divina Praemonstratensis abbas, venerabili nobis in Christo fratri abbati monasterii Trunchiniensis nostri ordinis Praemonstratensis, salutem et sinceram in Domino charitatem. Cum pro conservatione sacrae religionis Praemonstratensis ordinis sancta sedes apostolica praelatos canonicos caeterasque personas nostri Praemonstratensis ordinis illis duntaxat qui pro tempore parochiales regunt ecclesias, qui solum respondere tenebuntur ordinariis de iis quae curam concernunt animarum ab omni dominio, jurisdictione et potestate ordinariorum quorumcumque duxerit eximendos, et non obstante quod synodus sit principalis jurisdictio episcopi, a qua virtute dictae exemptionis sunt exempti, nihilominus sedes ipsa pro vitandis inquietationibus et argumentis, voluit quod dicti praelati canonici caeteraque personae praedictae praefatis ecclesiarum parochialium rectoribus in synodis minime tenerentur comparere. Vobis in virtute sanctae obedientiae firmiter et districte praecipiendo, mandamus quatenus in episcopalibus synodis nullatenus comparere praesumatis, quod si secus praesumpseritis taliter, providebimus quod caeteris cedet in exemplum. Datum Praemonstrati, anno Domini MCCCCXVI, XIV Octobris. Subsignatum, J. TANPET.

## XXXVI.

MCCCCXXVI. Johannes permissione divina Praemonstratensis abbas, et abbatum ejusdem ordinis capitulum generale venerabilibus nobis in Christo fratribus S. Martini Laudunensis, et Trunchiniensis nostri Praemonstratensis monasteriorum abbatibus, salutem et sinceram in domino charitatem. Vobis et vestrum cuilibet a virtute S. obedientiae firmiter et districte praecipiendo mandamus, et tenore praesentium committimus, quatenus vos ambo simul, vel alter vestrum, assumpto secum aliquo nostri ordinis zelatore praelato, solius Dei timorem habendo prae oculis, hoc anno visitetis, tam in capitibus, quam in membris, tam spiritualibus, quam temporalibus, cunctas ecclesias nostri Praemonstratensis ordinis in circaria Flandriae constitutas, corrigentes et reformantes in eisdem, quae secundum Deum ac privilegia et statuta nostri praefati ordinis correctione ac reformatione reperitis indigere, ac ad immediate nostrum sequens generale capitulum, quae fuerint referenda, referentes. Insuper in virtute qua supra vobis praecipimus ac mandamus quatenus omnes et singulos praelatos dictarum circariarum compellatis, et per poenas statuti, si videritis expedire ad solvendum vobis tallias seu contributiones ordinis anni praesentis et praecedentium, de quibus sufficientes quitantias non ostendent; contradictores si qui fuerint ac rebelles, censuram ecclesiasticam compescentes, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Quantum autem ad praemissa et eadem concernentia, vobis damus nostram plenitudinem potestatis. Datum Massinae sub sigillo nostri generalis capituli. Anno Domini MCCCCXXVI, die XIV Novembris, sedente nostro capitulo generali.

## XXXVII.

MCCCCLXII. Pius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Petri prope

Gandavum et S. Petri Lovaniensis, Tornacensis et Leodiensis dioecesis ac Cameracensis ecclesiarum decanis salutem et apostolicam benedictionem. Militanti ecclesiae, licet immeriti, disponente Domino, praesidentes, circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solertia reddimur indefesse solliciti, ut, juxta debitum pastoralis officii, eorum occurramus dispendiis, et profectibus, divina cooperante clementia, salubriter intendamus.

Sane dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii B. Mariae Trunchiniensis, sedi apostolicae immediate subjecti, ordinis Praemonstratensis, Tornacensis dioecesis, conquestione percepimus, quod nonnulli archiepiscopi, episcopi, alique ecclesiarum praelati et clerici ac ecclesiasticae personae tum religiosae tum seculares, necnon duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laici, communia civitatum, universitates oppidorum, castellorum, villarum et aliorum locorum, et aliae singulares personae civitatum et dioecesium et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra, villas, et alia loca, terras, domos, possessiones, jura et jurisdictiones, necnon fructus, census, redditus et proventus dicti monasterii et nonnulla alia bona mobilia et immobilia spiritualia et temporalia ad abbatem et conventum ac monasterium praedictos spectantia, et ea detinent indebite occupata, sed ea detinentibus praestant auxilium, consilium vel favorem. Nonnulli etiam civitatum, dioecesium et partium praedictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non reformidant, iisdem abbati et conventui supradictis spectantibus multiplices molestias et injurias inferunt ac jacturas: quare dicti abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut, cum eisdem valde reddatur difficile, pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, detentores, praesumptores, molestatores et injuriatores hujusmodi, tali volentes eisdem abbati et conventui remedio subvenire, per quod compescatur eorum temeritas, et alius aditus committendi similia praeccludatur, discretioni vestrae per apostolica scripto mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus eorum, per vos vel alium seu alios, etiamsi sint extra loca in quibus deputati ejus conservatores et iudices praefatis abbati et conventui, effeceritis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eisdem supra iis, et quibuslibet aliis bonis et juribus ad abbatem et conventum ac monasterium praedictos, spectantibus ab iisdem vel quibusvis aliis indebite molestari vel eis gravamina seu damna vel injurias irrogari, facturi dictis abbati et conventui, cum ab eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requisiti de praedictis et aliis personis quibuslibet super restitutione hujusmodi castrorum, villarum, terrarum et aliorum locorum, jurisdictionum, jurium et bonorum mobilium et immobilium, reddituum quoque ac proventuum et aliorum quorumcumque bonorum necnon de quibuslibet molestiis, injuriis aut damnis praesentibus et futuris, in illis videlicet, qui judicalem requirunt indaginem, summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii; in alios vero, prout qualitas eorum exegerit justitiae complementum, occupatores seu detentores, praesumptores, molestatores et injuriatores hujusmodi, necnon contradictores quilibet et rebelles cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, quandoque expedierit auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus (litteris) tam felicis recordationis Bonifacii papae VIII, praedecessoris nostri, in quibus cavetur ne aliquis extra suam civitatem et dioe-

cesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a sede deputati praedicta extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii, sive aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam diaetam a fine dioecesis eorumdem trahere praesumant, dummodo ultra duas diaetas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, seu quod de aliis quam de manifestis injuriis et violentiis et aliis, quanti iudicalem requirunt indaginem, poenis in eos si secus egerint, et in id procurantes adjectis, conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a praedecessoribus nostris romanis pontificibus, tam de iudicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis edictis quae nostrae possent in hac parte jurisdictioni aut potestati ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu de aliquibus communiter et divisim a praedicta sit sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, et eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem a qualibet alia indulgentia dictae sedis generali seu speciali, cujuscumque tenoris existat per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam vestrae jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Caeterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico praepeditus quandoque a data praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis coeptis et non coeptis praesentibus et futuris perpetua potestas et jurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis praesentibus et futuris ac pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, et jurisdictio vestra et cujuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum exstitisset, constitutione praedicta super conservatoribus et alia qualibet in confratrum edita non obstante, praesentibus, perpetuis, futuris, temporibus duraturis. Datum in abbatia S. Salvatoris Clusinensis dioecesis, anno incarnationis Dominicae MCCCCLXII, XVI kalendas Augusti, pontificatus nostri anno IV.

## XXXVIII.

MCCCCLXXIII. Nostras devenit ad aures quod lis quaedam magna orta sit inter fraternitatem vestram et dilectum nobis in Christo fratrem dominum Rolandum, Jettensis monasterii abbatem, ex causa pensionis vestrae supra dicto monasterio. Pro cujus solutione eum nisi estis, extra ordinem, in causam trahere et ad alios dictae vestrae controversiae cognitionem devolvere, derelictis atque postpositis me patre vestro aliisque dicti ordinis abbatibus, unde satis miror. Qua de re, dilecte frater, vestrae jam scribo fraternitati; hunc omittatis procedendi modum, et sane consulta: post haec tempora gaudebit omisisse. Potest nempe vestrae fraternitatis controversia per nos aut alios dominos et amicos utriusque bene sedari absque iudicis inter-

pellatione. Quod si non possit, sunt in ordine iudices, et capitulum propter talia, ut scitis, celebratur generale. Praebet et offert ipse dominus Rolandus vobis in dicto monasterio locum habitationis una cum praebenda decenti, solvendo pro fraternitate vestra grossam taxam seu illam a dicta vestra pensione defalcandam, et quod ultra habebitis recipere, vestrae assignabitur fraternitati, ad tales quos voletis eligere colonos recipiendum. Sicque non erit opus aliquid ab eo de caetero expetere, et cessabunt quaestionum materiae. Videtur hic modus laudabilis quem videte. Vero visis currentium temporum expensis inevitabilibus et modica dicti Jettensis monasterii receptione, respuere non deberetis seu refutare. Acquiescite ergo huic nostro consilio, aut alias nostro in capitulo generali rem habebimus detegere, ut de provisionis remedio per nos omisso non redarguamur, et si quovis modo vestrae poterimus fraternitati fore subsidio, libenti corde studebimus adimplere, favente Altissimo, qui vestram dirigat fraternitatem et votive conservet. Ex Trunchinio XXVII mensis Martii. Ejusdem vestrae fraternitatis fautor et amicus, Galterus, monasterii Trunchiniensis humilis abbas. In dorso : Venerabili in Christo domino Johanni, monasterii Jettensis ordinis Praemonstratensis nuper abbati, fautori suo praecarissimo.

## XXXIX.

MCCCCLXXXIII. Reverendo in Christo patri et domino Ferrico, miseratione divina cardinali, tituli S. Vitalis et episcopo Tornacensi, vel ejus in spiritualibus vicariis generalibus, Galterus permissione divina abbas monasterii Trunchiniensis ordinis Praemonstratensis vestrae dioecesis, reverentiam debitam et devotam. Dilectum nobis in Christo fratrem et canonicum nostrum Willelmum *Hungs* praesentium exhibitorum vobis transmittimus per nos examinatum, humiliter supplicantes, quatenus si hoc instanti sabbato post festa Pentecostes sacros ordines vos celebrare contigerit praedictum fratrem nunc subdiaconum ad ordinem diaconatus pro Dei amore promovere dignemini et velitis. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appositum. Anno Domini MCCCCLXXXIII, tertio die mensis Maii.

## XL.

MCCCCLXXXV. Venerandi patres, sicuti hesterna die vobis scripsimus, casu quo dominus Walterus *Bolyn* tunc agonyzans ab humanis decederet, quod eo tum in vestrum abbatem dominum Geerardum *Van Steelant* eligeretis et acciperetis. Nos jam nunc certiorati de morte ipsius domini Walteri, iterato vobis scribendum duximus, injungentes quatenus praefatum dominum Gerardum, quem ut successores fundatorum vestri monasterii vobis nominamus et praesentamus, et quem scimus discretum, virtuosum, boni regiminis virum, omnique exceptione majorem, et sic hujusmodi praelaturae praeferendum eundem dominum Gerardum *Van Steelant* in vestrum abbatem eligatis et assumatis, omni exceptione semota, cessantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Ex oppido nostro Gandensi, sedecima Julii, agente anno LXXXV. Subscripserat manu propria MAXI.

## XLI.

MCCCCXCV. Wy Willem Hungs, by der gedooghe Ons Heeren oodtmoedigh abt van Onser Vrouwen kerecke ende clooster van Dronghen ende ghemeen en couvente van het order van Premonstreyt, etc., doen te weten allen den gheenen die 't aengaet saude moghen metten rechte, dat een iegelyck goet kersten mensche schuldigh is te ghedencken alle de zalighe zielen van deser weireldt gescheeden met devote ghebeden ende iaerghetyden, ende by specialen de zielen daer af ons aldermeest deught ende profyt achterghebleven is, midts welcken wy overpysende ende considererende de groote bystant, deught ende eere die ons ghedaen is gheweest by onsen rechten oom ende voorsaet abt, heer Wauter Boullyn, saligher ghedynckenissen, oock 't schoone conquest, dat hy in synen tyde ende staete wesende geconquesteert heeft eeuwelyck ende erfelyck ten behoeve van ons ende onsvoornoemde clooster alsoo blyckt in ons martyrologie hebben voor syn iaerghetyde en saligher gedenckenisse beygheleyt ende ghegheven onsen infirmitorien nu ende ten eeuwighen daeghe de somme van 10<sup>o</sup> t'iaers, de welke wy bewysen ende assigneren iaerlycx te heffen ende te ontfanghen op onse voorseyde cloosters, by den voornoemden onsen voorsaet geconquesteert goedt, genoemt Thiende Vry, liggende in 't land van Nevele, in de prochie van Nevele ende Landeghem, groot wesende elf bunderen of daer ontrent.

Insghelycx ghedenckende de deught ende beenfaiten van onsen lesten voorsaet abt H. Raso Goetgebuer, hebben voor syn iaerghetyde ende saligher devote gedynckenisse toegheleyt ende ghegheven, toeleggen ende gheven onser voornoemde infirmitorie nu en ten eeuwighen daghe de somme van 5<sup>o</sup> t'iaers, de welke wy bewysen en assigneren iaerlycx te heffen en te ontfanghen op ons voorseyt cloosters ontfanck van Saleghem streckende in 't land van Waes, in de prochien van S. Gillis, Vrasene en Verrebrouck. Ende om dat dese ieghenwoordighe ghiften ende eeuwigh beset soude blyven goedt, vast, ghestadigh ende wel ghehouden van ons ende onse naercommende abten, soo authoriseren wy ende maecken machtigh den ontfangher vander selve infirmitorie, midts desen *onsen letteren*, of onsen pachter van Thiende Vry te bedwingen wettelyck tot de iaerlycksche betaelinghe van 10<sup>o</sup>; ende insghelycx onser ontfangher van Saleghem tot 5<sup>o</sup>, etc. In kennisse der waerheydt, soo hebben wy ons zeghels hier toe gecostumeert ende gheuseert aen doen hanghen den xx<sup>sten</sup> dagh van September in 't iaer Ons Heeren MCCCCXCV.

## XLII.

MDXL. Paulus papa tertius Petro Block, ne ex cessione dispendium pateretur, hanc ei gratiam facere voluit ad corporis sui ac dignitatis sustentationem: assignavit ei cameram abbatialem cum omni suppellectili et utensilibus quibuscumque, necnon omnes et singulos fructus, redditus et proventus de Sleehaghe, de Asselt, de Halewyn, Cautere et aliarum terrarum et decimarum in Dronghen, Landeghem, Peteghem, Burst, Bambrughe, Bareghem et Herpe parochialium ecclesiarum parochiis Tornacensis et Cameracensis dioecesis respective jacentium et consistentium, ac ad dictum monasterium legitime spectantium et pertinentium, necnon

sextam partem fructuum ex receptoria superiori de *Saleghem* nuncupata, dummodo illae omnes ac camerae abbatiales, necnon fructuum, reddituum et proventuum praedictorum valor annuus, tertiam partem fructuum, reddituum et proventuum monasterii non excedant, in proprios istius usus et utilitatem omnes hosce proventus convertere poterat, ita quod desuper per eundem dominum Aegidium aut successores suos ipsius monasterii abbates pro tempore existentes, seu quoscumque alios nullatenus molestari, impediri seu perturbari posset; nec de creditis et aliis per eundem administratis alicui rationem reddere tenebatur. Sed ab omni superioritate Aegidii et successorum praedictorum penitus exemptum declaravit, et si quis eundem molestari quomodolibet auderet, eundem, per censuram ecclesiasticam, appellatione omni postposita, compesci voluit, non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis aut monasterii. Datum Romae MDXL, quinto nonas Martii.

## XLIII.

MDLIII. Aegidius, permissione divina humilis abbas ecclesiae seu monasterii B. Mariae Trunchiniensis, ordinis Praemonstratensis, Tornacensis dioecesis, dilecto nobis in Christo filio domino Sebastiano *Hecke*, religioso professo dicti monasterii, necnon curato ecclesiae parochialis de *Nevele* dictae dioecesis, salutem in Domino. Cum jamdudum inter nos ex una, et reverendissimum dominum episcopum Tornacensem seu ejus in spiritualibus vicariis spiritualibus ex altera partibus, lis pendeat indecisa in magno consilio Mechliniensi super resignatione dictae curae de *Nevele*, eaque ratione moti, saepius super ea a nobis interpellati, curam animarum vobis dare denegent, non sine magno gregis vestri periculo, cumque eo casu nobis id ipsum agere auctoritate apostolica concedatur in hac parte concessa, vobis licentiam concedimus et facultatem dictae parochialis ecclesiae in divinis laudabiliter deserviendi, curam animarum parochianorum dictae ecclesiae vobis committentes per praesentes, usque ad nostram revocationem aut donec aliud desuper R. D. episcopus aut ejus in spiritualibus vicarii generales id ipsum vobis concedant. Datum in monasterio nostro Trunchiniensi sub sigillo nostro ad causas, anno a nativitate Domini MDLIII, mensis vero Martii penultima.

## XLIV.

MDLIV. Reverendissimo in Christo patri ac domino D. Carolo *De Croy*, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Tornacensis, seu ejus in spiritualibus vicariis generalibus. Aegidius, permissione divina humilis abbas ecclesiae seu monasterii B. Mariae Trunchiniensis juxta Gandavum, ordinis Praemonstratensis, vestrae Tornacensis dioecesis, obedientiam debitam cum reverentia pariter et honore. Ad parochialem ecclesiam Trunchiniensem dictae Tornacensis dioecesis cujus praesentatio ad nos, ratione juris patronatus dicti nostri monasterii, collatio vero et alia provisio ad vos, quoties eam vacare contigerit, pertinere dignoscitur, nunc vero liberam et vacantem per simplicem resignationem religiosi viri et domini D. Johannis de *Vinea* nostri concanonici ac praedictae ecclesiae ultimi ac novissimi professoris ac rectoris in



manibus nostris sponte factam, et per nos gratiose admissam, dilectum nobis in Christo fratrem Livinum *Baers*, presbyterum dicti monasterii, religiosum expresse professum, tanquam habilem et idoneum ad eandem parochialem ecclesiam obtinendam vestrae R. P. aut vobis dominis vicariis supradictis tenore praesentium praesentamus, supplicantes obnixè quatenus praefatam parochialem ecclesiam eidem fratri Livino presbytero cum juribus et pertinentiis suis universis conferre dignemini ac velitis absenti, tanquam praesenti, investiendum eundem, nihilominus de eisdem inducentes seu induci mandantes praefatum dominum Livinum, seu procuratorem ejus legitimum pro eo in corporalem, realem et actualem possessionem dictae parochialis ecclesiae juriumque et pertinentiarum suorum omnium et singulorum, adhibitis solemnitatibus in similibus adhiberi solitis et consuetis. In cujus rei testimonium praesentes exinde confici et per secretarium subsignari sigillique nostri jussimus et fecimus appensione communiri. Datum et actum in aula nostra abbatiali dicti nostri monasterii, anno Domini MDLIV, mensis vero Junii quindecimo. Ex mandato antedicti reverendi D. abbatis Trunchiniensis, J. Croesius secretarius.

## XLV.

MDLVI. Illustrissimo Trajectensi, etc., seu ejus in spiritualibus vicario generali N., permissione divina humilis abbas ecclesiae seu monasterii B. Mariae Trunchiniensis, juxta Gandavum, ordinis Praemonstratensis, Gandavensis dioecesis, reverentiam debitam cum honore ad parochialem ecclesiam de S. Pauli *poldere* vestrae Trajectensis dioecesis, ad nostram praesentationem, collationem et provisionem, ratione juris patronatus dicti nostri monasterii, vestramque institutionem spectantem et pertinentem, nunc vero liberam et vacantem per obitum seu mortem religiosi viri et domini fratris Nicolai *Baers*, dictae ecclesiae ultimi professoris ac rectoris, dilectum nobis in Christo fratrem Carolum *Ligne* etiam dicti ordinis Praemonstratensis religiosum et professum, tanquam habilem et idoneum ad eandem ecclesiam R. V. D. aut vobis D. suo vicario seu vicariis supradictis tenore praesentium praesentamus, supplicantes quatenus eundem fratrem Carolum presbyterum ad ecclesiam hujusmodi admittere ipsumque instituere in eadem cum juribus et pertinentiis suis universis dignemini ac velitis; inducentes seu induci mandantes eundem supradictum dominum Carolum seu ejus legitimum procuratorem pro eo in corporalem, realem et actualem possessionem praedictae ecclesiae juriumque et pertinentiarum suorum omnium et singulorum, adhibitis solemnitatibus in similibus adhiberi solitis et consuetis. In cujus rei testimonium praesentes exinde confici et per secretarium nostrum subscribi et subsignari sigillique nostri jussimus et fecimus appensione communiri. Datum et actum in aula abbatiali dicti nostri monasterii sub anno Domini MDLVI, mensis Junii vero decimo nono. Aegidius, etc. De mandato antedicti R. D. abbatis Trunchiniensis, J. Croesius, secretarius.

Titulus vero erat : Venerabili circumspectione viro ac domino D. archidiacono Trajectensi in ecclesia, seu ejus in spiritualibus vicariis.

## XLVI.

MDLXVIII. Cornelius, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Gandavensis, cum Dei beni-

gnitate ad dignitatem episcopalem Gandavensem promoti possessione subsecuta introitum nostrum personalem ad episcopatum Gandensem eundem, die Mercurii proxima nativitati B. Mariae Virginis sacra, circa horam VII mane solemniter celebrare, Deo propitio, decreverimus, nobisque adfuturi sint, uti speramus, sex in hac sacra inauguratione clericatus nostrae dioecesis, aliique per nos convocati, hinc est quod nos P. V. praesentium tenore obnixè rogatam volumus, quatenus sua praesentia in pontificalibus eundem nostrum introitum seu introductionem condecorare, nosque cum aliis ad ecclesiam nostram cathedralem deducere et comitari dignetur; Deum orantes; ut S. P. V. conservet in sua gratia. Actum III Septembris MDLXVIII. — CORNELIUS JANSENIUS, *episcopus Gandensis*.

## XLVII.

MDLXXIV. Reverende in Christo pater, religiosi domus Middelburgensis, qui post factam deditionem civitatis evaserunt, gubernatori<sup>1</sup> supplicarunt<sup>2</sup> ut de monasteriis ad quae mitterentur illis curaret prospectum; ejus mandato, cujus transumptum hic insertum mittimus, quia aequum postulat, quamprimum parere volumus, et ut maxime commodum fuit, diversis monasteriis diversos religiosos adscribendos duximus. Vobis itaque duos praesentium latores mittimus, ut vestrae domus religiosis adjungantur, cum quibus sub eadem disciplina contineantur. Exigit enim charitas ut aliorum sublevemus necessitatem, sicuti nobis subveniri desideraremus, si in similem nos incidere contingeret. Dominus Deus V. R. P. suo gregi diu servet incolumem. Floreffiae, tertio Martii MDLXXIV, stylo Namurcensi. Inferius subscriptum V. R. P, confrater Wilhelmus, abbas Floreffiensis. In dorso sic scriptum: R. in Christo patri et D. abbati monasterii Trunchiniensis, prope Gandavum.

<sup>1</sup> Dom Louis de Requezens.

<sup>2</sup> Supplicant suae excellentiae R. religiosi prior, praepositus totusque conventus abbatae Middelburgensis ut sua excellentia scribat ad R. abbatem Floreffiae, ordinis Praemonstratensis per inferiorem Germaniam primatem, quatenus religiosos abbatae praedictae distribuat et collocet per sui ordinis diversa monasteria. Habeatur ratio R. patrum D. prioris Cornelii a *Scoenhooven* et Lamberti *Scellinck* praepositi, qui ante episcopatum commendati fuerunt ad praelaturam, et quos tanquam praelatos coluit R. episcopus Middelburgensis pie recordationis, ut honorifice tractentur in abbatiis, ubi disponentur ab abbate Floreffiae, et in adjumentum vicarii et oeconomi atque dispensatoris honorum abbatae constituentur Antwerpiae prior et praepositus, vel saltem praepositus.

## NOMINA, OFFICIA, ET AETAS VITAE ET PROFESSIONIS RELIGIOSORUM.

ANTVERPIAE . . . . .	{ F. Cornelius a <i>Scoenhooven</i> sacerdos et prior, annorum 51. Profess. 1544. F. Lambertus <i>Scellinck</i> Delphensis sacerdos et praepositus, annorum 51. Profess. 1540.
VICONIAE . . . . .	{ F. Martinus <i>Hasselt</i> sacerdos et supprior, annorum 33. Profess. 1565. F. Johannes a <i>Naelewyk</i> . sacerdos et cappel. <i>Vlissingen</i> , annorum 33.
GRIMBERGIS . . . . .	{ F. Johannes a Lovanio sacerdos. F. Lambertus <i>Hamael</i> sacerdos.
PARCQ . . . . .	{ F. Walterus a <i>Wycke</i> sacerdos. F. Martinus <i>Westcappen</i> sacerdos.

## XLVIII.

MDLXXIV. Universis et singulis praesentis procurationis seriem inspecturis, Livinus humilis abbas ecclesiae B. Mariae Trunchiniensis juxta Gandavum, ordinis Praemonstratensis, Gandensis dioecesis, salutem in domino. Notum facimus per praesentes quod nuper nobis indicatum esset quod R. in Christo pater et D. Cornelius Jansenius, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Gandensis, suam dioecesanam synodum in ecclesia cathedrali S. Bavonis, feria II altera decollationis Johannis Baptistae, III scilicet Augusti, anni MDLXXIV, annuente Altissimo, celebrare intendat. Nos Livinus abbas, ad plenum confisi de diligentia et legalitate providorum ac discretorum virorum D. Gerulphi *Borluyt* nostri religiosi, et magistri Anthonii *Willems* nostri secretarii, eosdem et eorum quemlibet in solidum fecimus, constituimus et ordinavimus nostros veros, legitimos et indubitatos procuratores etc., ut in dicta synodo nostro nomine et dictae nostrae ecclesiae, ubi et quando expediens fuerit et opportunum videbitur, compareant; ibidemque quod nos nostraque ecclesia sumus jurisdictione ejusdem episcopi, patris et Dom. episcopi Gandensis exempti, et quod suis constitutionibus non possimus quovis modo ligari proponent et allegabunt: quodque nihil in hujusmodi synodo agi, tractari aut statui debeat, quod vergat in nostrum nostraeque ecclesiae Trunchiniensis, seu etiam ordinis Praemonstratensis exemptionum et privilegiorum ejusdem praedictum vel derogationem, et quatenus idem fiat, etiam de appellacione protestabuntur. Audient tamen et fideliter referent quae inibi agentur et ordinabuntur, dictis juribus nostris in omnibus et per omnia semper salvis et illaesis permanentibus, in cujus rei testimonium etc. Datum in aula nostra abbatiali Trunchiniensi MDLXXIV, mensis Augusti XXVIII.

## XLIX.

MDLXXVIII. Universis et singulis praesentium dimissoriarum seriem inspecturis pariterque audituris, Livinus *Baers*, permissione divina humilis abbas monasterii seu ecclesiae B. Mariae Trunchiniensis, Gandensis dioecesis, ordinis Praemonstratensis, salutem. Cum de religiosis peregrinantibus, potissimum vero iis, qui dissimulato aut mutato incedunt habitu, sinistra

TONGERLOO . . . . .	{ F. Matthaeus ab <i>Eersel</i> sacerdos. F. Johannes de <i>Haese</i> sacerdos.
DRONGHEN . . . . .	{ F. Judocus <i>Minne</i> sacerdos. F. Jacobus ab <i>Hooghstraeten</i> diaconus.
FURNIS . . . . .	{ F. Andreas ab <i>Herck</i> diaconus. F. <i>Jaspaer de la Torre</i> subdiaconus.
FLOREFFIAE . . . . .	{ F. Johannes <i>Walteri</i> . F. Johannes <i>Scutteput</i> .

Tempore obsidionis in abbacia Middelburghensi mortui sunt undecim religiosi, praeter sacerdotes quos in oppido Brila haeretici occiderunt, et praeter eos qui pridem in sui ordinis coenobiiis collocati sunt, denique praeter eos qui in Hollandia adhuc serviunt ecclesiis suis parochialibus. Ante praedictorum ex Zelandia exitum, collocati sunt Ninivae:

F. Petrus *Malcotius* sacerdos.

F. Petrus *Byl* sacerdos.

plerumque oriri soleat suspicio, nisi praelatorum suorum fulciantur testimonio, hinc est quod nos praesentium tenore attestamur F. Judocum *Sterck* ejusdem ordinis Praemonstratensis ac coenobii religiosum expresse professum sacerdotem, nec non virum esse singulari doctrina pietateque praeditum, hactenus sine ulla reprehensione conversatum, qui summa cum laude vitaeque exemplari, abhinc triennio et eo amplius, prioratus officio functus est. Nunc autem propter subitam in Belgio mutationem omnibus satis notam, qua nos nostrisque religiosi extra monasterium constituimur et ejusdem redditibus proventibusque carere tenemur. licentia nostra ac permissu quietiorem habitationis locum alibi quaerere posse, quocirca omnes et singulos nostri Praemonstratensis ordinis praelatos, inter eos nominatim R. D. Praemonstratensem ac R. D. abbatem Laudunensem, coenobii nostri patrem abbatem, aliosque ad quos divertere contigerit, per viscera misericordiae Dei nostri obsecramus, quatenus eundem (extrema hac necessitate perspecta) benigne suscipiant ac tractent, mercedem a summo omnium bonorum largitore, Deo summo, cum fenore olim recepturi. In rei testimonium praesentes hasce etc. Anno Domini MDLXXVIII, mensis vero Octobris XXVIII.

## L.

MDLXXVIII. Myn heeren de edele ende notabele der stede van Ghendt regaert nemende op de redenen in dese requeste vermelt consenteren de suppiante de vercoopinghe van de materiaelen daer by verclaert omme men de penninghen dan of procederende te doene de reparatie noodigh wesende totter wooninghe van de minister ende syne menagie. Actum in't collegie van myn voornoemde heeren den 29 Feb. 1578. Onder stont. Rogier Keysere.

## LI.

MDLXXVIII. Etsi, dilecte confrater, vix animus vel otium esset tuis litteris respondere propter varias tum occupationes, tum etiam molestias, quibus fere obruimur ex venditione omnium mobilium monasterii, omittere tamen non potui quin saltem paucis litteris tuis responderem, ne propter susceptionem rumoris de nobis quid minus vel amplius quam res est, excogites, timeas vel suspiceris. Itaque jam omnes sumus monasterio nostro interdicti. Quisque vero suis cohabitans consanguineis in habitu seculari. Illud autem contigit omnibus in civitate monasticis personis utriusque sexus, sed nihil molestiae quoad corpus hactenus pertulimus (laus Deo!). Quid tamen deinceps fiet nescimus, Deus novit, nimirum an taxam vitae nostrae necessariam recipiemus ab ipso magistratu vel a R. D. N. necne? aut civitate expellemur (sicut frequens hic sermo est) necne? Ubi quid de eo definitum fuerit reddam te certiolem. R. vero D. N. jam brevi missurus est pecunias et litteras. Sed quid de pastore nostro scribam ignoro, nam ille abhinc octiduo ab haereticis persecutus in fugam conversus est, quoniam ignoratur, ita ut R. D. N. miretur nihil litterarum scribere. Scias etiam velim maximam pecuniae summam magistratui oblatam, ne quemadmodum alia monasteria nostrum exspoliaretur. Hic paucis vale. Raptissime Gandavi, quarto Septembris MDLXXVIII. Tuus confrater Franciscus *Schauteet*. In dorso: Charissimo confratri suo domino Michaëli de *Ghier*, Duaci.

## LII.

MDLXXVIII. Wy Lieven, oodtmoedigh abt, midtsgaders Joos Sterck prior, Jan Meensens supprior en François de Moor circator van der kercke ende cloostere van Dronghene, vervanghende 't geheel couvent, doen te weten en metten kennelick dat wy vut consideratien van de goede diensten die ons ende onsen voorschreven couvente ghedaen heeft Lowys Vander Straten van syn kyntsche daghen af tot hedent date deser, hebben den selven toeghelaeten ende gheaccordeert een thiendecken ghelegghen in de Keushouck syn leven lanck gheduerende sonder meer, om synen zoone Lieven myn peter daer mede ter scholen te hauden; ende dit voor recompense van syn voorschreven diensten. In teecken der waerheyt hebben wy dese met onsen ghecostumeerde handteeckenen geteeckent desen, XIII van Julii MDLXXVIII. Soo ist Lieven oodtmoedigh abt van Dronghen. F. Judocus Sterck, prior. F. Jōhannes Meensens, supprior. F. Franciscus de Moor, circator.

## LIII.

MDLXXXIV. In nomine Domini, amen. Tenore praesentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno a nativitate Domini MDLXXXIV, indictione duodecima, mensis vero Augusti die secundo, pontificatus SS. in Christo patris et domini nostri D. Gregorii, divina providentia papae XIII, anno tredecimo, in mei notarii publici testiumque infra scriptorum praesentia, praesentes et personaliter constituti devoti in Christo et religiosi viri domini Johannes *Meensens* supprior, Gerulphus *Borluut*, Dionysius *Sturtewaghen*, Franciscus *Vanden Bossche*, Guilielmus *Fransman*, Franciscus *Schauteete*, presbyteri religiosi professi ecclesiae seu monasterii B. Mariae Virginis, loci Trunchinii, ordinis canonicorum regularium divi Augustini, congregationis Praemonstratensis, dictae congregationi Praemonstratensi immediate subjecti, Gandavensis dioecesis, partem saniozem et seniozem totius conventus sive capituli dictae ecclesiae et monasterii facientes et repraesentantes ( Livino de *Zuttere*, Petro *Croes*, Jacobo *Verdebaut*, Francisco de *Moor* a rebellibus capto et detento, Aegidio *Christiaens*, Johanne *Clercq*, Livino *Vandermeulene* etiam presbyteris religiosis professis dictae ecclesiae seu monasterii praedicti absentibus ), sede abbatiali dicti sui monasterii, per obitum bonae memoriae domini Livini *Baers* presbyteri ejusdem ecclesiae et monasterii religiosi professi, et ultimi abbatis pacifici, in his partibus extra Romanam curiam nuper defuncti, vacante in civitate Tornacensi propter sui monasterii direptionem, et a fundamentis fere ab haereticis factam direptionem, eorumdem haereticorum ( uti notorium est ) per majorem partem comitatus Flandriae continuam rebellionem, pro tempore moram trahentes ne praefatum illorum monasterium pastoris et abbatis solatio careret suaeque viduitatis incommoda deploraret ac majora in dies tam in spiritualibus quam temporalibus incommoda diutius pateretur, dicto eorum monasterio de novo pastore et abbate summopere provisum esse cupientes, dieque hodierna ipsis ad infra scriptos fines praefixa et per eos acceptata, decantataque prius ad majus altare conventus fratrum Crucigerorum oppidi Tornacensis, Cameracensis dioecesis, circa horam decimam ante meridiem solemnī missa de Sancto Spiritu, eaque celebrata,

locum capitularem dicti conventus adierunt, omnibusque in eodem capitulo congregatis, qui electioni futuri abbatis interesse debebant et petierant, ac in eodem capitulo etiam comparentes R. D. abbas S. Petri et nobiles ac generosi viri domini Guillelmus a Pamele eques, privati consilii regiae majestatis praeses, et Johannes *Vander Burcht*, S. V. doctor dicti consilii consiliarius, certas patentes nominationis litteras, sanas siquidem et integras, de persona religiosi viri domini Francisci *Schauteete*, presbyteri dicti monasterii Trunchiniensis professi, ad abbatialem dignitatem ejusdem per serenissimum et potentissimum principem et dominum nostrum naturalem dominum Philippum, Hispaniarum, Portugaliae, etc., regem catholicum, tanquam Flandriae comitem, nominati, praesentarunt et exhibuerunt tenoris subsequens:

*Philippes par la grâce etc., .... Donné en notre camp de Bevere, le douzième jour de juillet l'an de grâce mil cinq cens quatre vingt et quatre, etc..*

Quae quidem litterae sigillatae erant majori sigillo dictae regiae majestatis cerae rubeae impresso ac simplici caudae pergamenae impendenti, eosdem supprior, religiosos et conventum monentes et rogantes, quatenus insequendo dictarum litterarum regiarum tenorem, dominum Franciscum *Schauteete* confratrem suum sic nominatum, in suum ac sui monasterii pastorem abbatem et praelatum eligere vellent et eligerent. Quarum etiam litterarum regiae majestatis audita et per me notarium publicum infra scriptum ipsis facta lectura, easdem pro sibi legitime intimatis et insinuatibus habuerunt. Deinde ad electionem dicti sui futuri abbatis processerunt juxta morem antiquum in suo monasterio observari solitum et consuetum, praecentore suo incipiente hymnum *Veni, Creator Spiritus*, et choro usque ad finem prosequente, versiculo deinde et oratione consueta per hebdomadarium devote decantatis. Quo hymno finito, praedictus supprior a singulis suorum confratrum voces et suffragia petiit ac omnes unanimi voce et via Spiritus Sancti dictum dominum Franciscum *Schauteete*, presbyterum confratrem suum, de legitimo thoro procreatum, in aetate legitima, videlicet XXXIV annorum vel circiter, constitutum, de cujus spiritualium providentia ac temporalium rerum administratione plurimum in Domino confidunt, litteris, moribus et sufficientia idoneum, monasterio suo plurimum utilem, regiaeque majestati gratum et acceptabilem, dicta via inspirationis divinae unanimiter nemine contradicente elegerunt, ac prout in eorum ordine moris est, per superiorem cingulum sive zonam dicti domini electi solvi fecerunt. Quo facto, praefatus dominus Lambertus *Hubert*, abbas S. Petri juxta Gandavum, antedictum dominum Franciscum *Schauteete* electum rogavit, num electioni ita de se factae annueret et consentiret; ad quam interrogationem et electionem modo praemisso per eos factam idem dominus electus brevi oratiuncula perhabita, post humilem suae insufficientiae allegationem, nolens divinae resistere voluntati, tandem humiliter respondit: « Electionem de me, licet immerito, in Spiritu Sancto factam, non possum nec volo contradicere, eamque in nomine individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, sub SS. domini nostri papae et sanctae sedis apostolica, necnon reverendi in Christo patris domini pro tempore abbatis Praemonstratensis ordinis nostri generalis beneplacito accepto, ratam et gratam habeo. » Postquam insuper electionis acceptationem, praefatus dominus abbas S. Petri ulterius in negotio debite procedens eundem dominum Franciscum *Schauteete* electum in certa sede ante altare capellae capitularis posita sedere fecit, singulique auditi religiosi suo ordine ad genua ante dominum electum

provoluti in suo sinu obedientiam, reverentiam et honorem praestiterunt seu renovarunt, quae idem dominus electus in osculo pacis acceptavit. Quibus sic actis, Deo Optimo Maximo gratias agentes et dictam capellam capitularem exeuntes, una cum docto domino Francisco electo, medio inter dominos suppriorem et Gerulphum *Borluut*, seniore religiosum sui monasterii, incedente, hymnum sanctissimorum Ambrosii et Augustini *Te Deum laudamus* cantando, ad chorum ecclesiae conventus praedicti processionaliter processerunt. In qua eundem dominum electum ante majus altare et dictos suppriorem et Gerulphum deduci fecerunt, quo durante ante illud, genibus flexis, dictus dominus electus cum ipsis remanserunt eoque finito dictum dominum electum postquam altare esset osculatus, sine futurae confirmationis praepjudicio et ad solam administrationem a reverendo patre generali ordinis sui Praemonstratensis, vel hac in parte suo vicario generali aut ab eo potestatem habente, dictam suam confirmationem expectando (quam omnes suppliciter concedi petunt), in stallo suo abbatali campanis sonantibus per praedictos suppriorem et Gerulphum installari ac tam electionis hujusmodi decretum et instrumentum quam litterarum regiae majestatis tenorem per me notarium publicum infra scriptum alta et intelligibili voce ex odeo, ostiis ecclesiae apertis, populo publicari fecerunt, denique praementionatum D. electum per eosdem ad domum abbatali residentiae figuraliter et caeremonialiter designatam deduci, et in illius ingressu claves sui monasterii tradi curaverunt, adhibitis solemnitatibus et caeremoniis tam de jure quam juxta statuta et consuetudines tum sui ordinis tum monasterii debitis et requisitis et in similibus adhiberi solitis et consuetis. De et super quibus omnibus et singulis praedictis ordine quo scriptum est peractis praefati domini comparentes, sibi a me notario publico infrascripto anum vel plura publicum vel publica fieri atque confici petierunt instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt haec omnia in capitulo; ecclesia aliisque respective locis praefati conventus fratrum Cruciferorum Tornacensium, sub anno, indictione, mense, die et pontificatu antedictis, praesentibus ibidem reverendo in Christo patre domino Jacobo *Del Rio* presbytero, abbate B. Mariae de *Baudeloo*, partium Wasiae, ordinis Cisterciensis, Balduino *Meganoq* et Cornelio *Vander Haghen*, presbyteris canonicis ecclesiae cathedralis S. Bavonis Gandensis, spectantibus viris dominis Carolo de *Zillebecque*, alias *Tacquoen* scutifero, ac Johanne *Palley* S. V. doctore, aliisque quam plurimis circumstantibus viris, praemissa omnia et singula videntibus ac audientibus, testibus ad eadem specialiter vocatis atque rogatis.

Et quia ego Gerardus *Pangaerts*, Tornacensis dioecesis publicus sacra apostolica auctoritate notarius, dictarum litterarum regiarum praesentationi, receptioni, illarumque lecturam publicam praedictam alta et intelligibili voce et exinde secutae electioni aliisque omnibus et singulis supradictis praesens fui, eaque in notam sumpsit, ideo hoc praesens publicum instrumentum manu alterius (me aliis legitimis praepedito negotiis) fideliter scriptum subscripsi, subsignavi signo, nomine et cognomine meis solitis, rogatus et requisitus.

## LIV.

MDLXXXIV. Ego F. Franciscus *Schauteet*, ordinis S. Norberti Praemonstratensis, ordinandus abbas monasterii B. Mariae Trunchiniensis Gandavensis dioecesis, promitto coram Deo et

sanctis ejus, et hac solempni fratrum congregatione, fidelitatem dignamque subjectionem, obedientiam et reverentiam sanctae sedi apostolicae, sanctissimo domino nostro Gregorio pontifici maximo, aliisque meis superioribus eorumque successoribus canonice intrantibus, secundum regulae nostrae ac sacrorum canonum instituta, et prout recipit inviolabilis auctoritas pontificum romanorum. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei evangelia. Juramentum praestitum fuit in manibus R. D. archiepiscopi Mechliniensis D. Johannis Hauchini.

## LV.

MDCXXIX. Urbanus episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Considerantes nostrae mortalitatis fragilitatem et humani generis conditionem districtique severitatem judicii, percipimus fideles singulos iudicium ipsum bonis operibus et piis precibus praevinire, ut per illa eorum peccata deleantur, ipsique aeternae felicitatis gaudia facilius consequi mereantur. Cum itaque, sicut accepimus in parochiali ecclesia Trunchiniensi Gandavensis dioecesis una pia et devota utriusque sexus Christi fidelium confraternitas sub invocatione B. Mariae Virginis et S. Gerulphi martyris ad omnipotentis Dei laudem canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis instituta existat, cujus dilecti filii confratres diversa pietatis opera exercere consueverunt. Nos cupientes ut dicta confraternitas majora in dies spiritualia incrementa suscipiat, de ejusdem omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, ejus auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem de caetero ingredientur, die prima eorum ingressus si sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint ac nunc et pro tempore existentibus dictae confraternitatis confratribus etiam vere poenitentibus confessis ac sacra communione, si commode fieri poterit refectis in eorum mortis articulo nomen Jesu corde si non ore nequiverint invocantibus, ac eisdem confratribus similiter vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis qui ecclesiam praedictam seu dictae confraternitatis capellam in festo S. Gerulphi a primis vesperis usque ad occasum solis diei festi hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, ibique pro sanctae matris ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, principum christianorum concordia ac romani pontificis salute, pias in Deum preces fuderint, indulgentiam plenariam et omnium peccatorum suorum remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo concedimus et elargimur. Praeterea confratribus hujusmodi pariter vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis..... ecclesiam seu capellam praedictam in nativitate Domini nostri Jesu Christi et omnium sanctorum ac nativitate sancti Johannis Baptistae festivitibus, necnon Dominica sanctissimae Trinitatis, ut supra singulis annis septem annos et totidem quadragenas. Postremo dictis confratribus, quoties divinis officiis in dicta ecclesia, more confratrum, celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis dictae confraternitatis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, aut ipsum sanctissimum Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, associaverint, vel qui hoc facere impediti, campanae ad id signo dato, genibus flexis semel orationem Dominicam et salutationem an-



gelicam pro eodem infirmo recitaverint, vel pauperes peregrinos hospicio exceperint, aut pacem cum inimicis composuerint, aut corpora in Christi charitate defunctorum ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, vel dictae confraternitatis de licentia ordinarii-faciendas processiones comitati fuerint, aut demum aliquem ad viam salutis reducerint, aut ignorantes Dei praecepta et quae ad salutem sunt docuerint, aut quinies orationem et salutationem praedictas pro animabus confratrum dictae confraternitatis in Christi charitate defunctorum dixerint, toties pro quolibet hujusmodi piorum operum sexaginta dies de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis etiam perpetuo relaxamus..... praesentibus, perpetuis, futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si dicta confraternitas alicui archifraternitati aggregata sit, vel in futurum aggregetur, seu quavis alia ratione pro illius indulgentiis consequendis aut de illis participandis uniatur seu alias quomodolibet instituat, priores seu quaevis aliae litterae desuper obtentae praeter praesentes nullatenus ei suffragentur, sed ex tunc prorsus nullae sint eo ipso; quodque si confratribus praedictis ratione praemissorum aut alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad certum nondum elapsum tempus duratura per nos concessa fuerit, eadem praesentes nullius sint roboris vel momenti. Datum in arce Gandulfi dioecesis Albanensis, anno incarnationis Dominicae MDCXXIX, idibus Martii, pontificatus nostri anno sexto.

## LVI.

MDCXXX. Cum, de praesumpta licentia admodum R. D. abbatis Trunchiniensis, patris abbatis et superioris nostri, absque eo quod ejus auctoritati et jurisdictioni in nos hac in parte voluerimus praepredicare, nos praepositus et priorissa monasterii de *Tusschenbeke* in locum defunctae suppriorissae Annae *Hiele* suffecerimus nuper Annam de *Wale*, displicuit id non mediocriter praedicto admodum R. D. praelato, quod absque ejus expresso consensu ac sententia factum. Ita ut R. D. priorem suum miserit protestatum pro conservandis juribus et auctoritate ejusdem R. D. praelati, quibus in nullo derogatum voluimus, adeo ut potestatem et auctoritatem continuandi praedictam sororem Annam in praedicto officio suppriorissae, hoc ipso agnoscamus ab ipso R. D. praelato Trunchiniensi accepisse, et pro hac vice acceptam usque ad proximam visitationem de facto agnoscimus. Datum decimo Februarii MDCXXX. F. GUILIELMUS GRUENINX, *praepositus Tusschenbeken*.

~~~~~

**COMPREHENDUNTUR HOC VOLUME :**

|                                                                      | PAG. |
|----------------------------------------------------------------------|------|
| Antiquissima genealogia forestariorum et comitum Flandriae . . . . . | 1    |
| Nomina comitum Flandriae . . . . .                                   | 7    |
| Brevissima genealogia Flandrensium comitum . . . . .                 | 9    |
| Alia brevior genealogia forestariorum et comitum Flandriae . . . . . | 11   |
| Catalogus et chronica comitum Flandriae . . . . .                    | 19   |
| Chronicon comitum Flandrensium . . . . .                             | 34   |
| Chronicon Flandriae scriptum ab AD. DE BUDR . . . . .                | 261  |
| Annales fratris minoris Gandavensis . . . . .                        | 369  |
| Annales sancti Bavonis Gandensis . . . . .                           | 459  |
| Chronicon sancti Bavonis . . . . .                                   | 485  |
| Chronicon Trunchiniense . . . . .                                    | 591  |

---

---

## ERRATA.

---

|      |                  |                                            |                                       |
|------|------------------|--------------------------------------------|---------------------------------------|
| Pag. | 12, lin.         | 17. Balduinus Calvus filii . . . . .       | <i>Balduinus Calvus filius.</i>       |
| »    | 13, »            | 15. Oppidaad regendum . . . . .            | <i>Oppida ad regendum.</i>            |
| »    | 57, »            | 11. Perpretiata . . . . .                  | <i>Perpetrata.</i>                    |
| »    | 93, »            | 24. Multas . . . . .                       | <i>Multa.</i>                         |
| »    | 95, »            | 24. Entrare. . . . .                       | <i>Intrare.</i>                       |
| »    | 127, »           | 9. Imperatus. . . . .                      | <i>Imparatus.</i>                     |
| »    | 131, »           | 30. Collocati . . . . .                    | <i>Collocuti.</i>                     |
| »    | 185, note 6.     | Goethaels . . . . .                        | <i>Goethals.</i>                      |
| »    | 179, lin. ultim. | Esset papa destinatus . . . . .            | <i>Esset a papa destinatus.</i>       |
| »    | 220, »           | 7. Ausu sacrilegio . . . . .               | <i>Ausu sacrilego.</i>                |
| »    | 229, »           | 20. Cedentibus . . . . .                   | <i>Caedentibus.</i>                   |
| »    | 284, »           | ult. Id est comiti Sabaudiae . . . . .     | <i>Id est comitissae Sabaudiae.</i>   |
| »    | 290, »           | Yobendem. . . . .                          | <i>Yolendem.</i>                      |
| »    | 325, »           | 15. Candenti, ferro . . . . .              | <i>, candenti ferro.</i>              |
| »    | 386, »           | 12. Quem praemiserat . . . . .             | <i>Quam praemiserat.</i>              |
| »    | 420, note.       | Hac aut similia . . . . .                  | <i>Haec aut similia.</i>              |
| »    | 464, »           | 13-14. Inhabitatam . . . . .               | <i>Habitatam.</i>                     |
| »    | 479, »           | 1. Cujus vita Eynardus. . . . .            | <i>Cujus vitam Eynardus.</i>          |
| »    | 491, »           | penul. Orbonius, rex Hispaniae . . . . .   | <i>Ordonius.</i>                      |
| »    | 513, »           | 27. Coelestia, studeant meditari . . . . . | <i>, coelestia studeant meditari.</i> |
| »    | 601, »           | 11. Ac tribunatus officio . . . . .        | <i>A tribunatus officio.</i>          |
| »    | 626, »           | 2. Amandus . . . . .                       | <i>Amannus.</i>                       |
| »    | 672, note.       | Gentiliter . . . . .                       | <i>Generaliter.</i>                   |

---